1 6

9 4


Cum Jove et Cæsare
CHRISTIANO-ALBERTINÆ.
INAVGVRATIO.

Auſpice.
D. T. O. M.
Regnantibus.
Divo FERDINANDO Tertio.
ET
LEOPOLDO PRIMO
Romanorum Imperatoribus
Auguſtis.
MEDITATÆ
à Glorioſiſs. Memoriæ
IN CIMBRICA CHERSONESO
ACADEMIÆ
DIVO FRIDERICO
Cimbrorum Duce.
Salvo. Felici. Beatô.
&
PROVIDENTIA
Hæredis ac Succeſſoris Filii
REVERENDISSIMI, CELSISSIMI, SERENISSIMI
PRINCIPIS ac DOMINI,
D. CHRISTIANI ALBERTI.
Epiſcopi Lubecenſ: Hæredis Norvegiæ, Slesvvigæ, Holſatiæ, Stormariæ, ac Dithmarſiæ Ducis; Comitis Oldenburgici, & Delmenhorſtani.
KILONIÆ FUNDATÆ.
Ejusdem
INAUGURATIONIS
PANEGYRICA DESCRIPTIO.
Authore
ALEXANDRO JULIO TORQUATO.
à Frang. Barone & Colonello.
Anno 1666. die 3. Feb.

POTIOR COELO

REVERENDISSIMO ATQUE SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO.

D. CHRISTIANO ALBERTO.

Epiſcopo Lubecenſi, Hæredi Norvagiæ, Duci Slesvvigæ, & Holſatiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt.

CHRISTIANO-ALBERTINÆ FUNDATORI RECTORI MECÆNATI OPT. MAX.

Cum ingentem, & antiquâ GLORIA, CIMBRUM, loquimur; & ſolemnem ACADEMIÆ KILONIENSIS *INAUGURATIONEM, ſcribimus;* CHRISTIANE ALBERTE, Princeps Sereniſſime. *Non eſt nobis (ita omnes exiſtimant) ad implorationem veniæ confugiendum; quod Eloquentiæ, ac pudoris ſubſidium, in ſimili cauſa, nulli Hiſtorici, aut Oratores quæſivêre. Illorum timori, atq; imbecillitati, conſuetudinem iſtam ſepoſuimus, qui,* ſua, *verbis incruſtare cupiunt; non, qui* TUOS, *aut* TE, *loquuntur. Nullis coloribus,* DOMINE, *indiget Virtus* TUA, *quia nullam umbram, admittunt*

erga omnes, merita. *In propatulo sunt, & lucent in oculis omnium, ut sydera, CIMBRIS, Orbi, & Imperio, manifesta. Illi, aut magnitudine, aut pudore deterriti; in uno diffidentes, in altero dedecorosi, ut fucum rebus suis induant, verborum coloribus, tingunt innocentes paginas cerussâ, tinctores ingeniosi. Quos, ut suus merito damnat pudor, ita nos accendit, nuda & simplex Narratio; ne in tanta apud Posteros* GLORIA, *ex penicillo, veritatis periclitetur Majestas.* *Et si causam separo, nostrumq; dispicio institutum; non decet* Militem *fucus, sed rigidus decor.* *Non alius ad laudes* TUAS, *è Castrorum pulvere prodeo, quam ad decus Herculis, famamq; Miltiadis, fortunatus Minervæ consortio, processit, nocte quoq;,* Themistocles. *Certe ingentem Gentis* CIMBRICÆ *Gloriam & robur, viriliter dicere convenit: &, si te,* DOMINE, *novi, non languidâ manu, digitisq;,* TUA, *in Literas, Cives, Patriamq; merita, numeranda sunt.* *Ubiq; temporis, non Rationis compendium secutus. Nam quis omnia Gentis invictæ spolia; decora, victorias, prosequatur? cum præsertim obiter, de* Tuis, TUA *causâ, agendum fuit; in quem, quicquid aliis* Tuorum *hactenus vel datum, vel negatum, fata contulerunt.* *In ea adhuc Arena stas,* PRINCEPS, *quæ veteris belli, tot præliorum, tot Ducum, tot victoriarum area est, & Circus.* *In quo, tropæa, terra, mariq; parta, ex Aularum laquearibus, ac templorum pendent tholis, & fastigiis. Macte hac origine,* CHRISTIANE ALBERTE. *Providisti artibus* CIMBRORUM Robore: *providisti Cimbris, Artium disciplinis.* *In illo,* TE Fortium, PRINCIPEM; *in hoc, beneficum* FUNDATOREM *in utroq;,* Patriæ PATREM, *veneratur orbis.* *Dedisti* Cimbris, *vitam, ut* FAMÆ *viverent: dedisti* Literis *debitum, ne interirent, sed te* Genitore, *omnibus nascerentur.* *Habes, affectus nostri, & judicii experimentum, parvum hoc quidem, quia à* Parvo; *cæterum, quando idem cunctorum est, magnum.* Victoriæ rationem non reddi; *non inciviliter, docuit apud* Tacitum, CIVILIS: *nec* TUI, *cur id feceris, consilii. Verum, si eventu suo, ut Vatem, ita Militem, non fallit sinistrum augurium:* *videbas ingeniosus Artium Dædalus, quæ tempora excipere possent, alibi ingeniorum culturam; siquidem mobilis hoc die in diversa rerum status, nihil non spon-*

Tac. lib. 4 Histor.

det

det domi, quod foris intuetur, nihil non minatur Literatis, quod comitatur armatos. Inde, sive ne fastidio submoveret, Eruditionem, contemptus; Cimbros, *illi, præsidio esse voluisti, neq; enim melius inermes* Literæ, *quam inter armatos & fortes servantur: sive, ne penitus* Sapientia, *ab orbe exularet, è diverso comparatam loco, atq; novo* KILONIÆ, *exceptam Hospitio, ut gemino beneficio, terrarum adstringeres orbem, in* TEIPSO, *quasi novum fatum*, Literis & Patriæ, *dedisti. Non blandiar antiquitatis ingenio, indiligentia veri, & adulandi libidine; sed armatam se jam melius, PALLAS CIMBRICA, Tuo jactabit, consilio, &* CIMBRORUM *robore, quam, cum è cerebro Jovis galeam: à Perseo scutum Gorgone formidabile, & hastam, à Bellona, accepit. Jam felix, & fortis, plus, de PACE, RERUM OPTIMA, secura, quam fuit de ruina periculorum sollicita. Quamquam armatura hæc, ad TUAM CHRISTIANE ALBERTE, pertinet* bonitatem, *cujus beneficio & accuratione, velut hasta, scuto, umbone, casside, in stabilitatem disciplinarum & sapientiam, in CIMBRICA CHERSONESO, supra alias, effloreſcit. Hujus solemnem INAUGURATIONEM, dum scribo, non tyro, sed veteranus: & miles, non Scholasticus: planè, à docentium, discentiumq; numero & ordine, jam viginti annorum spatio; & Castrorum disciplinâ, & Regalium, Ducaliumq; expeditionum curis, segregatus; nunc demùm magnitudine TUA, DOMINE, permoveor; cui proprium est, prudenter & fortiter imperare, pulcherrimarum consensu virtutum; ut in civili, & militari munere, imperiis tuis, vires & consilium immisceres. Ivimus hic fortes, non ignavi, in laudes TUAS, quas orbe consentiente, apud omnes meruisti. Stetimus pro TUA GLORIA; quam, pompâ solemni, triumphante* sapientiâ, *exhibuisti, etiam cum cicatricibus, non indecori. Tempera* TIBI SERENISSIME, *& impera nobis, quocunq; jusseris, ibimus aut stabimus, ad fossas, muros, aggeres; infesta loca, & bella deposcimus, quæ, si sustulit & extinxit PAX OPTIMA RERUM, TE REGNANTE, non redeant signa: habebis & in* Pace, *quibus, pro* Marte, *ad artem utaris, restauresq; sapientiæ consiliis, quæ Mavors confudit. Non armis infestis, opus, satis Tutelæ à Capite, & manu TUA, habemus, ut non modo nostras,*

belli ac pacis artes, munimento Tuo; sed & rectè factorum decus, intra securitatem fovere, possimus. Quoties odiis, probrisq; fuerit certatum, ingenio potentius, quam ferro, elidemus contumeliam. Nemo adversus virtutes TUAS, *ita se linguâ armabit, quin si capulus defuerit, ictum, non calamus solidè* CALUMNIAM, *rejiciat. Nemo vulnus, beneficiis, infliget, quin in ultionem, sepiam pro sanguine*, Ingratitudo, *eliciat. Hoc nostrum erga* TE, *studium, hic amor, si pateris. Adderemus plura, fidei nostræ, & constantiæ argumenta: verum in solemni* INAUGURATIONIS TUÆ *dedicatione, materiam & eligere, & mutare prohibemur. Sit satis ex paucis, cognoscere multa; jam ultimum verborum refugium, in laude* TUA, *cum voto & obsequio ponimus. Rapit omnes Natalis ille dies* LITERARUM, *& pompa; quam* SAPIENTIÆ, *dedisti. Ecquis ejus diei triumphus? quæ voces? judicia? quæ gratulationes & plausus? qui gestus? nutus? quis sensus ac voluptas animorum? cum* TE, PRINCIPEM SAPIENTIÆ, FUNDATOREM ARTIUM, PARENTEM LITERARUM, *ore, verbis, digitisq; signarent. Reducere pompam, sub omnium aspectum, ut tum fuit, vetat* irrevocabilis dies: *scribere illam potuimus, ut semper spectaretur. In hoc, cum jam absolvimus, omnium erit judicium: cum scriberemus,* TUA fuit CHRISTIANE ALBERTE, GRATIA. *Quam, nobis feliciter accessisse, ac deinceps cedere, ex ipso feliciori,* NATALIS, TUI, DIE, *quam felicissime auguramur. Siquidem hoc* DIE, *quo hanc paginam scribimus, & ad* TE, SERENISSIME, *reverenter destinamus, auspicatissimis* Syderibus, *auspicatus* ORBI CIMBRICO *& populorum Saluti, illuxisti. Natus, inter* JANUM, *futurorum Vatem, et præsentis consilii, symbolum: & inter Mensem, quem vocant* FORTIUM, *Martis Pulli. Planè Mense* FEBRUO, *quo expiationibus, & libationibus, olim* Gentilis, *fervebat, & februabat* ROMA: *ut* TU, *ritu Christiano,*

Allusio ad Genitur: Principis.

Integer vitæ, scelerisque purus

Sororibus, *PRUDENTIA & PROVIDENTIA; ac* Vicina, *consiliis FORTITUDINE; superstitionis omnis, februares errores & vitia, atq; animo cœlesti, igneo, ac futuri*

pro-

provido, Christianam, *CHRISTIANUS ipse*, *promoveres in Patria*, *PIETATEM.* O NONAS FEBRUAS! *maximarum in corpore virium*, & *animi consiliorum consensu graves!* & DIEM *MERCURII! verborum Artificis, venustum! quem provida vetustas, inter gratas pingebat virtutes*; *TE, fecit inter GRATIAS.* O HORAM septimam, *sua vespera felicem!* & *perfectissimo numerorum mysterio, divinam! quæ, perfectis rebus*, ORBI *quietem: TIBI, turbatis, reddidit PACEM*, & *PATRIÆ tranquillitatem. Ut jam sis tanto major, quanto hic numerus augustior. Natus es, CHRISTIANE ALBERTE, SOLE, Regnatricem signorum cœlestium domum, occupante, TU*, Regnator *DOMUS HOLSATIÆ. Ascendisti cum JOVE, commodis omnium commodatus, sed* & *incommoda Patriæ, JUVANS PATER. Venisti, cum VENERE, non spurca illa*, & *obscœna flagitiis; sed intaminati pudoris vestita virtutibus, ut venustus esses AMOR* Patriæ, *ac pulchrum populorum DELICIUM.*

Auspicato cœlestibus syderibus NATALI, & *plena LUCE, divinis ominibus; merito inter* fastos *Romanorum dies; inter sortes* Regii *sanguinis*; *inter ingentia* Ducalis Prosapiæ, *decora*; *inter omnia summæ* felicitatis *cognomina, censebimus DIEM HODIERNUM. In quo, post tot procellas*, & *tempestates, post tot telorum nimbos* & *grandines, post immanium populorum concursum, post varia purgamenta Nationum, post proximam gentium conjuratione ruinam, deniq; hostium dominationem sectantium atrocia vestigia, vulnera, funera, discrimina, TE* Serenissime, *divina PROVIDENTIA, donasse videtur CIMBRIÆ, Populorumq; subjectorum saluti, RESTAURATOREM rerum; PACIFICATOREM tumultuum; malorum omnium VINDICEM; Bonorum, LARGITOREM.*

Specta de superis, DIVE FRIDERICE, Tantum FILIUM. *Spectate Principes Christiani, PRINCIPEM CHRISTIANUM. Abstinete ab illo manus, FATA, nec ALBERTUM tangite, nisi profutura. Facta, HIC, Avorum*; & Annos *vincat*; & *immortalis natus, nil nisi immortale sentiat. Dignus, à quo PAX OPTIMA RERUM, incipiat, ut pro funesto bello, lætum otium; pro periculis, securitatem; pro damnis, emolu-*

men-

mentum, & ornamentum sentiant, ARTES, CIVES, PATRIA. Dignus, cui militet Æther, & conjurati veniant ad classica venti, & *magno illius Animo prosperos semper exitus largiantur. Ut, ubi summa otii tranquillitate diutissmè præfuerit CIMBRIÆ, hanc ab interitu ad vitam revocet, consiliis juvet, firmet viribus, authoritate muniat, augeat dignitate, gravissimisq; periculis servatam, florentiorem faciat, & post immortalis FAMÆ, HONORIS, GLORIÆq; appellationem, florentissmam, POSTERIS, relinquat. Artes, Cives, Patriaq; precantur.*

CHRISTIANE ALBERTE.

REGIA. PRINCIPUM. SOBOLES. AC. GERMEN. TITULIS. SUCCESSIONE. ET. PATERNIS. MERITIS. PRINCEPS. DIU. TE. TERRIS. COELESTES. COMMODENT. QVAS. INGRESSUS. ES. HOC. DIE. VIRTUTES. ET. QVEM. TAM. SALUTAREM. LITERIS. CIVIBUS. PARTIÆQVE. FECERUNT. FACIANT. ETIAM. DIUTURNUM.

Optat, vovetq;


Prottogiæ. 3. Feb. A. 1666.

Alexander Julius Torquatus,
à Frang. L.B. & Colonellus.


FERDINANDUS III DEI GRAT. IMPERATOR ROM. SEMP. AUGUST. GERM. HUNG. BOH. REX ARCHIDUX AUST. DUX BURGUND ETC.
Quisquis ades Lector: quisquis spectator, adora
Cæsaris ora sacri, Cæsaris. astra vide.
Illius augustas Veneremur imaginis umbras.
A quibus æternum Cimbria lumen habet.



Maximus exiguo LEOPOLDUS *clauditur orbe.*
Quem totum tellus tota tenere nequit.
Hoc Themis ore ſonat, vultu prudentia ſpirat.
Dirigitur tanta Muſaq Marsq manu.
Quæq levis quondam ſedit generata cerebro.
Pupula in his oculis fixa Minerva ſedet.


SERENISS. & CELSISS. PRINCEPS AC DN. DN. FRIEDERICVS HÆRES NORWEGIÆ. DUX SLESVICI HOLSATIÆ, STORMARIÆ, ET DITHM. COM. IN OLDENBURG & DELMHORS.
FRIEDRICUS. Princeps. quo non clementior alter,
Nec pietate fuit major et ingenio.
Dum vitæ socijs quærebat condere Musis
Sub Cimbris sedem, distulit Urna diem.
A: O.



Optimus ille novum fundat cum laude Lyceum
In patria patriæ Duxq decusq suæ
Magna Patris magni Soboles. Quod cœperat ille
Perficit Hic. Visum sic fuit ergo DEO.

A. Olearius.

CHRISTIANO-ALBERTINA INAUGURATIO.

CIMBRORUM GENTEM, loquimur: quæ, nata *Domi* GLORIÆ; *Foris*, FORMIDINI: per cruenta dolorum vulnera, per Urbium, mortaliumque ſtrages; devictis Gentibus, debellatis nationibus, dejectis Regnis, afflicto *Imperio*; auctis nocendi & vincendi viribus; per fines *Italiæ*, mediterranea *Galliæ*, oras *Hiſpaniæ*, diffuſa etiam, per *Aſiam* & *Africam*, tempeſtate; graſſata eſt ad GLORIAM. Atque inter lituos & claſsica, inter armorum flammarumq; minas, inter atroces luctantis victoriæ caſus, per vaſta terrarum ſpatia, & fluctuantis Oceani æſtus, ſinusque, fortitudinis militaris exlege ferociâ, ab *oriente*, usque ad *occidentem*, laureas, coronas, triumphalis *Martis* adoreas, & ſuarum ſigna *victoriarum*, circumduxit. *Cimbrorum* Gentem, loquimur: quæ, poſt armorum ſtrepitus, & Martios furores, inter Pacis, pacificas laureas, & frondes, magno virium, animique momento, faviſſa nationum & *Matrix*, & populos ex ſe genuit, & peregrinis, nova impoſuit nomina terris. Inde primò *Cimmerios*, poſtea Cimbros, tum Sicambros, hodie Juthos, Stormarios, Dithmarſos, Wagrios, Holſatos; & ignota Paludis Mœotidis littora, *Sinum Cimmerium*, Balticique peninſulam maris, *Iſthmum Cimbricum*, ſive *Cimbricam Cherſoneſum*; & conſcia indefeſsi ſtudii monumenta, Gentisque per avia GLORIÆ cupidine, motus, ortus, famamque miratur *Poſteritas*. Cujus initia, facta, inſtituta, mores, vires, progreſſus, & fatales rerum vices ruſpaturi; illuceſcente è cœlo ad ſalu-

tem mortalium ſydere, ſeponentes gentilis ſuperſtitionis ritum, & Ducum ignota vetuſtate nomina; ibimus felicius Chriſtiani, in *CHRISTIANOS*, *ADOLPHOS*, *FRIDERICOS*, qui anguſtis *Occidentis* circumſepti, limitibus; etiam in *Oriente* famæ & gloriæ ſpatium quæſivêre. Deſinemus dicere in CHRISTIANO ALBERTO, qui, ut Ducalem purpuram, commodaret *Litteris* & *Eccleſiæ*; ſollicitudinem *Patriæ*: bonitatem civium & populorum Saluti, illuxit hodie, *CIMBRORUM*, ac Poſterorum GLORIÆ.

Poſteaquam Univerſi *Conditor*, juſtiſſimâ ultione, in ſcelera; cum ſceleratis, immenſo aquarum diluvio, orbem mergere decreviſſet: hæsêre ad mundi ſepultam faciem, & inſolitum cataclyſmum, FATA, quos, ſublata mortalitate, orbi, Genitores deſtinarent: cùm, non in *Deucalione*, aut *Pyrrha*, ſed in mauſuetiſſimo *Noacho*, &, filiis, paternæ ſtationis ſucceſſoribus, *Sēme*, *Chamo*, *Japheto*, extincta fluctibus, humani generis ſemina, æterna rerum excitaret *Providentia*. Manifeſto ad Poſteros documento: Non atroci fatorum ſerie, ut demens credidit antiquitas; ſed divinis conſiliis, homines, ex hominibus propagari. Inde Gentium genituræ, ordia populorum, hominum coalitiones, ſocietates Rerumpub. & inſtituta, emanarunt. Adeò; Aſiam, Africam, Europam, Americam, & incognitos terrarum fines, copioſisſima acceſſione, mortalium inundavit natio; ut, vaſta terrarum & inſularum, ſpatia, variis appellationibus & nominibus impleret; & ſub Occaſu, mox ſub Phœbi cunabulis, bella duceret, & prælia, Urbes, turres, conderet, & propugnacula; atque in extremis finibus, Promontoriis, ſinibus, littoribus, diverſarum Gentium & populorum ſtatueret monumenta. Quibus incrementis ad hanc maturitatem, excreverit orbis, credimus; ſed quos Progenitores ſortita ſit innumera populorum multitudo, multis dubitantibus, queri non immeritò in ſpeciem, univerſæ non, ſed aliquæ videbuntur Nationes. Verum nos, per omnes vagari, & in longiſſimas Gentium origines, vetant famoſiſſima CIMBRORUM exordia, vetant DIVI FRIDERICI ingentia merita, vetat ſolemnior INAUGURATIONIS Hiſtoria. Erit, cuique populo, ſi

non

non ex ſanguinis, certè virtutis notitiâ, ſuum decus, nec minor ex utroque *Gloria;* &, qui ſingulorum, ad Poſteritatis conſummatam memoriam, origines referant, non deerunt feliciſſimorum Scriptorum, miranda ingenia. *CIMBRIS verò à Gomero, nepote Nöe, ex maximo natu filio Japheto, ortos eſſe, nomenq; ab eo, per tot ſecula, paululum immutatum trahere, conſentiens omnium opinio eſt. Poſteritas igitur Japheti, cum majorem orbis terrarum partem, in Europa, Aſiaq; minore occupaverit, quod ipſi cum etymon nominis, dilatationem ſignificantis, tum fauſta Nöe imprecatio portendebant) Poſteri, à Gomero orti ad Boſphorum Mæotidi paludi proximum, qui de illis eſt Cimmerius appellatus, ultra Thraciam,* ubi Tanais oritur, ſedes habuerunt.* *Chriſt. Cilicius. bel. Dithmarſ. lib. 1.* *Pro Thracia legendum Scythiam.*

Hinc origo. A Plinio, *Linguam; Locum*, à Tacito, tenemus; quorum alter: *Germanorum* (inquit) *genera quinque, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones: alterum genus Ingænonum, quorum pars, CIMBRI, Teutoni, & Caucorum Gentes.* Alter: *Eundem* (nempè Cimbri) *Germaniæ ſinum, proximi Oceano occuparunt. Gens*, & *Locus*, conſentiunt, atq; ut vetuſtus ſermonis dialectus, linguam Saxonicam arguit: ita ſi locum æſtimes, illum, jam multis retro ſeculis, ſibi, inferior Saxoniæ Circulus, vindicavit. Quis porro, ritus, mores, cultus, aut ſuperſtitio, fortiſſimæ Gentis? Bellorum tractator populus, victoriamq; & opes á Diis ſperare doctus, ut aliquid famâ auderet majore: inter cœleſtium numina, *Herculem*, Deos inter Heroas venerabatur: hunc omnium virorum fortium, iturus in prælia canebat. Præcipuum tamen *Cimbri* cultum transferebant in *Solem* & *Lunam*, his velut principiis, naſci, & mori humanam generationem, frugumque ſucceſſum credentes. Magnorum quoque fluminum origines & capita venerabantur, & ubi ſubitus vaſti amnis emerſit fluxus, ibi ſtetêre cultus, devotio, altaria. Lucorum quoq; reverentia, quod illa ipſa proceritas ſylvæ celſioris, & loci ſecretum, & umbrarum opacitas, fidem alicujus numinis facerent, atque receſſus illos, propitium ac præſens, tum cœlum, cum ſydera inſediſſent. Templorum moles, & humanis operibus, tanqvam mortalium faſtigium egreſſas, ſicut neque ſtatuas, ut Idola, divinis afficiebant honoribus. Pro-

ſanos judicantes, qui Diis, & Numinibus, quos mens non caperet adorantium, exſtruere artificum opera, domos; aut affingere lineamenta, temerè præſumpſiſſent. Verum in ſilentio lucorum, aras è ceſpite, ſilveſtri religione excitabant, ſuper quibus litaturi, ut communi cognatione, quam mens humana cum cœleſtibus habet, & ſub dio, & ſine tectorum impedimento, apertum cœlum & ſydera aſpicerent, ſimpliciſſimo cultu rituq;, faventioribus Superis utebantur. Veſtitus, vaſtæ & horridæ ferarum exuviæ, victus obvius, ex præda, venatione. Inſolitum flagitare remotorum litorum piſcem, peregrini aëris volucrem, & ſaltûs non ſui carnes. Opes, more cupidinis humanæ, quæ libenter ex inopia, copiam æſtimat: adeò, ut vitæ etiam ſimplicioris ſtudium, per migrationum & bellorum incommoda, aliorum luxus populorum, & ambitio detrivit. Hinc Urbium, pagorumque numerus, quorum contentiones, aliaque majoris momenti negotia, ſeniores populi, & ſalarii expertes, peragebant; atque hi & judices & ſenatores perpetui, nec niſi per Duces mobiles, (poſteaquam Reges amisêre) quos ſcilicet civium & privatorum commodo, cum pugnandum eſſet, eligebant *OPTIMOS*; ceſſantibus bellis, habuêre privatos. Quamquam non ita pares omnes, ne rigida æqualitate, pretium meritis & virtutibus tollerent; ſed eos, qui maxima geſſiſſent, aliarum more gentium, non inter *Deos* retulêre, ſed *Heroes*. Nullum eſſe eundem diuturnum fructum rati: & ſpem conſequendæ Divinitatis, aliquo intervallo indigere, quo, invidiam viventium poſt fata viciſſent. In bello, par cum barbaris mos; ſigna non tantum gentilitia, præcellentibus perticis, ſed & hoſtibus erepta, quæ præliorum imminente discrimine, detracta Lucis & arboribus, cum copiis campo inferebant, ut quocunque oculorum aciem hoſtis intenderet, adverſa, captivitas, cædes, ſtrages, dira & ominoſa obverſarentur omnia.

CIMMERIORUM, igitur prima eſt augeſcens in immenſum ſoboles, & ſoli, natalisque objurgans anguſtias & obſcuritatem: idcirco, *ut & aliæ pleræq; gentes animosè, viriliterq; agere, & bella gerere* voluit: ſed ne gentis ſuæ præconia, [Bel. Dith. l. 1.]

ni-

nimium atterat Indigena laudator; natam ex bello potentiam describit peregrinus. *Quodcunq; Mæotidis ostium, Cimmerium sinum appellant, in eadem regione, etiam Cimmerius mons, ubi magnus olim Cimmeriorum, apud Bosphoranos fuit potentatus.* Ne quisquam dubitet, auget Procopius. *Gens* (Cimmeria) *ista, mirum in modum eâ in parte, quâ habitabat, id est, Ponti in littore, orbi innotuit, sine dubio tanta spatia tenens terrarum, tot sinus maris, tot fluminum cursus, sub cujus sæpe dextera jacuit Vandalus.* Armatæ potentiæ momentum extendit Jornandes: *Transiens tunc Asiam, Mœsiam, Daciam, Thraciamq; vastavit.* Quippè, acre incitamentum audendi maxima, præda fuit: cujus ingenti spe, cupidissimi CIMMERIORUM animi asperius excitabantur, & ab ipsis, ad audendum stimulabantur periculis. Quacunque sibi iter sternit prædandi cupiditas, juxta ambulat ferocia; & ubi campum, illa, nacta est dimicandi: hæc, naturam rapiendi & spoliandi. Vetus fatum, factumve, ubi maxima spolia, ibi bella acriora. Horum cupiditate accensi Cimmerii, *per Regiones propinquas, Russiam, Lituaniam, Borussiam, in Cimbricam Chersonesum progressi, totoq; littore se passim diffundentes, latè dominati sunt, & castrato paululum nomine, literaq; interjecta, Cimbri nuncupati.* Author recenset Domesticus. Postquam CIMMERIUS populus, Asiaticis gentibus cœpit esse horrori, & vicinis gentibus exitio & formidini, ingentibus ausis, sine armorum & victoriarum intervallo, tam diu non destitit obstantes fatigare, & atterere nationes, donec per tot dissita terrarum spatia, *Isthmum* maris *Baltici* occuparet, evulgato imperii arcano, *Occidentem* quoq; vinci posse. Ne armorum successum, aut debitam facto memoriam, ex conjecturarum melius augurio, qvam ipsâ metiamur veritate, *Cimbros* hodiernos, *Cimmerios*, fuisse; & terras Holsatiæ ad Boream inter duo maria porrectas, ex nomine, *Cimbricam Chersonesum* appellari, vidimus superius. Nec id novum censente Sapiente Romano. *Nova gentium nomina extinctis prioribus, aut in accessionem validioris, conversis, oriuntur.* Ita, ex CIMMERIO, CIMBER factus, ex CIMBRO, SICAMBRI, NORICI, BUDINI, postea NORDAL-

Bonf. dec. 1. rerum Vng.

De reb. Get. cap. 16.

Bell. Dithm. Lib. primo.

Senec. in consol. ad Helv.

BINGI, VAGRII, ex quibus hodie JUTHI, STORMARII, DITMARSII, HOLSATAE, nati ſunt.

Altera *CIMBRORUM* progenies, ingemiſcens maximam ſui partem, graſſatori obnoxiam Oceano,(cum continuæ molis objiciendæ ignoraret remedium)id ſuſcepit conſilii, ut fœcundæ multitudinis, ſeſe exoneratura portione, diſſitis terrarum locis, alias, atque alias proſeminaret nationes. *Marcomiris, Meradocis, Antenoribus, Priamis, Caſſandris,* aliisque armorum Ducibus, invictiſſimis armis, & Danubii, & Rheni, & Oceani littora perſultans, terras qvoqve terribili populata ſtrage, crebrisque Gallorum, Hiſpanorum, Affrorum & vicinorum paſta funeribus, eam ſibi famam circumdedit, ut Romanis qvoqve, tunc rerum Dominis, metum incuteret. Etenim poſtqvam armorum ſucceſſibus, eo usqve proceſſiſſet, glorioſa *CIMBRORUM* natio, ut terris victis, ſydera quoque attentaret, aut ſi, hoc difficile, tamen ex urbe æterna, auſpicaretur immortalitatem. Tanto audentior, quanto bellicoſiorem hoſtis, atque durior præberet. Igitur Anno circiter ab ORBE condito, ter milleſimo, octingenteſimo, quadrageſimo. URBIS autem ROMÆ, ſexcenteſimo & quadrageſimo. Reparatæ Salutis centeſimo decimo, immenſo hominum numero, (quia ultra trecenta & armatorum millia) fortitudinis apparatu, usque ad fines Italiæ proceſſit. Nulla tunc major Romanorum potentia; quis putaret orbe ſubacto aliquod bellum? atque non leviter ſe Roma concuſſit, & fuit in Cimbris, quod poſt Hannibalem, Jugurtham, Germaniam atq; Britanniam, timeretur. Adeò CIMBRIS alienum decus placuit, ut ſuum æſtimare nollent; pluris Romanorum ambitionem, quam ſuam fortitudinem facientes, hujus tantum augures, illius poſſeſſores eſſe cupiebant. Auxêre etiam viros, vires, famam, nomenque ex Regis Britannorum filia, ut tanto connubii fœdere, inexpugnabiles eſſent, & ſimul domitores. *Qui inter priſcos CIMBROS, ſive CIMMERIOS dominatum tenuiſſe feruntur, quum ad Antenorem ſecundum, qui*

Author Domeſticus.

Mar-

Marcomiri filius fuit, rerum summa pervenisset, is, fixis per majores suos, & prolatatis jam sedibus ad Rhenum usq;, & Germanicum mare, Britonum Regis finitimi filiam, Cambram nomine, in matrimonium sibi copulavit: quæ mulier, quum in magno apud Regem pretio & honore esset, ob eximias pudici venustiq; ingenii dotes, in ejus favorem & gratiam, novum genti nomen indidit, & pro Cimbris, Sicambros appellavit. Non poterant Romanis non horrori esse, in Cimbris adjecta matrimonio fœdera, unde opes, arma, pecunia, bellorum causæ, metus aut fiduciæ materia. Subibat animum, etiam recens, de *Papyrio* & *Sylvano* Consulibus, & *Scauro* legato cædes; nihil victoribus deesse, quam Capitolium & *Imperii* Dictaturam. Hinc animi altitudo singularis, & cupiditas acerrima dominandi, quiescere non sinebant CIMBRORUM ferociam, & prout furor, prædaque, etiam Italiæ claustra penetraverat, ut etiam portis urbis incuteret terrorem. Ergo ad opprimendum hostem, Manlius & Cæpio Coss. destinantur; verum signis collatis, post cruenta prælia, inclinavit iterum belli fortuna, & minus æqua *Romanis*, occasionem & victoriam amisêre: occubuêre omnes, vix decem elapsis, desiderata eo in prælio (præter calonum & lixarum 40. mill.) octuaginta Romanorum millia, sed & *Manlius* cum Legato *Silvio*, fortissima strenuissimæ militiæ decora, interfecti. *Cæpio*, bonis primum publicatis, ab iis occisus est, qui virtutes imperatorias, successibus æstimant: longo vitio, ut quicquid votis complectimur, armatum Ducem efficere credamus; & parere putemus militi, quæcunq; patent cupiditati. Ita direptis castris, signis ablatis, & contumelia funestatis Aquilis, CIMBRI triumphantes Romanos non semper, vincere, alios docuerunt. *Nil hâc plagâ infestius*, queritur Romanus, cujus vulnere Romæ interdictus pompæ triumphalis usus, nimirum, ne fascinum oculi, in palmatam vestem transmitterent, ne livor currum conscenderet, ne salutantium plausus opprimeret lætitiam, muniendus erat Cimbrorum robore, ambitioni accessus. Pœnitet me, calamum tanto, Cimbricæ virtutis, ac fortitudinis, Oceano, commisisse, unde nunquam reversurus videar, si velim grandiora insectari; quid tamen illud est, quod gran-

Florus l. 3. c. 2.

grande & insolens dicturus videor? id scilicet, quod dedecorosum est, Romanos etiam à *CIMBRORUM* fœminis vinci potuisse. *Nec minor* (inquit) *cum Uxoribus eorum pugna, quam cum ipsis fuit; cum objectis undiq; plaustris, atq; carpentis, altæ desuper, quasi è turribus, lanceis, contisq; pugnarent.* Debitum hoc CIMBRICÆ GLORIÆ pensum, ipse hostis, de hostibus, negare non potuit. Indiggnus, cui in cæteris fidem deberet Posteritas, si id, quo superiores, Romanis, CIMBRI fuerant, historicus tacuisset. Ut jam verum esse desinat, quod olim non nemo, aut sui seculi vitio, aut adulationis ingenio, de Romanis pronunciavit, eos primos ac solos, fines fecisse potentiæ, ortum & occasum. Dum in ea *Cimbri* duravêre tempora, ut longis retro seculis, & triumphalibus victoriarum adoreis, & latissimis armorum successibus, occidentem vicerint, & solis cubilia, domitores ubique, *Ortus* & *Occasus*. O casus! sævos fatali periodo, atque in terrarum excidia, damna & interitus populorum, heu! nimium atroces! *Victori* toties in altum sublato, modum servare difficile est: excitat hic tyrannus, & excæcat sæpè suos alumnos, cum eos ex cruento pulvere, in triumphos educit. Hic, iterum excitavit maximam Nationum, ut & ipsa robur experiri suum, patefactis Italiæ claustris auderet, & ut metus Romanorum indicat: *si statim infesto agmine Urbem petiissent, grande discrimen fuisset. Sed in Venetia, quo fere tractu, Italia mollissima est, ipsa soli, cœliq; clementia robur* (*CIMBRORUM*) *elanguit.* Si invictas Cimbrorum vires, & immensam Gloriæ felicitatem, expendimus: eo, maximè tempore CIMBER, tantus Urbis Romæ terror exstitit; ut hujus ipse terror, & victor MARIUS; *non ausus congredi statim, militem tenuit in castris, donec invicta illa rabies, & impetus consenesceret*; hoc est: dissolveretur Regionis luxu, & frangeretur voluptatibus. Pessimum in bello, Paceque vitium, Ducum aut Regnantium; luxus est; &, solutior vita militum, aut populorum. Omnia sibi MARIUS, in bellicosam Cimbrorum Gentem, licere putavit; utpotè quam, ante Marium, *Venus, Bacchusq;* fregerant; vicerant otium, & inertia: gula & abdomen domuerant. Et, tum: recenset domesticus Author: *Non*

defuit

Flor. l.3.c.3.

Flor. ibid.

defuit fortunæ impotenter blandienti, MARIUS, summaq; celeritate advolans, copias suas cum Catulli milite conjungit; initoq; prælio, die vicesimo nono Julii, centum quadraginta millia CIMBRORUM occidit, supra sexaginta millia capta in potestatem redegit. Quos, *pudor, & gloria*, principes erga Cives, & Patriam affectus, intravêre; non possunt ad infelicem casum, vel atrociores oculi, non lachrymari. Ergo immensa dominationis cupiditate, ac prædâ ferociens Natio, & *Orientis*, atque *Occidentis* domitor populus, vinci nec à victoribus aliter potuit, quam cum luxu difflueret, & voluptatibus prius vinceretur. Verum non ita sterilia virtutum tempora, ut laudaturum omnis materia defecerit. Siquidem hac ingenti clade, non dum CIMBER, ea, amiserat, quæ, emergendi spem viderentur consumptura. Sed adhuc par incrementis suis erat, quibus, *Vim* & *Repulsam*, subjugandis quibuscunque hostium viribus, aliquot post acceptam cladem seculis, vicinis & remotis Gentibus ostentavit. Donec animus fortunæ suæ dispar, nec infinitæ potestatis domitor, omnium primò, à Saxonibus subjectionem, mox posituram, pro imperio, accepit. Nutavêre enim etiam sub his, CIMBRORUM ingenia, & optimum duxêre Libertatis cupidi, quicquid posset, in obsequio mutari. Nunqvam enim fides, inter victos, & victores satis coalescit. Agit se in omnes partes, per tot secula genus humanum, aut *GLORIÆ* avidum, aut impatiens *servitutis*. Hinc sæpius armis, opponebantur arma, & proximum quodque prælium, venturi materies erat. Magnorum bellorum, diffusa varietate, & copiâ, qualis, vel affectatam, vel exspiraturam citò dominationem comitatur, CIMBER plura damna, qvam successus accepit, validiori vicinorum populorum potentiâ, toties oppressus. Poterant CIMBRI, jam intra se conservandi, vel tuendi necessitatem, inter modicas *Isthmi* sui angustias, consistere; nisi continuæ servientibus cum suo jugo rixæ, sive proclivitas naturæ in libertatem; aut ferocia in licentiam; sive imperantibus maligna vis, & oblita humanæ conditionis, & tot casus incommoda, capaces *Libertatis*, non *servitu-*

tis animos, multotiens ad arma & prælia accendissent. Improbum fuerit, elogium sperare magnificentius, eo, quo, CIMBROS, etiam ad paucorum numerum redactos, ad incuriosam exteræ virtutis invidiam, extulit florentissimus Authorum, *CIMBRORUM*, *Parva nunc Civitas, sed gloria ingens. Veteris famæ latè vestigia, manent in utraq; ripa, CASTRA, quorum ambitu, nunc quoq; metiaris molem, manusq; Gentis, & tam magni exercitus fidem.* Agnoscere licet Bellatoris populi fortitudinem, in ipsis hodiè ruinis affixam, & hærentem, & per ipsa munimenta ejus, id est ingens cum exercitibus robur, ad extremas *MARSORUM*, relliquias transmissum. Quorum & ex injuriâ, & ex licentiâ, anceps & turbatus rerum status, nihil aliud per tot tumultuantia domi forisque prælia, & damna, damnis continuata; atque annos, cladibus & funeribus insignitos; quàm ut à longè successus suos, propè verò servitutem aspiceret, effecit. Nam cum summo loco stare diu non possent; & vim externam, & seipsos formidarent; à Libertate, & Legum æqualitate dejecti, sub imperia PRINCIPUM HOLSATIÆ; ADOLPHI, & FRIDERICI, Anno Christi demum millesimo, quingentesimo, quinquagesimo nono, penitus rediêre. Qui, armis quæsita, non tam dominatione, quam ultione; sic iram in hostes, & sæpè fœdifragos expunxêre; sic verè, *parvæ nunc Civitatis*, infortunium solati sunt, ut omnino tanti fuerit, pervicaci *Licentiæ* cuicunque servituræ, *Holsatiæ* potissimum Principes esse, quibus se submitteret. Horum opera, robur tum multiplici bello repressum; licentiæ modus impositus, multa severè vindicata, & legibus constituta sapienter. Supremam rerum illarum faciem, domesticus Author, æternitati consecravit, ut incorruptæ historiæ, cum liberrima veritate certantis, imprimeret CIMBRIS imaginem, è quâ, discerent, horrere fragilitatis humanæ VICES, & DOMINORUM revereri majestatem, *nec TEMNERE DIVOS. Tantam jacturam & dispendium, eo bello factum, dum omnis seculi mortales, vixerint, in una sua Patria extingui oblivione, & sarciri non posse.*

Christ. Cilic. lib. 2. de bel. Dithmars.

Nem-

Nempè censente Romano. *Ita Fato placuit, nullius rei, eodem semper loco stare fortunam:* cujus periodo, læta tristibus firmantur; & in lugubres exitus, temerè auspicata, concedunt. Aut verius:

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Argumentum prudentis, aut verius Prudentiæ animatæ oraculum est. Ludit quippe ipsa *Sapientia* in orbe terrarum, & ejus opinor ludus est, Regnorum vicissitudo, & conversio populorum. Quam ob rem, cessêre tandem illi animi, vicinorum viribus, quibus *Oriens*, & *Occidens*, cessit, atque fatali rerum periodo, post *Cæsares*, didicêre *Reges*, & *Principes* pati. Ignoscat hodie *Victoribus*, CIMBER; atque Romanorum, Vicinorumque, numeret inter sua felicitatem. Obstrictum se cladibus, ac deditionibus, fateatur, Perpetuo inglorius, & obscurus futurus; ni per OTHONEM in Religionem & Pietatem: per ADOLPHUM, in fidem & subjectionem: per FRIDERICUM, in libertatem & amorem: per CHRISTIANUM ALBERTUM, in *Literas*, *ac per literas*, hodie in secula ivisset. Ut hoc, quod pretiosissimum à mortalibus, mortales, accipere possunt, ab Imperatoribus, Regibus, Ducibusq; vel invitus acciperet æternitatem. Omnium *Vitam* & *Nomina* recensere, esset, hoc die, speciosum monumentum, atque singulorum claritudine, ac gloria dignum: qvorum facta varia, & difficiles victoriæ, ne seros quidem (si ignaviâ latuerint sepulta) ad dijudicandum admittent Nepotes. Idcirco illos obiter non commemoramus, sed subducimus: ne quis justæ historiæ molem reqvirat, in immensa gestorum memoria. Parata erit hæc laus & gloria, secreto, & magnæ Posterorum felicitati proposito *Opere*; atque

Fient illa palam, cupient & in Acta referri

si voluerint Mecænates. Neqve enim fas est, incuriosum esse rerum suarum seculum, tum præsertim, cum gestorum gloriosè prodenda est memoria. Agere memoratu digna, eademqve libris consignare, laudabile creditum, apud eos, à qvibus virtutes æstimantur. Quarum, si defuerit pretium, per ignaviam simul & silentium, imperantium dignitas, regnorum majestas, ipsiqve tandem principatus, cum

ſtudio Gloriæ, concidunt. Ne *ACADEMIÆ*, quoque ſuum decus intercidat, illius jam *INAUGURATIONEM*, ſcribimus; atque in CHRISTIANO ALBERTO, ut & cæteri videant, ac ſtimulentur ad gloriam, facimus præcipuum ſcriptionis momentum, & monumentum. Cujus, cum reminiſcimur, tacere merita DIVI FRIDERICI, non poſſumus, nec debemus ex privilegio cœleſtium, PATRIS, in cœlis, virtutibus, conſecratam divinitatem, FILIORUM, in terris, poſtpònere *Gloriæ*. Conſpirant hodie, ubi delectus ingeniorum eſt, in utriusq; beneficia, Sapientium præconia. Nos, haud ſegniores auſis, dum DIVUM FRIDERICUM loquimur; & CHRISTIANUM ALBERTUM prædicamus; arbitramur aſſenſuros omnes, in laudes eorum, & præconia, in quorum *Famam*, & *Gloriam*, cœli FAVOR, & AMOR populorum inclinant. In utroque, cape *Cimbria* Exemplum, atque abſolutam maximarum virtutum imaginem contemplare. Hunc ſpectet, præſens Ætas; illum, imitetur Poſteritas: & ea, quæ monemus, Actis, dictisque ORBIS melior, hoc exprimat, Monumento.

HOC. ILLUD. EST. PRÆCIPUE. IN. ÆMULATIONE. PRINCIPUM. SALUBRE. AC. FRUGIFERVM. OMNIS. TE. EXEMPLI. DOCUMENTA. IN. FRIDERICO. ET. CHRISTIANO. ALBERTO. INTVERI. INDE. TIBI. TUÆQ;. REIPVBLICÆ. QVOD. IMITERE. CAPIAS. INDE. QUOD. GLORIOSUM. PERFICIAS.

Cum



CUm libenter audiant REGES & PRINCIPES, ſuas inter homines laudes prædicari, Princeps Philoſophorum *Ariſtoteles*, ex iis virtutibus, quibus conſervantur imperia, Regum laudes docuit mutuari. Si ſcilicet acriores Principis vires, in perniciem populorum valituras, amica temperies, moderata manſuetudo, temperaſſent. Adeo omnibus votis expetendum eſt, bene moratos rebus humanis præſidere Principes. Siquidem ut non temerè quidam poſteritati prodidit, *Optimorum Regum & Principum, tam pauca inveniri nomina, ut in exiguo annuli limbo, poſſint inſcribi.* Quia difficillimam rem eſſe ajebat divinus *Plato*, *ingenium invenire ſimul magnum, & manſuetum.* Expertus iſtud *Seneca*, cum teneris Neronis annis admotus, alere ſe *Leonem*, privatim diceret Amicis; licet in publico, perverſam vim ingenii, in urbium ruinas, clades civium, & funera populorum erupturam, diſſimularit. Sequiorem Principum naturam, & ferocientem dominatione ambitionem, non neſcius regnandi artifex LUDOVICUS regiis virtutibus, *Pietate, fortitudine, juſtitiâ, clementiâ, ſapientiâ, & amore populi*, (unde digna ſeculis naſcerentur præconia, & hominibus utilitates,) quaſi divinis legibus circumſcripſit. AUGUSTUS CÆSAR, qvi in aſſerendâ dominatione, multa

turbidè & crudeliter gesserat, rerum summâ potitus, ut laudaretur in vita, & post funera, tam impensè populo commodatus est, ut ejus commoda vitæ suæ anteferret. Adeo, nulli magis *AUGUSTI*, nulli *LUDOVICI*, nulli Reges & Principes sunt, qvam qvi laudari, à *Pietate*, *fortitudine*, *Justitia*, *Sapientia*, *clementia*, Regiis virtutibus potuerunt.

Horum passibus Divus FRIDERICUS, Regio sanguine oriundus, JOANNIS ADOLPHI, Filius, & unicus Hæres; inter omnes, qvi Cimbrorum *Duces*, clarissimi fuére, ad immensum populorum commodum, ad posthuma Posterorum præconia, deniqve ad immortale decus, effloruit. Ut arduam morum innocentiam, cum celeri & excelsa mente copularet: ostendit, domi forisque; bello, paceqve: statim, & in primis gubernaculi sui principiis, suapte naturâ & ingenio, qvod alii, per artes, & disciplinas qvæsivêre, magno documento, sibi virtutes, non se virtutibus, deberi. Noverat gubernandi rationes, in sævitiem ac severitatem compositas, eradi in *PRINCIPE*, Regnatoris DEI imaginem, idcircò divinum imitatus ingenium, quod ex divinorum svavitate morum petitur, bonitate naturæ, Subditorum commoda complexus est, ne totum illud ambitiosæ potentiæ choragium, quod plerosqve afficit regnantes, spectris, & umbris efficeret simillimum. Didicerat quibus artibus DEus orbem dispensaret; quare, in omnium usus & commoda, per tot indefessus molitiones, toto *sudavit & alsit*, Corpore & Viribus, Anima & Natura.

A Pietate. Prima *Divo FRIDERICO*, promovere Pietatem cura fuit, nam si Regium illud est, *Regna firmat Pietas*: hæc sola fundamentum erit stabile, atque inconcussum, cui res, opes, arma, pax, consilia, innituntur. Et quia nihil efficacius movet animos, quam sectarum novitas, hujus acerrimus hostis fuit; admisit nullam, nisi quam â Majoribus accepit. Verbi D. Ministros eos aluit, & fovit, qui doctrinâ, vitæque innocentioris exemplo præluxissent; qvi fi-

dei

dei ſucco ſaluberrimo, ignorantes imbuerent, atque ea loquerentur, quæ omnium inſerviunt ſaluti. Ipſe ſæpius ne diſſimularet aliquid, & ne langueret devotio, depoſitis ſeverioribus curis, luſtrare villas & oppida, conciones frequentare, intereſſe Synedriis, ordinare Eccleſias, ſolebat. Mollivit dura, ſanavit infecta, languentes ſuorum vires acuit, torpentes flammas accendit, providus juxta & beneficus, in templa, ſcholas, cathedras. Nec defuit pietatis, in populo ſucceſſus, quis enim ea non crederet impunè teri poſſe veſtigia, quæ PRINCEPS, & populorum PATER deſignaret? & quis erraturum ſe arbitraretur, ſi pietatis normam, ad hoc propoſitum Virtutis Regiæ exigeret exemplar. Tota vis imperii eſt in conſenſu obedientium, & conſenſus vix ullus, ſine ſenſu Pietatis.

Verum, ne ſola *Pietate*, tametſi Virtutum omnium ſit compendium, Ducalis purpuræ ſplendorem metiamur, dicemus *DIVUM FRIDERICUM*, tum præcipuè fortem extitiſſe, cum maxime pius fuit. Haud diffiteor, in rebus bellicis, naſci, vel etiam fieri, magnum eſt. Ingens animus & fortis CYRUM commendavit Poſteris: *ALEXANDRUM* fecit orbis domitorem. *HERCULEM* à cunis; *SCIPIONEM* à pueritia extulit, ut alios ſileam, per naufragia & ſyrtes, per hoſtium cuneos & mucrones, dictis & exemplis ſuos animantes, tandem aut victos, aut victores. Neſcio qua ingenii peſte, placent magna, etiam ſæva; ut Ægyptii Crocodilos, ſic malignas vires adoramus. At qui rerum æſtimator, longè feliciores populos, quibus PRINCIPES imperant *Pacifici*, quam pugnaces. Hos, qui hactenus admirati ſunt, vel laudibus extulerunt, crediderunt quidem omnes, bona largè à DEO in orbem fundi, non alios debere eſſe *Dominos*, quam qui ingenio, calliditate, igne, ferro, machinationibus, terras occuparent. *A fortitudine.*

DIVUS FRIDERICUS, non poterat non eſſe Pacificus: in quo, COELUM ipſum, quod, depoſitum tam grande terris dedit, celebrandum exiſtimo. Ut hujus ſolius causâ dicantur, cujus omnia dicturi ſumus. Nam, niſi *Divinus PRINCEPS*, in ipſo geniture, & Salvatoris noſtri *Recenſente Meriano in ſua Topo-*

ſtri

graphia, ex Heldvvadero Mathem. part. 2. Syl. Cronol. Circuli Baltici pag. 260.

ſtri JESU CHRISTI, natus fuiſſet, horoſcopo; tantus non fuiſſet, quantum orbis, alium vix tulit. Ita verò, non ſyderibus tantum, ſed & *Naturæ ac Nomini*, æquum videbatur: partim, ut non niſi tanto miraculo, naſceretur tantus: partim, ut qui tantus eſſet, à *Pacis PRINCIPE*, vocaretur *FRIDERICUS.* Quâ, appellatione, non ad arma, cædes, furorem; ſed pacem, ſalutem, ſecuritatem factus; non flammis, præliis, aut funeribus, verum civium, ſuorum, ac populorum commodis, *Orbi*, commodatus eſt. Quam ſanè in eo virtutem, non idcircò laudamus, ut excludamus robur ac fortitudinem; etenim *fortem*, non minus dabimus, quam diximus *Pacificum.* Enimverò, ſub quo demum Principe, majores in hiſce Ducatibus, unquam extitêre bellorum tumultus, quam regnante FRIDERICO? Sileo, bellum inter *FERDINANDUM* II. Rom. Imp. & *CHRISTIANUM* IV. Daniæ Regem; & immanes exinde cædes, flammas, mortes, funera; terris, & hominibus, injecta. Prætereo, atrociſſimam, ac propè omni funeſtam *Holſatiæ*, inter duo Borealia Regna, armorum colliſionem, & equorum, virorumque concurſum. Stetit tamen utroque hoc Bello intrepidus FRIDERICUS, ea magnanimitate, ut æquiſſimo animo ſuſtineret ſingula; etiam inter atrociores, bello, fatorum impetus, damni ac periculi ſecurus, munimento ac tutela *Providentiæ.* Quam, vel moderationem, vel curam pietatis, omnibus tropæis, laureiſque anteponebant & illi, quibus, ne pro *Libertate* quidem, bellum, cum periculo ſervitutis, probatur. Mirum! quantum inde roboris, & dignitatis acceſſerit *Patriæ*; quantum *Celſiſſimo Nomini*, apud Imperatores *Gratiæ*: apud exteros Principes *Famæ* denique apud ſuos, *authoritatis.* Nam, à FERDINANDO II. & FERDINANDO III. AUGUSTIS; præter imperatorias laudes ac præconia, *SERENISSIMI*, *Titulum* accepit: atq; alias quoque Ducalis eminentiæ Prærogativas, Sibi, Patriæ, Poſteriſq; auxit: niſi quod honorum ex virtutibus cumulus, pluribus incommodis funeſtatus, variam fortunam excepit, quaſi tot malis cauſam præbuiſſe videretur magna felicitas. Inter alia recentiſſimum illud vulnus eſt, cujus cicatrice, adhuc hodie deformis, ingemiſcit *Holſatia*: ſiqvidem, illius, quæ, inter

CARO-

CAROLUM GUSTAVUM, & FRIDERICUM III. Reges, intercessit, gravissimæ tempestatis, atq; odiorum, nulla unqvam excidet memoria. Nullum enim ex omnibus bellis, illo nocentius experti sumus. Nec bellum illud fuit, sed bella, causis, multa: armis multiplicia. Mirari desinant, quæ, de Marii, Drusi, Cæsaris, aut Pompei, aliorumque, sociis, & auxiliis, grandia memorant Scriptores. Non hic Gentium diversarum colluvies, sed versi orbis, concursus fuit. Et Romanus, & Germanus, & Scytha, Danus, Barbarusque, & qvod mirêre, in sociis armis, animi infesti, inque Amicos, & inimicos, hostiles. Tot, tamque immania corpora, & opera; quanta, qvi oculis non subjecêre, animis concipere, non possunt. Hoc Circo Cimbrico inclusæ belli partes, hostes, & Amici; hostilitas, & exercitus. Hæc Martis, hæc *DIVI FRIDERICI* Area fuit. Mirum! quantum, ex hac armatarum Nationum colluvie & orbis confluxu, damnorum ac periculorum accessit Ducatibus. In omnium latus, bellum impactum, omnes afflixit. Non parsum Civibus, ac Nobilitati, & in sexum, cui bella parcunt, non parcè sævitum. Exhaustæ Urbes, cum Urbibus afflicti Coloni, & Agricolæ, qvibus, etsi nec stivæ, rastra, pecora, tamen pretiosæ occationes, & omnibus angariis, gravior exactio. Ut creditum sit, non alio meliùs aurum erui instrumento, quam *ARATRO*. Eversi pagi, funestata prædia, homines & infantes cum pecoribus abacti, alii cæsi, aut spoliati. Nullus locus, tutus, totusq;: in tectis, Miles: in campis, pugnæ: in agris, vastitas: in sylvis, latrocinantium manus. Non æstate securi, non Bruma: cum, non terras solum, infestarent arma, sed & maria, eqvorum ferirent ungulæ, non sulcarent carbasa. Insessæ paludes, intercepti fluvii, epota stagna, lacusque, non tam armatorum (ut olim Cyrus) numero, quam arte, & ingenio. Inde desperatio, omnibus extremum remedium, & idem, ire, vel stare; vivere, aut periclitari. Dum, non tam *Mors*, singulis terrori est, qvam vita; ut vivere, ac superesse esset maxima calamitas. Non dubium, qvin longius, qvam unqvam, abierit *cura DIVI FRIDERICI*, & in crimine hostium, & Amicorum, cum discrimine *cautela*; dum, in grandi tempestate, etiam tuta timentur. Utrobiq;, judicio inusitato, & ratione occulta utebatur,

de quibus nil referam; ſiquidem ea, melius prudentiusq́ue diſſimulantur,quæ non proſunt, niſi quamdiu ignorantur. Certum eſt,toto belli decurſu,ut rerum aſpera leniret,Patriæ, amicis,hoſtibusq; prodeſſet,auxit omnium ſecuritatem,*FRIDERICUS*, ut in illo *CIMBRORUM ſalutem*, collocaſſe videatur, Providentia. Ecce pendet animi,non tãtum Circus Balthicus, ſed & Orbis Europæus, utrum admirabilius fuerit,tot hoſtes & Amicos, conſilio vincere; quam amicitiam viribus; aut odio, hoſtilitatem, expugnare, vel experiri. Magno Patriæ emolumento: cujus Quirites, dum belli illius momenta, hodie ad animum revocant, ſuum publicum & privatum commodum, ex hoſtium & amicorum, jacturis & injuriis, metiuntur. Fatentur enim & fateri debent omnes, è maximo hoc bellorum turbine, maximos fructus populis acceſſiſſe,qvia,qvamvis amiſſis,opibus,& auro;omni tamen mundo majorem, pretioſioremq;,nacti ſunt,*Libertatem*. Cui,nec in alta pace fuit ſua ſecuritas; niſi bellum, non imbellem *FRIDERICUM*,habuiſſet. Quâ,obſtrictam *CIMBRIAM* ante,arctius obſtrinxit, poſtquam eam, cum Ducalis purpuræ faſtigio, avitæ reſtituit dignitati, & abſoluto aſſeruit imperio. Hoc velut æterno beneficio, qvid Civibus, Ducibusq́ue aut nobilius, aut glorioſius,aut certius ad ſalutem? Reductum inter Reges & Principes fœdus; mutuæq́ue etiam in utroque populo Pietati, acceſſit concordiæ pignus, *ABSOLUTUM DOMINIUM*. O felicem, in ea temporum infelicitate, tanto commodo *CIMBRIAM*! Hoc,diſpunximus bellorum tempora, & data ad recipiendum ſpiritum partibus æterna requies. Damnavimus nocendi ſtudia, cauſas, pugnas, odia, & qvales concipiebamus votis, nati animorum ad amorem affectus; & ſine alicujus prætenſionis interpellatione, Pacis perpetuæ firmamentum. O iterum fortunatos, ex ipſo infortunio,Cives & Patriam! Vellem hic ipſum,*divinum Principem*, dum tantum attollo,merito beneficium,orbi univerſo, atque omnium oculis, oſtendere. Sed fruſtra: dum probantur in Cœlo vota *FRIDERICI*, ipſi quoqve ſuperi, eum ſibi vendicant; ut lividis mortalium ſubductum ex oculis,ob immortalia in homines beneficia,faciant im̃ortalem.

JUSTITIA certè, quæ dum *jus ſuum unicuiq; tribuit*, totius

totius mundi vices, ſacra moderatione diſpenſat. Per hanc ſtant ſolia, regnantes imperant, leges vigent, lætantur populi, Pax firmatur & ſecuritas. Illa eſt vitalis ſpiritus, quem terrarum univerſitas trahit, nihil aliud futura, niſi onus & præda, & omnium confuſio calamitatum, ſi de medio ſubtrahatur mortalium. Hanc ad initium ſtatim ſuſcepti Regiminis, ita D. *FRIDERICUS* exercuit, ut etiam per totum vitæ decurſum, videatur coluiſſe. Ea ſiquidem temporum eſt ratio, & morum corruptela, ut ſæpius, plus *Juſtitiæ,* quam aliis virtutibus tribuendum ſit. Improbi non mulcentur verbis, ſed erudiuntur ſuppliciis, ex quibus tamen minus cruoris, plus fluat gloriæ. Caſtigare culpas ſolitus amanter, ut errata deſinerent, non errones. In ipſo ſæpè tribunali, ne in crudelitatem impingeret, obverſabatur divinæ menti, illa tyrannorum vita, in quâ omnia turbida & confuſa, voluptates ipſæ ex ſcelere pavidæ, ſuſpecta ob cruorem ſervorum officia, & ubique periculi, aut mortis metus; deniq; occiſorum horridæ imagines, lectos, menſas, & ferales dapes & delicias obſidentes. Idcirco, grande putabat, *Vitam,* etiam in viliſſimo; Subditos, ſua *membra,* ſuos artus exiſtimans, in quos nemo ſævit, niſi furioſus. Nec putrida quidem, & incurabilia, ullus, niſi meditatè, & medicorum opera ſibi patitur avelli. A puero veritatis amantiſſimus, impatiens iniqui. Gaudebat ex animo, quoties innocentem de laqueis eriperet, cum jus aſſereret mortalibus, & ſplendorem juri. Aeglen Samium imitatus, cui primas juſtitiæ voces, extudit, de ore muto, injuria: cum inter æquales meritis, non æqua dividi vidiſſet. Aſſveſcebat interpellari libenter, & querelas intercipiebat pauperum, & gemitus oppreſſorum. O quantum hodie in Cœlis aſſurrexit, cum hanc ſibi apud Superos, cœleſtem modulari à cœleſtibus vocem, jam audit beatus: *Illuſtris es tu* F*RIDERICE*, *& magnificentior montibus prædæ.* Hic nempe claritatis apex, hic *honorum* cumulus: ſi *montes ſeculi*, tot injuſtis rapinis onuſtos, tot cædibus inquinatos, in plana ſubmittant: ſi tot feras cubilibus excutiant; ſi de mediis faucibus eripiant devoratas opes; resque mortalium, & injuſtitiam ſuis vinculis conſtrictam, ſuis calcatam pedibus, terris,

A Iuſtitia.

Ex hebr. verſ. Pſ. 76.

ſuperisque oſtendant. Erit igitur DIVO FRIDERICO, etiam in cœlis triumphanti, JUSTI nomen, non umbra, ſed veritas.

Verum alia eſt cauſa reorum, quibus debetur *Juſtitia*, alia populorum innocentum, quos *Divus FRIDERICUS* haberi laxiùs, & commodiùs magis, quam rigidè & auſterè, *à Clementiâ.* Ducali *Clementiâ* cenſebat. Oderat iſtas tyrannorum artes, & procul à ſe hæc feritatis arcebat remedia, quibus non tantum DEI, ſed & hominis ſpecies adimitur. Reges, obſcuriſſimæ Macedonum gentis, ut ſubjectis populis, duram arrogantis imperii inculcarent majeſtatem, capitibus, Leonis exuviis, redimitis, quaſi proles Herculis, in conſpectum publicum prodire conſveverant, vultu, cultú, habituq;, monſtra formidinis. Profectò commodius Leones, Tigridesqve regnaſſent, qvam tot poſt Alexandrum tyranni; quibus etſi rictus Leonis defuit, non defuit tamen devorandis hominibus ſævitia. Qui, ſupra triſtiſſima excogitatæ carnificinæ ſpectacula, morte dilata, longis nocendi artibus, conficiebant ſubditos, fame, inopiâ, nuditate. Ah neſciunt, neſciunt hi, amoris vim indomitam, qui, metu magis animos impelli putant, quam allici Clementia. Quantum mutatus ab illis, *DIVI FRIDERICI* animus. Noverat ſuam potentiam, non ad dominandi libidinem, ſed ad rem publicam, & communem utilitatem, (eorum potiſſimè, quibus ſua libertas eſſet, non tantum petere, ſed & exigere) divina bonitate deſtinari. Propterea non imperitè regnandi ſcientiſſimus, temperabat clementiâ, etiam Juſtitiæ rigorem. Intelligebat, nullam illos, qui ſeverius regnaſſent, felicitatis partem poſſidere, quibus, finguntur non redduntur officia, &, ſola famulantur corpora, animi execrantur.

Nullum enim ex odio Regni decus. Quale enim hoc oblectamenti genus eſt, aut quæ deliciæ regnantis? ad omne momentum pavere, formidare circumſtantes, & ad ipſa Amicorum horrere præſidia. Non fuit tam infauſtus *DIVUS FRIDERICUS*, ut Principatus, ſævitiâ, potius qvam amore: & crudelitate, qvam benevolentiâ, maluerit firmari. Amabat alios, ut *Pater*, moderabatur ſingulos, ut *PRINCEPS*, omni-

omnibus imperabat, ut *Dominus*, sed majori DOMINO, rationem redditurus. Planè, nisi talis exstitisset, nemo appellasset *Clementem*, neqve ego dicere possem *Liberalem*.

Non tantum regia, sed & divina Virtus est, munificentia. Non aliter belluæ mitigantur, nec aliter Dii censentur, qvam beneficiis. Frugalitas, ad evitandam inopiam, sicut in privatis suum habet decus, ita in Principibus, maculosa fere, omnis parsimonia est. Quia nec altum pectus, nec sublimem animum, nec regalem sanguinem arguit. Merentibus injusta, sperantibus fallax, omnibus odiosa. Inde qvondam in imperio Romano, tot cædes dominantium, ferociente adversus avaros Principes, militiâ. Non alia res, Galbam oppressit; qvam donativi mora: poterat aliqva liberalitate, discordes demereri legiones, sed dum timet emere militem, brevissimum fecit imperatorem. Projecerat à puero *DIVUS FRIDERICUS*, pessima avaritiæ semina, nec tantum hortandus erat ut donaret, ultrò etiam largitionibus provocabat merentes. Naturâ, omnium commodis natus, qvasi beneficus aquarum rivus, in herbas & flores, ille in beneficia & donationes effundebatur. Persvadebat sibi maximè non perire, qvod optimè collocasset. Colligebat ex munere semen unde fidelia bonorum ex officiis emanarent ad bonum publicum germina. Vox ista apud illum abierat in legem, *stare naturam rerum, & regna crescere per dandi & accipiendi commercium.* Pensabantur ab eo, vigili curâ, Ministrorum merita, Civium, & Exterorum officia; & juvabantur etiam qvi graves annis, aut studiis fessi, vel cicatricibus indecori. Spectaculi res erat, cum ejus beneficiis surgerent miserorum Nosocomia; Alumnorum, in spem Ecclesiæ & Progenitorum aleretur numerus: instaurarentur, aut de novo fundarentur, Templa, Scholæ, Gymnasia. Ingens in subjectum populum benignitas, & crebræ in eum largitiones. Summa dicturus, quia perventum est ad summa, totum penè terrarum orbem, fecit humanitati proprium, cujus beneficia cum sint pretiosissimæ fertilissimæq; naturæ, in oriente & occidente disseminata, in Asiâ, & Europâ, germinant: & adhuc in Austria, Gallia, Britanniâ, Daniâ, Sueciâ, Scythiâ, & Persia, nascuntur.

à Munificentiâ.

Cirum, amoris æternitati commendavêre. *Titum*, Orbis & Urbis appellavêre delicias. Non aliis artibus *Augustus*, Dominatorem populum ſubdidit, quam blanditiis, & beneficiis victum. Inde *Trajano* quoq; optimi nomen, qui ad obliganda Subditorum vulnera, togam & faſciam concidit. Inde tot aſſerti Cœlo Heroes, tot nova Deorum nomina, de beneficiis nata. Mirum dictu! *Herodes, Tiberius*, in Cives & in propria viſcera crudeles, in longum imperia produxêre, quod deglubere populum nollent, ſed tondere; &, quia in hac immanitate novum aliquid retinerent, quod amorem populi, & regnantis Clementiam præ ſe ferret. Quod ſi tam exitiales Principes, benignitatis ſpecies, Poſteris commendavit, quid eis fieri exiſtimamus, qui beneficentiam, cum morum ſanctimonia conjunxere? Plaudit hodie in loco beatiſſimæ tranquillitatis DIVUS FRIDERICUS, quod bene impenſi cum beneficiis labores, immortali, etiam poſt funera, apud gratam Poſteritatem recolantur memoriâ. Mirabitur non nemo, ut etiam vereamur; eorum, qui nos legunt, ne ſupercilium, aut notam, incurramus: quod Regii hujus Principis; cujus, recenſemus orbi, ſine metu *invidiæ*, dignas poſt funera laudes; ejus immortales honorum titulos, & immenſa ſanguinis ornamenta, tacitè ſubducamus, memoriæ Poſterorum. Verum cui nota non eſt DIVI FRIDERICI origo? qvæ, orbi Cimbrico primariam invexit ſangvinis amplitudinem, antiqviſſimâ ductam à ſtirpe, aliqvot ſeculorum; hoc eſt, à Regum familia, ortam diffuſamqve, ac non ſolum Regibus, ſed & Regno locupletatam. Quantum vero ſangvinis ac generis pretium, qvis non videt? poſſe in cenſu gentili numerare *JACOBOS*, *CHRISTIANOS*, *FRIDERICOS*, & *in GUSTAVO ADOLPHO*, omnes *Auguſtos*, Sveciæ, Daniæ, Britanniæ Reges. Nam, JACOBI, FRIDERICI, GUSTAVI ADOLPHI, trium potentiſſimorum Regum ex Sororibus filius. CHRISTIANI IV. Pro-nepos FRIDERICI III. Conſobrinus. ADOLPHI nepos, JOHANNIS ADOLPHI, filius. Qui, *Divo FRIDERICO*, atqve ſucceſſoribus, per manus, prope ab immemorabili, ad hanc usq; diem, nunqvam interpellatâ memoriâ, aut interpolato tempore tradidêre ſeriem in *Holſatia* regnandi. Et ne vacuus,

aut

aut ſolatii expers, ſolus in admirationem veniat regius ſangvis; comitatur eum, *ſummo jure*, hæreditas Regni Norvegiæ. Nam qvi proſapiam ſuam, diffundunt inter Reges, non poſſunt non eſſe, Regnorum Hæredes. Ut deſinant jam mirari, ſi ſupra alios, emineat prærogativâ, regii Tituli, Sereniſſima FRIDERICI Poſteritas! qvam, ex regni Hæreditario jure, melius deinceps appellabimus Regiam, qvam dximus Ducalem. Siquidem, qvod in familiam ſtirpemque tranſit Regiæ ſecum originis, propius accedit *re, nomineq́;* ad Reges, qvam Principes. Planè ut gloriari poſſit *CIMBRICA CHERSONESUS*, habuiſſe Ducem, in terris ſuis, cui, inter Imperii Germano-Romani, Principes, (qvos, Proteſtantes aut Evangelicos veneramur,) ſimilem, & tot Regum cognationibus ac genituris obſtrictum, nec facile viderit, & impoſterum difficile, niſi in ſucceſſoribus, viſura ſit. Sed iſta ſpontè nunc præterimus: *Genealogiæ* vices, alibi ſubituri, cujus, ſplendor, dignitas, majeſtas, non tam à noſtra fide, qvam à conſcientia mortalium, & à ſeculorum ſerie, deducetur. Hodiè non indiget DIVUS FRIDERICUS remotiſſimo ſplendore, qui, proximè triumphat in ſuo: nec à ceris, & coloribus jam lucem expectat, qvam habet à ſapientia, cæteriſque virtutibus. Nam qvis niſi inſolens dubitabit? eum, qui, & pius, in DEUM: & fortis, in ſe: & juſtus, in alios: & clemens in ſingulos: & beneficus, in omnes, exſtitit; immenſis virtutibus, non bonarum artium, ſtudia miſcuiſſe? næ, qvam longè regios gentilitii ſtemmatis, ramos diffudit; tam procul radios explicavit, *Sapientiæ*, non vulgaris, & Literarum: qvippe ſine his nec imperare potuiſſet, adeò in illas artes & ſcientias, mente & animo fuit intentus, ut perfectisſimo cognitionis amore, iis, arctisſimè voluerit copulari. Operoſa res eſt SAPIENTIA, & difficilis in Principibus, qvi vivere ſibi, & naſci populorum commodo voluerunt, ad qvam paucisſimi pervenêre. Siquidem alios æſtus ambitionis fatigat, mox qvaſi per ſyrtes, & tot vitæ discrimina, acti, ex præcipitio, non ſine caſu, & cum vulnere ruituri. Alios inſipienter, in affluentia & divitiis, compendioſa avaritiâ, non ſine populorum diſpendio, ſingulis omnia erepturi, ſervat vel ad dedecus, vel ad exitium. Alii crudeliter,

quod

qvod fœdius dictu, per ferrum & ignem, per vulnera, funeraq; feralibus cupiditatum facibus, ad injustam dominationem accensi, periculosè non minus, qvam violenter, grassantur. DIVUS FRIDERICUS, Regius vere sangvis, & par cœlestibus, non illos, Regnis fatales æstus; non illas furiales abutenti divitias: non funestas vel ipsi tyranno, iras, dolos, machinationes, consectatus; ad eam solam, & unicam, *quæ Regibus imperat, & dispensat imperia* , Sapientiam aspiravit. Ita, ut post communes artium disciplinas, & varias linguas, qvorum profectibus, etiam privatorum ingenia intumescunt, etiam in abstrusam, & à vulgo semotam facultatem, in arcem naturæ, & in cœlum ipsum, rerum æternarum immenso desiderio, penetravit. Cujus cum Civis esse concupiscit, non frustra, divinæ cœlestium lingvæ tantum detulit, ut sanctam, penitus sanctus perdisceret. Quæ sane sacræ lingvæ mirabilis facultas, ex institutione divinitati germana, non plausum modo illi conciliabat, sed aliarum quoqve literarum, in difficillimis fidei qvæstionibus, dabat intellectum; ut res & numero infinitas, & ordine perplexas, & significatione difficiles, his fontibus expediret. O divinum Principem! & ante depositas mortalitatis exuvias, immortalem! cui se plenius cœlum affudit, sibi natum, sibi consecratum, principali ingenio, & vitâ innocenti. ASTROLOGIA, olim qvoqve Regum Magnorum & Principum cura, & gloria fuit. Radio cœlestes domos penetrare, sydерum volucres investigare cursus, & tardiores speculari motus, ortum & occasum complecti; & temporum separare vices; imperiorumq; observare vicissitudines, etiam in iis, qvi nunqvam Reges, nunqvam Principes fuêre: *Regium & Ducale* est. Dum sui memores animi, saginantur vastissimo orbium spectaculo, abeunt alii degeneres, in vespertilionum aut etiam talparum vitam, lucis atqve ætheris exules perpetui. Regia mens Principis *FRIDERICI* cogitationes suas, ultrò jam cœlestibus addicens, intelligebat, se parem aliqvando futurum, illius domicilij, qvo, jam *Civis* beatissimus perfruitur. Affixus illic fuit sæpiùs contemplationis vultus, ingenio, corde, voluntate. Vidit Planetas

Studium Matheseos

Lingua Hebræi.

netas ſolitarios, aſpexit & conjunctos, quacunqve ſe darent, qvid ſecum ferrent aut portenderent, per tot exemplorum millia, & tot ſeculorum obſervationes, ſollicitè advertit. Facilius illi errare fuit in ſtellarum diſtantia, à terris pernoſcenda, qvam in effectis aſſignandis, quæ habuit certiſſima. In altero, jam oculorum acie non laborat, cum haud ægrè penetraverit, in Regna, tam à nobis abdita, qvam remota. In altero cum eſſet in terris, ultrò ad eum Aſtra deſcendebant, ut ſuas illi vires oſtenderent, & ornarent potentiâ. Dicerem intrepidè, ea, jam amantiora eſſe *DIVO FRIDERICO*, qvam cum viveret, quod eorum beneficio, jam plus in orbe fulgeat. Longas cœli ſemitas, & ignota ſiderum ſpatia, in quibus plus conjecturarum, & fabularum, qvam veritatis, non conſector: *FRIDERICUS*, omnia complexus eſt, utpotè, cui, DEUS, Cœlum, & omnia, eſt. Bene eſt, auctam cœli militiam, divinus Principis Genius oſtendit. Sequemur Sereniſſimi ſideris Ducem, & ibimus non tantum oculis, & teleſcopiis, ſed mente & corpore, in lacteam verè illam, & nectare fluentem beatorum inſulam, cujus ſemitam ſuo nobis ſanguine *CHRISTUS* patefecit. *Alluſio.*

Vaſtiſſimo Mathematices ſtudio, addita ſunt magni momenti inſtrumenta, orbes, circini, hemicycli, tubi, dioptra, teleſcopia, aſtrolabia, pleraque principalibus *DIVI FRIDERICI* manibus, fabricata, delineata, tornata. Inter alia *GOTTORPIÆ* artis divinæ ac cœleſtis monumenta, magno *Ducis* ingenio & expenſis, *Machina* terreſtris viſitur, cujus ſuperficies, terrarum orbem, quam accuratisſimè repræſentat, in quâ ingenti operâ Artifex, tabulas Geographicas exſculpſit, in qvibus ad vivum, vicos, pagos, villas, arces, civitates & oppida: tum ſtagna, fontes, maria; & cum portubus, ſinubus, ſaltibus, ſylvis, & promontoriis, Dynaſtiarum, Comitatum, Ducatuum, Regnorum & imperiorum, amuſſatos ſitus, longitudines ac latitudines, non magis artificiosè, qvam diſtinctè & ſubtiliter expreſſit. Interior globi conſtitutio, tam capaciſſimum ſpeculantibus ſpatium efficit, ut ſtupenda *DIVI FRIDERICI* inventione, Menſam, ſedilia, & duodecim homines, capiat, quamqvam non capiant artificium ſpectatores. Qui- *Deſcriptio Globi terreſtris.*

bus,ſi volent eſſe curioſi, patent ſiderum curſus, viæ Solis, fontes Lunæ, origines ſedesqve Planetarum, & ſtellarum diſcrimina: omnia in diem & noctem, in hyemem & æſtatem, menſes & annos, temporum ſigna,& cœli miracula. Ad celebritatem hodierni ſeculi pertinet, qvod novi Orbes detecti; ita immenſam merentur apud Poſteros famam; altiores, atqve ſubtiliores cogitationes,qvæ, magnum ingenio Principem, in eam opinionem: *An moveatur terra, cœlo quieſcente*,multis defoſſam ſeculis Copernico eruente, deduxerunt. Quæ, in DIVO FRIDERICO, non tantum admiratorem, ſed propè etiam defenſorem invenit: ut non cunctanter aſſereret, qvod, adhuc difficulter credit mortalitas. Igitur curioſo ſtimulatus inſtinctu, ut etiam oculari remonſtraret argumento, quod verbis ſæpius demonſtrarat; novo Archimedis opere, SPHÆRAM excogitavit, in quâ ex *Ptolomæi, & Copernici* hypotheſi, præter cœleſtem cum circulis motum, moras, & intervalla indicantem, grandi artificio videre eſt, Solem per omnia ſigna Zodiacum percurrentem, declinates Planetas: annorum, menſium, dierum, atqve juxta famâ celebrata horologia, *Babylonica, Judaica, Chinica,* horarum, & minutarum ſpatia. *Operoſum opus*, & nulli non admirandum! in quo deprehenduntur etiam ſidera, non ita pridem, à qvodam ingenioſisſimè tuborum opticorum ope deprehenſa. Quatuor ſcilicet Jovis ſatellites, qui, circa auguſtiſſimum ſidus, perenni motu, circumaguntur, atque illud ſuis itineribus coronant: modò paulò longius, ab illo abſcedunt, modò accedunt propius, nunquam radiis ejus toti immerguntur. Adeò divinus FRIDERICI *Principis* Genius, dum ſeſe in arce terrarum altisſima, hoc eſt, in *Cœlum*, ſcrutando ſidera, collocavit, omnino nihil abeſſe, atqve aberrare cœpit à ſummo, usqve dum perveniret ad *ſummum*.

Sphæræ deſcriptio.

Adjecta eſt *Operibus* tantis, non ſine molimine, celebratiſſima *BIBLIOTHECA*, in cujus comparationem neqve multæ veniant; neqve paucis exiſtentibus, huic aliqua copia, fama, ſumptibus, comparetur. Tribus fornicibus comprehenſi, ac per claſſes magno opere diſtincti Authores, qvorum

Bibliotheca.

rum alibi nec nomina, hic libri, ad qvorum immensam multudinem & varietatem, & excitantur, & obstupescunt, literatæ mentes, atq; ingenia. Ibidem arctiori servantur custodiâ, antiqvorum manibus scripta in membranis monumenta, & novissimi, variarum gentium & nationum characteres. Non procul inde, ad geminum limbum & oram fenestræ, omnium propè seculorum, quibus *auri sacra fames* cœpit & invaluit: aureæ, argenteæ, cupreæ, ferreæ, & coriaceæ, *MONETÆ*: nec non *Persarum, Assyriorum, Chaldæorum, Judæorum, Græcorum, Romanorum*, veterum atque recentium: simul variorum Ducum, Regum, Pontificum, & Imperatorum, numismata. Ad qvorum lividas, & exesas vetustate inscriptiones, in plerisque & exercetur, & fatigatur oculus. Horum omnium, qvamvis ab Antecessoribus, & maximè à gloriosissimæ memoriæ *JOHANNE ADOLPHO*, Duce Holsatiæ, non pauca procurata sint, tamen à *DIVO FRIDERICO* ita aucta, novata, instituta, ut veteris moliminis, neqve imaginem, neq; vestigia agnoscas: nisi aureum beneficium, auratis literis, expressa, in pariete indicarent monumenta; quæ, ne injuriam temporis, aut oblivionem Posterorum excipiant, Lectori curioso videnda subjicimus.

1. 6. o. 6.

Artibus excellens Pacis Dux JANUS ADOLPHUS
Condidit, & libris istud conclave dicavit.
Ille quidem numero libros, & sedibus, at se
Mansuro, donec domus hæc erit, auxit honore,
Si qua manet seris benefacti Gratia seclis.

Aliud.

Ut pater ex imo Sleidanus *gurgite vidit*
Pulchrum hoc vicino littore surgere opus.
Dixit Iò! nova jam Princeps *habitacla* Minervæ
Struxit, & hospitium, Cimbria *facta,* Deæ *est.*
Tale fuit Pharii studium immortale Tyranni,
Talis & Ægypti Bibliotheca *fuit.*
JANE, decus tu cura Deæ, magne Author *ADOLPHE*
Cœpti: vaticinor, pergito, major *eris.*

Dignus cujus æterno nomini, suam conservatrix memoria substituat immortalitatem: ut, quando in vita, accelerato mortalitatis fato, ita salutis, & bonorum, in Literas, Patriamque prodigus esse voluit. Ad tantum beneficiorum pretium, & gratiarum monumentum; maximo momento accessit FRIDERICUS, auxitque verba aurea, & aureum beneficium, JOHANNIS ADOLPHI, auro & ingenio coronavit, nam ne tantum ingeniosus esset, voluit esse maximè curiosus. Testatur utrumque ad omnium intuentium stuporem, rarissima Exoticarum rerum & operum *Entheca*. (Kunstkammer.) In hac, à solis ortu, & occasu, naturæ sive jocantis, sive sævientis, pretiosa miracula. Diversorum animalium mirabiles formæ, avium, piscium, concharum, testudinum, serpentum & insectorum, immensa prodigia. Barbarorum, diversi & horribiles vultus, habitus, colores, ora, arma, redimicula, atqve variæ idolorum species. Inter RARA, ut sunt, sphæræ, icones, tubi optici, horologia; inter Elephantum ebora, dentes, & maxillas Gigantum; inter terrestrium & aquaticorum coxas, costas, scapulas: inter Rhinocerotis nares, cervorum, caprarum, & unicornium cornua: RARIUS est, hominis Arabici ex fulmine sceleton, in cujus adhuc vigorosa cute, vim & naturam fulminis, mirantur tantum, non disputant, humanorum corporum, venarum, arteriarum, & naturarum studiosissimi scrutatores. Longè omnium RARISSIMA illa ingeniosissima, cujuscunque fuit Optici, inventio: quæ in una tabula variorum Principum, Regum & Electorum, vivas coloribus, & justis spatiis distantes repræsentat imagines, nullam FRIDERICI: ut memoriam artificis, non tantum domesticus affectus objurgare, verum etiam hostilis ac lividus oculus, posſit ingratitudinem perstringere. Quorum tamen uterqve, oppidò ut oculum visumqve applicavit proximo tubo, corrigat judicium. Nam non sine omnium imaginum dispendio, aut artis miraculo, solam & unicam DIVI FRIDERICI effigiem, indicabit *Aspectus*. Ita omnes aliæ aut evanescunt, ad fulgentissimum virtutum Ducalium exemplar comparati; aut qvilibet ex vultu suo Principi nostro contribuit, ut tantorum Ducum, Regumqve genituræ, cogna-

Kunstkammer.

Perspectivæ descriptio.

gnationes, & dignitates, non tam perfeciſſe, qvam etiam Orbi extuliſſe noſcantur, perfectiſſimum in ſingulis FRIDERICUM. Quo in opere, & Apellis & Archimedis luſiſſe puto ingenium, neqve inter colores & umbras, circulos & hemicyclos, voluntates diſcrepare: ut ignobilem Sapientum confundant invidiam, atqve unum diverſis artibus efficiant pretium. Plura non addo, neceſſe eſt enim, ad cognoſcendum ea omnia, quæ nullius induſtria ſcriptoris, in oculos transfudit, ad hæc ſæpius, quæ retulimus, regredi, & è recenſitis, æſtimare cæterorum mirabilium formam, pretium, ſtuporem, vetuſtatem: donec eam famam, curioſisſimo rerum exoticarum conquiſitori, concinnatori, inſpectori & aſſervatori celeberrimo & experientiſſimo in Mathematicis *D. M. ADAMO OLEARIO*, Sereniſſimorum Holſatiæ Ducum, DIVI FRIDERICI, & *hodie* feliciter Regnantis, *CHRISTIANI ALBERTI PRINCIPIS*, *Bibliothecario*, concedamus: ut cujus jam præter *Perſicæ Legationis* deſcriptionem, etiam alia ingenii monumenta vidimus; ejus quoque ope, & opera, omnium prædictorum, aut adhuc dicendorum, ſive *naturæ* degenerantis monſtra ſint, ſive ludentis in orbe *ſapientiæ*, miracula, cum ſuis figuris & deſcriptionibus, lucem viſura certa expectatione, tenemus.

Jam unde neceſſariò deviavit, ad glorioſisſimum Divæ memoriæ *Principem* redeat oratio, qui, ut ut quamplurima, in tanta operum varietate, vitæ & otii habere potuerit laxamenta, tantum abeſt, ut his immergeretur totus, diviniſſimi Principis Genius, ut etiam parem civilibus curis animum gereret, nec diſpari magnæ mentis ſollicitudine, ex pietate, fortitudine, juſtitiâ, clementiâ ac liberalitate, cũ *Ludovicis*, *Theodoſiis*, *Trajanis* & *Auguſtis*, Patriæ ac ſubditorum commoda diſpenſaret. Sunt, qui injuria temporis, aut bellorum tempeſtate, circa exhauſtum & expilatum, occupantur ſeduli peculium: fuit & DIVUS FRIDERICUS, atq; ea tempeſtate, qvâ pleriqve ſuos deſerunt, multum excuſſis ſubſidiis, eas opes addidit ærario, qvas non vis, ſed amor Civium expresſit; neqve rapinæ ſævitiâ extorſit, ſed ſolers procuravit Poſteris, Principis induſtria. Sunt, qvi furente bello, immoti ac providi, non levibus lacertis, Urbes loricis, ſudibus, & muni-

mentis, circumdant; vallo, fossâ, aqvâ, muniunt præsidia; ut suæ, Civiumqve prospiciant securitati. Fuit, & *DIVUS FRIDERICUS*, qui immenso diversorum hostium turbine, pro *Aris Focisq;*, omnia providit, nec flexit humeros molis immensæ labor, atqve inter cædes, & promiscua funera, inter obversantes oculis, Martis, mortisqve horrores, & instrumenta, immota cervice, *sidera & cœlum tulit*; cujus operibus, portis, fossis, vallis, aggeribus, inter alia publicæ securitatis munimenta, gloriatur meritò *Tonninga*. Urbs, & hostes, à muris & propugnaculis, propellendis, fortis & solida; & ad vitæ, societatis hominum, commerciorum copiâ, opportunitate littorum, portuum, ductuum, felix & fortunata. Sunt, qvi serenæ tranqvillitatis tempore, ita imperii cursum instituunt, ut qvasi è tempestate nubium, in solem progressi, & inter almæ Pacis, pacificas oleas apricantes, fracta solident, collapsa restituant, atq; confusa

Diruant; ædificent, mutent quadrata rotundis.

Fuit, & *Divus FRERICUS*, qvi, pacis qvoqve commoda cum occasionibus intercepit, atqve ne in tanto fastigio, tantum esset fastigium, indefesso laborum studio, nec levibus expensis, & DEO, templa: & miseris, xenodochia; & artibus, palæstras: & bonis mentibus, domicilia; dicavit: quorum alia, à fundamentis eduxit, alia velut collapsa, restituit. Et ne multa, testis famosissima Cimbricæ Chersonesus Colonia, qvam, non Assyrii Principis fastus & arrogantia, sed amor Civium, ac veneratio, *FRIDERICOPOLIM*, appellavit: in dies, & annos, major & auctior, & ædium structuris, & tectorum fastigiis, & platearum spatiis, & aquarum ductibus, & civium amplitudine, & prospectuum commoditate, & morum, artium, & qvod maximum, conscientiarum libertate, præ cæteris illustris, & *ut Castrorum acies ordinata*. Providentissimus Principis genius, cum æternum in terris domicilium sortiri non posset, immortalitatem ex meritis quæsivit: terris commodatus Patriæ Pater, per omnia curas, & affectus dispensabat, suis cum *Augusto*, manibus, rationes subditorum describebat, Cives, spes, & utilitates numerabat, expendens Pacis, ac Belli tempore, quibus, quando, qvomodo, succurreret. Obsedit Holsatiam undiqve beneficiis, à

fronte

fronte, à tergo, à lateribus, in ea ſemper incurrimus: quacunqve ponimus pedem, beneficia paſſim illius calcamus, aura ipſa, qvam ducimus, nos qui ducimus, *FRIDERICI*, beneficium ſumus. Et profecto, ſi dignum eſt, ut neminem capiat, tantorum oblivio meritorum, quid dabimus illis cogitationibus, & conatibus, cum fundare *ACADEMIAM* cogitaret & conaretur? qvibus, tanqvam *Hercules*, qvibusdam qvaſi gradibus, properabat ad immortalitatem. O cogitationes! ô conatus! è qvibus, civibus commoda, nobilitati ornamenta, atqve vitæ civili, moribus & officiis, accederet amœnitas. Siqvidem ingens rerum hominumq; vinculum, *Artes* ſunt ingenuæ Litterarum; quibus, à teneris, imbuta juventus, diſcit magnificè de DEO, credere: ſentire de virtutibus; de humanitate, loqvi; non absque cenſura mentis & judicii: ne per omnem vitam obſcura, aut inſipiens, aliena fide, credere: alienis oculis, videre; & ex alieno pectore, ſapere; impellatur. Voluit igitur id facere FRIDERICUS, quod à nemine, unquam factum in Cimbria. Ut hac ipſa cupiditate, ſimillimus videretur Deo, cujus illud eſt attributum perenne, & proprium decus, aliquid ex nihilo facere, & mundum ipſum, absqve præexiſtente materia, in hanc amplitudinem, venuſtatemque moliri. Sed voluit tantum, atque *Tanta, FRIDERICUS*, & feciſſet, niſi tam grandia molientem, ea, qvam recenſuimus, intercepiſſet, belli maximi tempeſtas, ac ferocia. Providit tamen velut communis *Pater*, commodis Patriæ, atqve deſiderio Poſterorum, ut quando ipſe, *intentionem* ſuam, perficere non potuerit, eam in CHRISTIANO ALBERTO, qui & ipſe, florem regioducalis ſanguinis attingit, perficeret: & illud in virtutum ſuarum, atq; regiarum exemplo, Principe Filio, & hærede unico mandaret æternitati, qvod deſtinarat. Ita, poſtqvam ea, qvæ aut fecit, & cogitavit, *omnia vidit eſſe bona*; Anno reparatæ humanæ ſalutis 1659. Die 10. Auguſti, AUGUSTUS populorum PATER, degere inter mortales deſiit, inter ſuperos cæpit. Ut nemo ſit, qui non intelligat, iisdem planè gradibus ad mortem veniſſe *FRIDERICUM*, quibus, Salvatoris occaſu, humanum genus acceſſit ad vitam. Nam qvi ſub infelici, *Chriſti patientis*, ſidere, orbi illuxit, non poterat in terris *Gen. c. 1.*

tran-


tranqvilliorem, qvam Christus, sperare vitam, aut mortem nancisci. Ita ei mors par propè cum Salvatore contigit, cujus vita quoqve paribus laboribus transacta est. Non poterat divinius nasci, sed nec mori felicius, cum in ipso mortis fato eum æmulatus sit, quem vitâ, multis doloribus expressit. Ille, post primas rerum species in mœrorem conversas: post primorum corporum tranquillitatem, mutatam in tumultum: post soli, cœli, elementorumque communem dolorem, affigitur cruci, & in feralem arborem, transit *VITÆ LIGNUM*: universitatis *VITA*, abit in mortem: *SOL* mundi, in *occasum*. Ita post ornamenta publicæ felicitatis, post ducales titulos & insignia, post meritorum in cives & Patriam decora, post vitam bellis ac vicissitudinibus exercitam, moritur *FRIDERICUS*, non in *Regnatrice domo*, non inter Majorum ceras & imagines, non inter Regum nomina, Ducumque maximorum appellationes, sed in circumvallato armis præsidio, inter suorum desertiones & lachrymas, inter hostium illusiones, & voces malignantium, inter opprobria & calumnias perfidorum. Occidit *FRIDERICUS*, Sol suæ Cimbriæ, abiitque in tenebras, radius sanguinis regius, & in noctem transiit virtutum ac meritorum sidus. Occidit PRINCEPS, vitâ longiori dignissimus, qvem non tam Parcarum tulit atrocitas, quam hostium abstulit è medio furor: & qvod sine sensu doloris dici non potest, tum sustulit; cum neglectus à fœderatis, remotus à propinquis, ab inimicis illusus, despectus à vicinis; cum procul à securitate ageret, externis non fideret, à suis non juvaretur. Quo rerum fato, beneficia qvoqve, usqve adeò odio habuit sua, ut ab iis qvamprimum avelli, & *vivere cum Christo*, non solum pateretur, sed & DEUM impensius rogaverit. O funestum *diem!* & nocti illam *lucem* concolorem! qvæ, & furore hostium, & subditorum dolore, & Domini funere, laborantem tot malis Cimbriam qvasi tenebris operuit. O nunqvam satis diuturnas generis humani delicias! Occidisti DIVE FRIDERICE, Principum optime, & nil nisi *spem* futurorum, mortalitatis tuæ exuviis, nobis abiens, in sarcophago, reliquisti. Occidisti virtutum Regalium sidus, atq; in omnium animis, nil nisi æternum Tui, desiderium, fu-

nestis

nestis fatalium decretorum tabulis, impressisti! Occidisti, *PATER PATRIÆ*, amor & delicium populorum, atque violenta ex omnium oculis subductione, atrum hodie luctus & doloris Literis, Civibus, Patriæque, imposuisti colorem. Laberemur eodem, unde cœperamus principio, provocaremurque ad lachrymas, cum pristino reddimur dolori: adeò crudum adhuc recensque vulnus, cum maximè lenitur, maximè intumescit; nisi *FRIDERICUS*, etiam post *mortem*, cum *CHRISTO*, gloriosior evasisset. Quem sanè supremum *ACTUM*; priori, non absimilem fuisse, nemo est qui dubitat, sub cujus signo natus, ejus fato denatus est. Idem, cum passo *Salvatore* (sic merita sperare jubent) post vitæ decursum, in terris, de hostibus, triumphus, eandem in cœlis, Gloriæ adeptus est immortalitatem; Nam, *si cum Christo patimur, cum Christo glorificabimur*, animatum, divinæ Sapientiæ, oraculum est. Planè novissimum tempus, primum vitæ ac præcipuum fuisse existimo; qvo, non solum de rebus terrenis, ac vanitatum humanarum illecebris, sed de orbe triumphavit, qvem, nemo totum vicit, nisi qvi contempsit. Nullus tanta clade vicit; nullus tanta laude ac virtute, victus est. Invictus *FRIDERICUS*, planè vincentium viribus, eam libertatem consecutus est, qvam victores semper negavêre. Et qvod mirum est, non in campo, sed urbe, in qvâ, cum non secus, atq; in cavea conclusus esset, diuturno tempore adversus omnia, invictus stetit: cum in Urbe qvasi obsessa, neq; urbi, cujus partem occuparat mare, fames, morbi, luesq;, nec victoriæ locus esset. Nimirum magna cœpta, consilium, & mora perficiunt; elusit, dum vixit *FRIDERICUS*, hostium conatus, mortis casu, animus accrevit hostibus; & fiduciam illis occupandæ non tam *Urbis*, qvam evertendæ *Libertatis*, mortuus fecit, qvam vivus habere non permisit. In expectatione tanti conatus, universus orbis erat. Aliorum admiratio, aliorum indignatio, aliorum studium enituit, de qvibus triumphavit gloriosus. Adeo ut qvotqvot à rerum circumstantiis, belli illius authoritatem, & causas infra *Providentiam* positas, animo præscindunt, tam magnanimæ mentis robur, & consiliorum successum, prudentiæ ac fortitudini *DIVI FRIDERICI*, indefessæ industriæ, animique magnitudini, acceptum ferant:

atq; illam, totius operis moderatricem colant; hunc, velut ejusdem Principem Administrum, jam in *Cœlo* venerentur. Dixi *Coelo*, ubi jam *Divus Fridericus* videt & aspicit ingentem *Majorum* suorum seriem; & familiarem veluti populum Heroum, *Principes*; & virtutum meritis conspicuos; & armorum gloriâ invictos; & literarum scientiâ, singulares. Ut una *Regnatrix Holsatiæ Domus*, humanis coronis, cœlestes qvoqve laureas admisceat, atqve *cœlo* pariter sufficiat, & terris. Dixi *Coelo*, unde res hodie nostras speculatur & aspicit, *Augustus*, ut ex meritis suis omnibus ostendat, neqve in terris qvidem, angustum illi imperium obtigisse, sed magnitudine suâ, undeqvaqve immensum. Fines vastissimi, amplissima terrarum, fluminum, ac marium spatia, complectuntur. Neqve enim inter has *Isthmi Cimbrici* angustias, illius Ducalis purpuræ claudebatur Majestas, sed ex æqvo, *Virtute*, cujus mercedem, ipse *Gloriam*, definivit, & expressit operibus: etiam in *Germaniam. Austriam, Angliam, Galli-Bataviam, Britannniam, Rußiam, Poloniam, Moscoviam, Scythiam, & Persiam*, gloriosus extendit; atqve honorum suorum, famæ ac dignitatis spatia in *Oriente*, & *Occidente* vidit, non terminum. Videt & aspicit, Divus FRIDERICUS, Terras suas, populosqve subjectos, qvos asseruit in Filiis, *AUGUSTO FRIDERICO*, & *CHRISTIANO ALBERTO*; in illo spiritum ducimus, & vovemus: in hoc etiam vota superamus, & tenemus omnia. Magnis appellationibus, salva est Cimbria. Alter, paterno in nomine Augustus. Alter, Patris exemplo, planè Christianus. Ipsa *Christi* & *Cæsarum*, vocabula, in auspiciis sunt, & plena ominibus. Verum cum omnes Principes mortales, & æterna imperia sint; immortalitati autem *SLESVVIGIÆ*, & *HOLSATIÆ*, regius Divi FRIDERICI sanguis, *Providentiâ*, destinatus videtur: Tempus est, ut è dolore ad lætitiam; è luctu ad gaudia, & vera illa qvidem & præsentissima eluctemur. Quæ, in CHRISTIANO ALBERTO, Regnante Principe, destinatione *Coeli*; *Patris* voluntate, Voto *Patriæ*, & omnium plausu, possidemus.

ER-



ERGO

QUOD. FELIX. FAUSTUM. FORTUNATUMQUE. SIT. ORBI. CHRISTIANO. LITERIS. CIVIBUS. PATRIÆ. ET. CEDAT. IN. FAMAM. HONOREM. GLORIAM. INCREMENTUM. ANNUS. CHRISTIANÆ. SALUTIS. M. DC. LXV. ET. DIES. QUINTUS. OCTOBRIS. ACADEMIÆ. KILONIENSIS. SEMPITERNUS.

CHRISTIANUS ALBERTUS.

Dei Gratia Episcopus Lubecensis, Hæres Norvegiæ, Dux Slesvvici, Holsatiæ, Stormariæ, Dithmarsiæ, Comes Oldenburgensis, & Delmenhorstanus. CIMBRIÆ suæ suffectus Hercules, dum humeris, concussam bellorum incommodis, imperii molem excipit; iisdem, quibus Patriam omnem, (*futurus po-*

pulorum PATER) etiam liberales ſtudiorum artes, cervicibus libravit. Nam, quæ, flagrantibus bellis, inter Mavortis furores, inter tubas & tympana, inter faces globosque, atque galearum, haſtarumque concurſus, inchoari non potuit ACADEMIA, eam, ſublatâ tempeſtate, Pace reddita, Ducali liberalitate, & animo, perficere ſtatuit; conſtanti voluntate, Paternarum virtutum, ac Bonorum hæres, paribus, quemadmodum Divus Genitor ſuus, ad SAPIENTIAM, veſtigiis graſſatus. Nec potuit non rapi, ad ſimilitudinem illius, à qvo fluxit, excellens indoles, & ſimulacrum referre cœleſtis animi, decerptâ, hauſtâque à FRIDERICO, aurâ. Ut cui, unica, dum vixit, ſapientiæ cura fuit, eam qvoqve in FILIO & Succeſſore chara Poſteritas promoveret. Nec immeritò. *SAPIENTIA* enim omnibus intereſt, omnibus lucet, omnibus imperat, omnia illi uni famulantur ſecula. Hæc, univerſa ſpectat, æterna tenet, curat mortalia, & per tot humanarum actionum reciprocantia, regna & imperia, moderatur. Divinarum aſſiſtrix ſedium, & cuncta terrarum dominia diſpenſatrix, porta cœli, ars vitæ, naturæ miraculum, ſalus Principum, lux & regula Populorum. Hujus auſpiciis, imperavêre Cæſares, duravâre Reges, floruêre Principes. Hac, *CAROLI*, Magni: *CHRISTIANI*, glorioſi: *ADOLPHI*, immortales. Inclytus Regni Neapolitani Princeps, *ROBERTUS*, adeò hujus ipſius amore Sapientiæ exarſit, ut ſæpè diceret: *Cariores ſibi literas, Regno eſſe.* Non diſſimilis vox, aut dispar animus, magni *Alphonſi*, Ducis Arragoniæ, *malle ſe omnium Regnorum*, (ſeptem, cum hoc diceret, numerabat) *jacturam facere, quam minimam literarum.* Quid de viro illo Principe referam? *qui librum apertum*, pro Gryphis & Aquilis; pro Leonibus, aut Pantheris, qvo illuſtriori ſapientiæ immortalitate duraret perennis, in avita tranſtulit inſignia. Quid de diviniſſimo Salomone dicam? cujus hæc unica gloria. *Datus eſt mihi* (inquit) *ſenſus, & venit in me Spiritus Sapientiæ, & præpoſui illam Regnis, & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparationem illius. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, quoniam inæſtimabile eſt lumen ejus.* Non poterat divinus *CHRISTIANI ALBERTI* Genius, ad eam, qvæ *regna diſponit*,

Præconium ſapientiæ.

ponit,

ponit, & dispensat imperia, non aspirare sapientiam, cujus ope jam pridem & ab initio ducalibus humeris, rerumq; publicarum salus, privatarum tutela, Patriæ regimen ac cura, feliciter incubuit. Cujus nutu, prima adhuc ordia, cœlestis ordiebatur favor, & jam seqvuntur progressus initiis pares; extrema, famæ & gloriæ, reservantur. Magnum plerisque impedimentum, Principes nasci: siquidem prona cunis assistit rebus arduis, ambitio, nondum inchoatæ fortunæ mole; qvæ, ut adolevit, atqve sui juris esse cœpit, quærentem multa, ubiqve stimulant; quæsitis incubantem, attollit aut turpis avaritia, aut deprimit fatalis ignavia. Non CHRISTIANUM ALBERTUM, Principem optimum, & avorum sanguine etiam Regium, afflavêre illi Regnis fatales æstus, non in transversum egêre, successio, opes, imperium. Verum statim in ipso regiminis limine, adeò sapientiæ flagravit amore, ut ejus studio, se & alios animaret, & ne Duci sola viveret, voluit ut etiam Ducatibus nasceretur. Qua mente? qvo consilio? ea sanè mente, ut parendi & imperandi artes perdisceret; ut in insidiosa hostium consilia, ac potentiam aucupantia, perrumperet: ut nosset multa, nec esset multus; semper majoribus & necessariis affixus curis; ne diminutione ducalis purpuræ & dignitatis mutanda faceret, aut pœnitenda; & illis, qvibus præesset, etiam prodesset, non tantum bonis artibus locando monumentum; sed etiam relinquendo Posteris, *imperii futurum exemplar*.

Ergo firmaturus negotia publica, CHRISTIANUS ALBERTUS, ut est animo & ingenio, ad famam & gloriam, præsenti, factoqve, magnis consiliis rem aggressus, totam excussit mentem, ut opus *Sapientiæ* perfectissimum, & dignum suo fastigio, fastigium, conceptum à DIVO FRIDERICO, velut obsidem immortalitatis, absolveret. Verum, ut magnis incœptis, magnæ plerumq; interpellationes obveniunt, hic etiam malorum causæ, conatibus obstitêre. nempè, Bellorum proximè tumultus, & ex bello proventuum ex agris inopia, egestas subditorum, mercaturæ prolapsus & detrimentum, Ducalis ærarii, & rationum conturbatio; qvæ mala, ab aliis contempta, aliud ex alio incom- *Causæ obstantes.*

modum, velut propagine, ducunt. Accedebant, & quasi jam oculis spectarentur, impendentia bellorum mala, & ex vicinorum Principum discordia, inopinæ faces, hactenus quoque bellis vastata, triste sui vestigium reliquêre. Non deerant Politicorum querelæ, & passim quasi vulnera inflicta, calumniantium voces. Scilicet, in hoc ferreo rerum seculo, qvo, & patientia in rabiem, iræ in rixas, rixæ in furores

Objectiones calumniæ; & Polit. querel.

Et curvæ rigidos falces vertuntur in Enses.

proventus ducales melius, ad bella gerenda, moderandam Pacem, fines tuendos, & arcendos hostes; quam in otium literarum, ac literatorum desidiam impendi. Non deesse *Academias* orbi, in Germania multas, non paucas in vicinia, in quibus, minori dispendio, bonis artibus dicata juventus, ad virtutem potest erudiri. Non quod erudiatur, proh dolor! sed *potest* duntaxat, sola potentiâ, sine actu relictâ. Nam quotus est, qui aliquid proficit? Supervacaneo discendi studio, aut mero studiorum otio, conficiuntur ipsi prius, quam aliquid efficiant, & cum multa susceperint, irrito conatu, pleriqve cum oleo, & operam perdiderunt. Quid, quod ipsa Studiosorum, pejor otio *licentia*, tanto hodie horrori est Urbibus, ut nemo qvoqve in CIMBRIA, securitatem polliceatur, timori DEi, Principis reverentiæ, amori Patriæ, observantiæ Legum, uno casu, qvasi ictu, ruentibus per insolentiam, fide, obseqvio, diligentiâ, modestiâ. Verum demus aliqvos, multum in literis profecisse; qvibus, si mali mores accesserint, & præceps quædam vis audendi, ingentes ubiqve rixas dabunt. Nimirùm horum linguis, calamisqve, est exitus maximarum rerum definire, conversiones Regnorum adornare, fortunæ legem dicere: & quod ultimum est in scientiâ, summis, mediis, infimis, ditiones & substantias partiri, acta revellere, confundere authoritates, & in neces quoqve Principum argutari. Quid porrò de ipsis censendum artium disciplinis? qvæ, ubi disciplinam exeunt, Rebuspubl. non modo inutiles sunt, sed plerumqve pernitiosæ ac infestæ. Ipsa qvæ divinissima est, *Theologia*, (multas facultates prætereundo) quot patet odiis, dissentionibus, scissionibus, schismatibus, hæresibusqùe & tot jactis in conscientias facibus,

bus, ut jam inter tot *fides*, sit nulla fides, dum maximè hoc infideli seculo

Nunquam plus fidei, perfidiæq; fuit.

inde Christiana charitas exulavit. De juris prudentia nil referam, & inde propediem casuram humanæ societatis fiduciam. Illustris scientia, ex qva pendet magna laborantium Regnorum, ac Rerumpub. judicia, multæ Leges, infinita statuta, Magistratus nulli, cum illa sine obseqvio, & hi sine honore sunt. Ita evenit, postqvam tot acuti Legislatores, tot flagranti æmulatione Doctores extendere cœperunt, suisque inventis luxuriare, nullus illis imperandi, nullus docendi finis est, cum sit, fueritque omnibus aut discendi, aut obsequendi. Ut non immeritò, à severioribus olim Rebuspubl. Literæ penitus damnatæ, solum vertere coactæ sint. Siquidem, qvi florentissimas *Athenas* novit, nec ignorat *Romam*, orbis qvondam Dominam, certè illic publicis Legibus proscriptæ; isthic, Domitio & Licinio Coss. cum Scholis disjectæ ac dissipatæ sunt. Emolliunt quippè post multam perniciem, artes liberales adolescentium pectora, in nullum non vitium atque scelus projecta, quibus si accesserint publicæ dignitates, nihil in fastigio sunt, nisi fastigia, & ut Cupressi cætera steriles, præter speciem nihil habent honoris. Fortunâ contenti, deliciis evirati, emasculati voluptatibus, reqviescunt; & alii post similes luxu languidi, vincuntur fatali omnium ignavia. Perventum est ad summa, qvis enim non intelligit, desidentibus in otio literarum, corporibus; singula ad vitæ usum ac commodum Patriæ, publicumque decus, flaccescere, aut interire? ne multa, qvis navigabit? sulcabit maria? negotiabitur? colet agros? defendet penates? omnibus in otium literarum ac desidiam projectis. Timuit *Sesostrates*, providentissimus Rex Ægypti, ne bello, agris, & officiis humilioribus homines deessent, publico Edicto procuravit, ut qvam quisqve Pater, artem exercuit, eam filii profiterentur.

Ista quidem, aut his majora, qvà publicè, quà privatim jactabantur ab imperitis, aut spargebantur à calumnia: qvorum, si voces deteriores excipias, erant pleraqve, à modesti-

ori-

oribus profecta, ut essent experimentum verius Literarum, qvam contemptus. Quo, etsi nullam laudem affectare possint, tamen sentiendi Libertas, in aliquibus extollenda, qvod in iis qvoqve rebus, qvæ ad necessitatem, vel ornamentum pertinent, non tam sensu calumniæ, quam suo judicio, liberrimè sensissent. Indignissimi hominum, sunt illi, qui leges divinas, humanasqve flexibiles, trahunt ad potentiam nutus, & dum consuluntur, suspensa respondent, & quo ducantur expectant, in omnem infamiam pro suis utilitatibus ituri. Cæterum objiciebantur hic aliqua, aut ad speciem veritatis concinnata, aut commodata ad odium, maximè ab iis, quibus ex ignorantia Literæ viles sunt. Quæ omnia, si severioribus argumentis convelli possent, jam non ad contemptum, sed solatium qvoqve pertinebant, literarum.

Inter eos, qvibus bonarum artium institutio semper placuit, & necessariam populis credidêre; ut etiam altiùs iis insederit Amor sapientiæ ac literarum: Fuit *Generosissimus atq; Excellentissimus* VIR *JOHANNES ADOLPHUS KIELMANNUS, à Kielmans-Ecke, Hæreditarius. Dominus in Satropholm, & Obdorff, Canonicorum Collegii,* (qvod est Hamburgi) *Præpositus.* PRÆFECTUS *in Reinbeck, Trittou, & Moorkirchen. Serenissimorum Slesvvigæ, & Holsatiæ Ducum, DIVI FRIDERICI, & hodie feliciter Regentis Principis, CHRISTIANI ALBERTI, Aulæ* CANCELLARIUS, *Cameralium rationum, secretiorisq; admissionis, atq; sanctiorum consiliorum* PRÆSES. Tot titulis, tot honoribus, incertum melior, an major virtutibus, certè ubiq; maximus, & summus rerum privatarum publicarumque *ADMINISTER.* Hujus talis, ac tanti, cum in *Actu* hoc *Inaugurationis,* atqve in ipsa nova institutione ACADEMIÆ, freqventissima futura sit mentio, operæ pretium visum fuit, ne repetenda feriamus sæpius, altius aliqva referre, atqve tantisper in ejus meritis immorari. Blandiendi hic publicè, nec locus, nec gratia, cum illum laudare etiam viventem, citra obtrectationem, vel ipsa cogatur invidia. In seipso enim habet, qvod maximè laudabile est, nempè qvi laudabilia facere mavult, qvam laudari; nec expectat post fatum, qvam vi-

vus

vivus meretur, famam immortalem. Adeò in KIELMANNO, divinam erga eos providentiam mirari & agnoſcere licet; nec minus, quantum velit deberi talibus, qvos ad perfectiſſimam conſiliorum ſummam, atqve conſummatam dexteritatis in rebus imaginem, aulis, regnis, imperiis, bono Principum, terrarumq; commodo, publicè conſtituit. Quis enim neſcit conformatum KIELMANNI ad omnem benignitatem ingenium & naturam, in ſumma tum fortunæ tum animi magnitudine, ita temperatam, ut ſe, qvi par eſt felicitate maximis; facilitate, vel infimis exhibeat. Quam ſanè virtutem idcircò majorem cenſeo, quod faſtum declinare, ſcopulum illum, ut plurimum magnis fortunis & honoribus oppoſitum, animadverto in KIELMANNO tam laudabilem eſſe, qvam rara eſt. Quis ignorat liberalem comitatem? qvam non modo Gottorpiæ, in *Holſatia*, ſed in orbis Romani ſede ac Theatro, *Viennæ* & *Ratisbonæ*, in publico Cæſarum, Electorum, Principumqve Comitio, publicis functionibus ad omnes profeſſus, adhuc profitetur aſsiduus; atqve ſine perſona, ſine fuco, infra ſe deſpicit eorum fortunam, qvibus *humanitas* appellatur *ſervitus*. Cui ignota eſt prudentia illa, animiqve celeritas cum mora conjuncta, rebus & conſiliis opportunè providendis? præter teſtimonium Patriæ *Suecia, Dania, Germania* loquuntur. Quis non admiratus eſt, illam ſolertiſſimi pectoris dexteritatem? in animis virorum Principum penetrandis, eorumque inter diverſa privatarum ſtudia utilitatum, in uno KIELMANNO conſulendo amandoqve conſenſum? Teſtantur merita, tot publicæ transactiones, inita fœdera, pacta dotalia, conjugum ſponſiones, compoſitiones litium, pax armorum, animorum concordia, omnia *Kielmannianæ* dexteritatis, inter Rges, Duces, Patriam, vicinosq; publica monumenta. Hanc laudem, hoc encomium FRIDERICI, CAROLI, omnes Auguſti: aut belli Duces, aut pacis Principes, certè Reges KIELMANNO dedêre. Regium iſtud eſt: *Eum non in Aula duntaxat Domus Regnatricis HOLSATIÆ, ſed & in univerſa Europa maximorum conſilio & prudentia Virorum famam & gloriam adæquaſſe, mediocrium pariumve etiam ſuperaſſe:* nempè, non otio ſed nocturnis diuturnisq; laboribus, indefeſſo in commo-

Hæc Author habet ex ore Caroli Guſtavi Sueciæ Regis.

F da

da Patriæ ſtudio, intenſo in Principes amore & obſequio per ſolis æſtum ac imbrium fluxus, per tempeſtates & procellas, per aëris temperiem, ejusdemque inclementiam & frigora, domi forisq;, bello paceque, ſive ſingulari ejusdem naturæ, quæ ad immortalem famam, ingenia regit, indulgentiâ; ſive ſuaptè ingenii, voluntatisque, in boni publici emolumentum, inclinatione; certè quotiescunque difficillimarum rerum moles occurreret, deprehenſum ſemper fuit KIELMANNI indolem, non niſi ſumma facturam, laudata per initia, jam ab annis triginta, ad ſolida rerum famæ ac gloriæ incrementa proceſſiſſe. Adeò rebus geſtis, meritis & virtutibus, vitæ ſpatium ſupergreſſus, ut velocitate animi, *indefeſſus agendo*, ſeculum exceſſerit. Irem per omnia maximorum decorum ornamenta; verum hanc prædicandi copiam, ipſa olim ſeliget Patria, & quoties induet recordatione FRIDERICOS, & veneratione proſequetur CHRISTIANOS ALBERTOS, toties in animum revocabit KIELMANNUM, cujus delibata merita, glorioſa libertate ipſa decerpſerit, ita ut hodiernam quoque felicitatem, poſt DEUM & providentiam, poſt primas Principum curas, uni KIELMANNO debeat. Nec ſeliget iſta duntaxat Patria, ſed etiam efferret KIELMANNUM, dicetque ex Poſteritate felicem, nam præter univerſum tempus, quod officiis Principum, & ſaluti Patriæ indulget, tres quoque Filios, *JOHANNEM HENRICUM*, *FRIDERICUM CHRISTIANUM*, & *JOHANNEM ADOLPHUM*, ornamento atq; emolumento Aulæ Patriæque impendit, haud indignum, etiam poſt Phœnicis ſecula, præconium. Nos oſtendemus Poſteris, EXEMPLUM, ut pulcherrimo æmulationis charactere, gloriam naſcendi, nutriat vivendi decor, & velut reciprocante fluctu, recurrat in progenitorem, ne tantum ab eo gloria recipiatur, ſed & eidem reddatur. Laudabit Patria KIELMANNUM ab honoribus, multum enim eſt, inter *Magnos* cenſeri. Nos prædicabimus emeritæ per triginta annos gloriæ, ſummum decus, quo, ad utilitatem civium Ducumq; officia effloruit: cujus præſtantiâ, velut quibusdam alis, ſpe & cogitatione, ultra ſecula provolamus. Extollet Patria KIELMANNUM, ex prodigioſa fortunæ machina,

chinâ; hanc ei DEUS, summam præstet, & destinatam feliciter, Numen felicius confirmet; verum qvia hæc in potestate nostra non est, nec virtutibus accenseri meretur. Nos laudabimus in ipsa rerum, hominumque inconstantia, *CONSTANTIAM*, quæ, igne & ferro toties permixta, & velut radix nunquam terræ suæ evulsa, ejus pectori solidè implicatur, etiam inter mille discrimina, tutam & securam. Celebrabit Patria in *KIELMANNO* Religionis ingenitam suiqve consolatricem pectoris *Pietatem*. Nos toto hoc opere, vel maximè proseqvemur laudibus, curam & studium literarum. Nemo *KIELMANNO* elegantius publicam sollicitudinem, erudito otio dispunxit. Sublimis & erectus animus, idemque & principalium curarum capax, & scientiarum incredibilis æstimator, sic utriusque gloriæ pulchritudinem occupavit, ut cum maximorum concursu negotiorum, paria faciendo, iis solis invigilare videatur; rursum ad amœna literarum divertendo, ea spiritus sui monumenta statuat, quæ, qvasi id solum, nec quidqvam aliud egisse eum, Posteritati sint persuasura. Adeò amore, ardoreque in artium disciplinas, atque in hujus præcipuè ACADEMIÆ Kiloniensis institutionem propensus; ut illas honestare discendo, hanc etiam adversus calumniam amplificare voluerit defendendo. Cum enim (quemadmodum supra retulimus) plurimorum sinistræ voces, adeò debitum tollerent, & meritum confunderent literarum, ut fundandæ etiam ACADEMIÆ propè interverterint propositum. Admonebatur *KIELMANNUS*, proprio qvoqve instinctu, tandem & muneris sui dignitate, ut quoniam ream calumniam satis audiverat, accederet in consilium, & qvem diu pendentem, hærentemque habuêre bonæ mentes, sententia pronunciata dimitteret. Igitur qvanto propior vero, tanto remotior ab affectu, haud dejecto ad gloriam sensu, *PRÆSES* locutus est.

Quandoquidem complures, hoc seculo ferreo, non literarum amor, sed contemptus regit, ut bonas artes, atq; ipsam Institutionis necessitatem, sensu calumniæ, secessione meliorum partium fecerint irritam; non tam multæ authoritatis causâ, quam Reipublicæ Literariæ universæ, PATRONUS accedo, eversumque bonarum artium auxilium, rationibus

tutabor. Et primo quidem, ut necessaria amoliar, priusquam calumniantium voces oppressero, non diffiteor, nervum & instrumentum rerum gerendarum PECUNIAM *esse; & quemadmodum Bella, arma, domus, agri, fundi, commercia, ita literæ quoq; in illius tutela sunt. Verum assumpsit sibi earum partes, primo gloriosiss. memoriæ,* DIVI FRIDERICI *meditatio & cura: hanc auxit* Serenissimi Principis, CHRISTIANI ALBERTI, *Domini nostri Clementissimi providentia; ut jam non sit necesse, ex vocibus calumniæ recurrere ad saginata lachrymis, aut sanguine tincta, Tyrannorum remedia. Credo equidem, & scio, multa recenti bello absumpta esse, cibum, potum, opes, pecudes, pecuniam Quippe in istam Patriæ nostræ charissimæ vastationem, ex quâ nondum emersit tota, animum intendendi, recurrunt recentia sævæ Pacis exempla, odiorum memoria, externarum Legionum, velut rumpendæ Pacis obsidum, per villas, urbes, campos, grassatio. Aspicio illum statum, in quo ipse gloriosiss. mem. FRIDERICUS, paullò ante tot terrarum* DOMINUS, *ex defensa libertate, ne juris quidem sui, ac vim dignitatis retinuit; sed relicta fortunæ suæ sede, per terras, populumq; subjectum, mœstissimus processit, ut unius præsidii tutelæ, innocentiam committeret, hoc est, exiret de imperio, magno documento instabilis* FORTUNÆ, *summa etiam miscentis. Quæ, cum vertendis rebus semper occupetur, pulcherrimumq; rerum ordinem interturbet, ita tunc & importunius atq; extra modum se gessit, cum diuturnam & bono Holsatiæ nunquam intermissam in FRIDERICO felicitatem, acerbissimi funeris interventu abrupit. Tinnit adhuc in auribus tubarum ille clangor, fragor tympanorum, & fatale tormentorum carmen, atq; in tanta rerum omnium ac orbis propè totius vertigine, quæ nationes & Duces, Reges miscebat & Cæsares, obversantur oculis infausta signa, & post fortunam partium, armorum violentiam, aspicio Tonningæ calamitatem, & cognatis castris obsessam cum regnante Principe ducalem familiam; atq; ab hostibus, non tam Urbis munimenta, quam acquisitæ potentiam libertatis oppugnatam, ut simul augusti funeris facem, feralibus bellorum tumultibus circumferret; tanquam fato constitutum fuisset, ut cum ducali pompa, suam quoq; securitatem infelix Holsatia efferret. Teneo recenti memoria, & quasi exaudire videor, voces, questus,*

ſtus, gemitus oppreſſorum, & lachrymas, cædes, vulnera, funeraq́ꝫ ſubditorum, qui per implacabilem exactorum avaritiam, ad imas usq́ꝫ medullas depaſti, contributionibus, conſumptionibus, capitationibus, occationibus, acciſis, & angariis, res quidem diverſiſſimas, ſed unum ſignificantes, patiebantur; Soli, cœliq́ꝫ extorres, & nec Aſtris, nec in Raſtris tuti.

Sunt iſta quidem vera, quorum luctuoſa memoria atrociores etiam perſtringat oculos; ſed hujus ipſius ſtatus, jam lætior vultus, nihil non pollicetur Pace, quod bello amiſit, ut tantis turbinibus opus fuiſſe videatur; perinde, ut nunquam lætior dies eſt, quam ubi triſtes nebulas, ſolis radii diſpulêre: ita felicitatem, quæ inde nobis nata eſt, immodicam; tunc interpellavit armorum horror, atq́ꝫ animorum diſſidium, ut tanto ſolidiorem aliquando haberemus. Adeſt memoranda Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini noſtri CLEMENTISSIMI, *providentia; cujus præſentiſſima ſollicitudine, non amplius exequias ibit libertati Patria. Nullus metus firmatæ cauſæ è corpore, ne omnia ſua, quod in funebri pompa extremum eſt, uno cum Auguſto FRIDERICI funere conclamaret. Vivit CHRISTIANUS ALBERTUS, cujus ſub auſpiciis præſentem rerum felicitatem, cum ad faſtigium humanæ magnitudinis, è tam difficillimis initiis æterna rerum providentia, in ſpem proximæ maturitatis perduxiſſet, eadem, perpetuum indulgentiæ ſuæ fructum, Cornu copiæ promittit. Ut ſub hoc demum Principe, maximum Holſatia commodum ſentiret, & huic quam habet tranquillitati & gloriæ, cœlitus deſtinaretur. Quid dicam de fertilitate & abundantia? & inde natis populis divitiis? facient opes & pecuniam, ac jam faciunt, arvis tot læta paſcua, tot ſilvæ, tot artes, tot humanæ induſtriæ, tot fluvii, tot aperta, partâ pace, vehendis mercibus littora. Auri etiam argentiq́ꝫ venæ, quas, tam ſæpè nocentes fecit, fœda mortalium avaritia. Siquidem, non deſunt adhuc Ducales theſauri, quos Majorum provida ſedulitas aggeſſit; tot veteres gazæ, tot hæreditates, tot agri, tot domus, tot jura, tot dominia, tot caducæ facultates, tot terræ, mariſq́ꝫ, imperia. Et ſi ad regium faſtum, pompæ ducalis adornata magnificentia, eam habeat abundantiam, ut & lividorum oculos feriat, neq́ꝫ ingens Miniſtrorum copia, poſſit de inopiâ queri, nec*

largitiones corrumpere avaritia; adeò, ut creditorum quoq; tabulas & rationes subductus expungat quotidie census, desinatq; esse paulatim in ære alieno. Quantum illud est, aut de quanto, quod infra minores Aulæ curas aut dignitatem, ACADEMIÆ conveniat? Planè tantum fecit, aut addidit ex suo, divina Principis nostri bonitas & industria, ut neq; ad scriptas cruore Leges, neq; ad madentes sanguine populorum catastas, sive terrarum excidia, sive innumerabiles oppressorum gemitus, opus habeamus recurrere; aut tyrannorum consuetudine, ad alienas felicitates, vago & crudeli rationum agmine grassari. Expuncto subsidiorum metu, quis ille metus, aut omni pavore, turpiores querelæ? Profectò, qui damnant literas, damnare etiam oportet æternâ ignorantiâ REGES, & sub quibus degunt PRINCIPES, quia imperio potiri debeant, quod sine multarum rerum notitia regi non potest. Imbuendos esse literis omnes, non est unius hominis opinio, sed sensus generis humani. An nasci tantum sufficit, nec ita institui, ut DEUM, se, mundumq; nosse debeat, tum naturam & magnæ mentis imaginem contemplari? Profectò scire Rectorem & Universi regimen, res opesq; humanas discutere, considerare quid simus, & quidnam victuri gignimur, quis ordo vitæ, quis cursus, & ubi meta, Literarum *atq;* institutionis *beneficium est. Quis Deum ritè colat insipiens? quis Reges tractet, aut cum Principibus conversetur; quis brutos faciat, qui Dii sunt hominum, & si duces mortalium, quo, sine scientia ducturi? si oculi sunt; quid visuri sine luce sapientiæ? Certè, qui rerum jam potiuntur Eruditi, plus habent authoritatis apud omnes ordines, plus timentur à pravis, à bonis etiam impensius amantur: suspiciuntur ab ignaris, à doctis flagrantissimo studio ambiuntur. Latere multos, & hærere in salebris, ignorantia facit. Pudet non esse homines, tentant ambiguè verba; timent ne quid stolidè effutiant, atq; tacitis etiam cogitationibus verberati, semper ad ludicra declinant, nihil in seriis ausuri. Qui hæc nec capiunt, nec intelligunt, desinant in cæteris fortes, aut meticulosi, cavillari. Ego sic existimo, gentem quæ cæterarum dominationem appetit, avidam ferri, & gnaram esse oportere; verum quam pessime constituantur Respublicæ, quæ, ad bellicas tantum artes sunt conformatæ, apparet ex ferocitate populi, in sua sæpè viscera grassantis,*

imi-

imitantisq́; quæ in defectu frumenti ignem concipiunt, molas Pistrinorum. Nullus apud nos metus, ne fortissima CIMBRORUM *pectora, literarum emolliat institutio, cum hinc pleriq; gloriam, non magis Marte, quam arte inclyti, quæsiverint: adeò post frequentissima etiam bella, terra, mariq́; gesta, nunquam deerunt, qui duros militiæ labores ferant, qui periculis caput objiciant, parati fortiter agere & pati, pulchramq́; ferre per vulnera mortem. Nil opus est sinistram Atheniensium fortunam vellicare, aut rudes Romanorum consulere mores, quin potius contemplandus ille Majestatis fulgor, qui sub* Augusto *resplenduit, cum* Roma *terrarum Dea, & gentium Domina haberetur. Erat tunc incitatissimus studiorum vigor, cum florentissimis ingeniis abundaret imperium, & maximis undiq; præmiis alerentur ad decus. Neq; parendum est Regis barbari formidando Edicto, quo, optimis ingeniis, iter ad libertatem & gloriam præclusit, adversus virtutem & naturam ipsam, contumacia pari: quippè non propterea viliora cessabunt officia, aut inculta mapalia obruent tribuli & spinæ, vel deerunt nautæ, aut milites castris. Nullum adhuc est vitæ genus in* Holsatia, *quod suos non habeat Professores, faciet etiam imposterum spes lucri, faciet egestatis metus, ut atroci ferventius occurrant necessitati, quos, supra lucrum metumq́; æterna provehit* Providentia, *quæ omnibus interest, omnes regit, sua cuiq; ostendit fata, & in cognitas res & artes, manibus suis blandissimè omnium non tam trahit, quam dispensat ingenia. Ut jam nemo sit qui non rideat, aut etiam indignetur, ad indigestas ratione querelas: effæminari per studia literarum, fortiores animos, inde vacare rura cultoribus, exhauriri commercia, armorum exercitia tolli, desidentibus ad Lycea per socordiam Literatis. Certè ipsi qui hæc sparsêre, neq́; arare volunt neq; militare, sed ubi fastidioso stomacho, ampla quædam verbis judicio minuta, præcipites eructavére, putant se summum civilis prudentiæ apicem attigisse. Nunc quod caput est, ad hoc fundantur Academiæ, ut in iis, acri studio, pervigili curâ, & vario exercitiorum genere, instituantur adolescentes: maximè, qui Ecclesiasticis muneribus, qui Reipubl. gerundæ, qui militiæ obeundæ & administrandæ, destinentur. At horrori est juvenilis licentia? nimis hanc multi hodie declamant, qui res, hominesq́; nesciunt, & omnia ex suo ingenio, nimis for-*

tasse

tasse severo metuuntur. Sed non est nobis cum priscæ ætatis viris jurgium, verum cum eorum severitate contentio, quæ crudelitate etiam ad innocentiam grassatur. Nam si quis omnibus imponat, projectam ad audendum vim, & nullam ad resipiscendum conscientiam, necesse est, ut optimos quoq; licentiæ ac perversitati objiciat. In hoc florentes integritate Viri, *in hoc* Leges *incumbent; primùm, ut minime mali sint Adolescentes, deinde etiam quieti & obsequentes. Ad hæc multum proderit nec aspera nec sæva, nec soluta aut luxurians, sed mitis severitate disciplina, laudabili constantiâ, eodemq; semper tenore perseverans, ut assuetudine virtutis, & pudore flagitii, in optimum vitæ statum facile perducuntur, & cum pervenerint, immoti consistant. Posteaquam hi Dictatores, liberam ingeniorum atq; juventutis indolem, in sævum quoddam necessitatis pirstrinum compingunt, ut non solum naturam vexare, sed etiam cum bonis artibus bellare videantur; maximo illis dolori sunt ipsæ Literæ, nempè tot maculis nocentes. Verum enimvero, si propter pravas abutentium artes, omnia continuo de civili societate sunt rescindenda, optimis quibusve rebus carendum erit. Non igne, non sole, non vino, non medicina utentur mortales; omnia sævientibus invisa, ignorantibus suspecta. Nunc quid periculosius ferro? & illud usu mollescimus: quid lethalius veneno? & hoc medicinam temperamus, ut consulamus saluti. Venio jam ad* Compendium, *quo, consultissimo Philosophorum axiomate,* non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, *nimis inconsultè Ducali libertati, parsimoniæ præscribunt remedium. Scilicet* ACADEMIAS *quamplurimas esse; quid inde? nullam unquam in* Hollatia *fuisse, quis negat? ut jam sit, concedet vel invidia* interesse CIMBRIÆ. *Stultè foris, per tot opum, aut dolorum dispendia quæritur, quod tanto compendio, domi ad manum sit. Unde magni viri prodeant, ubi indoles læta expoliri, & in solem ac pulverem educta, multis exerceri artibus, præmiis ali, & stimulari ad gloriam possit. Addo, nimium maligni sumus, in tantorum Principum laudabiles conatus, atq; in ipsa beneficia ingrati, si* Patriæ *hanc utilitatem,* Patronis *famam & gloriam invidemus. Hoc tuum* Cimbre *decus, hæc Tua* Hollatia *felicitas, si, quum alibi infelicium exitia populorum, minatur inopia*

viro-

virorum præstantium; vobis Domi ACADEMIA *sit, ex quâ velut è fœcundo Myrmidonum populo, Viri, domi forisq; præstantes, virtute & consilio præcipui, Pacis atq; armorum gloria illustres & famosi prodeant ac nascantur. Verum quis omnia refellat? qui literas atq; literatos cæcis vel apertis ictibus feriunt, odio nocentium ipsam innocentiam exosi. Certè enim primùm criminibus, deinde etiam legibus, quasi viarum quibusdam anfractibus, secula cum hominibus laborarunt. Fecit hoc censorum multiplicium nimis sagax cura, & quædam ardoris intemperies. Concupivêre omnia actionum momenta, ad censoriam referre virgulam, nec abest, quin singulos literarum apices hodie numerent, & quæ naturæ exigit necessitas, ex præscripto fieri existiment. Inde tot ineptæ voces, tot insensata sine sensu dicta, ubiq; laquei (ut vidimus) & compedes. Indoleo, tam importunis remediis gloriosam intentionem Serenißimi Fundatoris curari, quare nodos, quos dissolvere nec ipsa potest invidia, virtute Macedonis rumpamus. Quid enim aliud faciendum, cum ea audire jubemur, quæ nec numerando valemus recensere. Omnia, quæ artibus & scientiis traduntur, necessaria sunt Orbi & Patriæ; sed dum leves & otiosæ hominum curæ, ista ventilant, impugnant vera, adlatrant innoxia, convellunt bona, obscurant omina, opem nullis, crucem omnibus paraturi. Vexant literas, quas nunquam intelligunt, & sudant, post se improbo labore sudaturis. Quorum imperitiâ damnata ad lamiæ turres, & inconsultâ calumnia, censeo, ut ACADEMIA, cum bonis Artibus stabiliatur, cujus institutione ac disciplina, sit Ecclesia speciosa, nobilitas incluta, populi mansueti, magistratus verendi. Figant sedem in* Holsatia, *regiæ Literæ, ut ad pietatem, justitiam, temperantiam, fortitudinem, aliasq; regias virtutes, ad cæterarum gentium æmulationem, aut orbis invidiam efflorescant. Ita planè statuo, qui HOSTEM FERIET, ERIT MIHI CARTHAGINENSIS.*

Magno assensu celebrata sententia, nullum non permovit: imprimis annuebat *Kielmannianis* dictis, in CHRISTIANO ALBERTO, augusta mens DIVI FRIDERICI, qvi magnis eruditus experimentis, jam & veritate & cœlo potitus, etiam cum viveret, aut moreretur, non aliter censuit. Annuebat, qvi nunc est apud CIMBROS (dum

hæc ſcribimus) rerum ſtatus, ubi ordinis Equeſtris vota, Conſiliariorum, Miniſtrorumque omnium concordes curæ, literis applaudunt. Annuebat alta Pax, & illa, quam ſupremum Numen HOLSATIÆ diris bellorum laboribus exercitæ conceſſit, *otii dulcedo*. Ita *DEO*, Cœlo, Patria, ſentientibus, ſtabilitum eſt, Sereniſſimi atque Celſiſſimi Principis, CHRISTIANI ALBERTI, decreto & voluntate, ut ACADEMIA, in CIMBRICA Cherſoneſo fundaretur & perficeretur, niſi qvod de *Loco*, *modo*, *viris*, *mediisque* pendebant animo. Et qvamquam *SLESWIGA & KILONIA*, Urbes, eſſent palam in oculis, utri tamen hæc daretur gloria, ut *Palladium* immortalitatis, aut *Sapientiæ* ſacrarium appellaretur, non levis inter æmulos animos emerſit dubitatio. Alii Urbis *Slesvvicenſis* ſplendorem, illius prærogativæ deſtinabant, quod nobilitate originis, famæ, Aulæ, privilegii, Urbes HOLSATIÆ ſuperaret, nec vana Cretenſium jactatione ex parvi Jovis natalibus, ſed à memoria ſeculorum, Ducum Regumque Genitrix, tot Principum gloriaretur non fruſtra cunabulis & monumentis. Verùm, quibus KILONIA placuit, his ipſis evertebatur laus & opportunitas SLESVVIGÆ, qvibus cæteris anteſtabat. Antiquitatem nominis ac famæ ſubruebat hodiernus ſqualor, & diuturni belli reliquias, ruinasque vivaces & vaſtitatem, non ſatis penſabant paucarum ædium publica faſtigia. His accedebat, quod cum *Aulis* & *Aulicis* difficilis in tanto ſtrepitu Palladis & Minervæ conventio, quibus nulli Dii, niſi inferi, aut tantum Genii & Lares, qvos primum Politicorum artes, per tot nervos & curas, arcanis machinationibus, conſiliis & adjumentis repererunt, poſtea *Berillus*, *Buchananus*, *Miltonius & Machiavellus*, tenebroſo Viri ingenio, & libidine gubernandi per omnia, mundo protruſêre venales. Quam facile ad omnia proclivis, & inſtar ceræ mollis adoleſcentia, Aulæ velificatione, ad ſyrtes & ſcopulos impingeret: aut qvæ adultior ætas, ſeducta ejus illecebris, excuſſa ſine negotio diſciplina, projiceret & virtutem. Ne multa, tantam ingeniorum

rum varietatem, quanti lusus in iridis speculis colorum, vix ferret gravior *Aula*.

KILONIÆ, omnia saniora suavioraque, quæ longius ab occidente submovetur, & serò licet, exteris commeantibus aut lacessentibus patefacta, apertiore incipit in dies fama noscitari, quam neqve maximarum sævities afflat aurarum, neque nimis Aquiloni propinquum frigus adurit, terræ suæ solo ac cœlo, optabili voto, temperatur. Cui etiamsi ad fastum & ambitum Romanum, thermæ desint, moles balnea vel amphitheatra, solari se tamē inter amœna fortunatorum nemorum, & ridentes naturæ delicias abundè præclaro situ sui potest, exoticis opportuna commerciis, & aut destinandis alio subsidiis, aut operiundis aliundè, in Oceani cupidissimè prosiliens amplexus. Hic vicinorum omne genus, hic ex Suecia, Dania, Pomerania, Germania, rerum delicias, & universim ea, quæ pretium à peregrinitate capiunt, aperit, invehitque flagitanti. Opibus, mercimoniis, ædibus, turribus, pontibus, littoribus, culta, amœna & valida. Hic famosissimum Creditorum & debitorum *Tribunal*, (Umbschlagh) mercatorum ac nobilium concursus, & innumera variis ex locis populorum frequentia. *Arx* & recessus *Principis*, forum, in quo omnia ad vitæ usum venalia, domus publicæ & privatæ, sacra DEO fana, ipsius æternitatis æmula, sciatericorum machinarumque artificia, horti, fontes, & cætera innumera, quibus & magnificentia urbis, & decus civium, & commercia exterorum commendantur. Ibi Verbi divini Ministrorum flagrans in animarum salutem studium zelusque. Ibi Præfecturæ, atque ipsius Præfecti authoritas: ibi agricolarum quotidiana frequentatio: pecuniaria negotiantium ars, sive mercatorum, qui monetæ, merciumque commoditate, stabiliant urbis ac civium firmamenta. Quanta humanitas! in singulorum ædibus, tanquam in orbis hospitio excipi: superflua distrahi, vendi necessaria, atque illa quoque, sine quibus vita non subsistit, justo pretio commodari. His orbis unitur orbi, & fit omnis natura communis, & mortalitatis nostræ damna pensantur. Adde fullones, sartores, sutores, tinctores *Laus & opportunitas Kiloniæ Civitatis.*

res, atque omnis generis artifices, qui, etſi contempti, & viles alibi, hic humaniſſimè foventur; quia nulla pars urbis excludi debet à cura *Civitatis* & obſequiis *Principis*. Cives ipſi morigeri & componente modeſtia benevoli & humani. Matresfamilias non otioſæ, ſed in educandis prolibus vel elocandis ſedulæ, filiorum, & quibus artes placuêre, ingens ad altiora ſtudium, ut vel ipſa ſola urbis juventus & augere & ornare poſſit exterorum frequentiam. Neque puellarum deeſt elegantia, grande bonum, an malum dixerim, neſcio, quia hanc nec ablegare ab orbe aut urbe ſine inſania poſſumus, & cum periculo retinemus, quia anxiæ ſollicitudinis, cum ſanitas & juventa, & affluentia rerum & molle contubernium in voluptuariam vitam præcipitant; unde naufragia corporis, vitæ, famæ, atque ipſius mentis. Dantur intra & extra Civitatis pomœria, loca luſoria; non ubi jaciantur aleæ, vel miſceantur chartifolia, quia & otioſa ſemper ſunt, &, ubi incaluerint rabioſa, in patrimoniorum naufragia & ſyrtes inventa; ſed, quæ vires augent, nec virtutem minuunt, amœna. Ubi jocus, trochus & pila, corpus exercent agitatione crebra & ſcita. Sunt loca, ubi omnium exercitiorum Palæſtræ, equitandi, digladiandi, ſaltandi, ultimum in choreis locum habet, & magis eſt muliebris, amoribus & deſidiæ nata; ſed pro varietate Geniorum immiſceri aliquando oportet adoleſcentes illecebris, quibus ſaltare non eſt indecorum, ſed eſſe ſaltatores, & tantum ſapere pedibus, qui capite maximè debuerant. Eſt extra urbem campus Martius, in quo equitare, currere, ludere, jaculari & digladiari licebit, ſed innoxiè, nam gladiatoriæ artis, nec ignaram omnino juventutem eſſe oportet, nec admodum peritam; ne plus capulo quam calamo tribuant. Quid dicam de fluminibus? lacubus, ſtagnis, & in ipſo littore maris, omnium piſcium quæſtuoſiſſima captura? In ſylvis, quæ nil niſi umbroſa frondium minantur, plena volatilibus & feris copioſa. Juvabit hic noxias perſequi feras, & cum fugacibus curſu, cum aſtutis ſolertiâ, cum validis robore, certare. Longum eſſet ire per omnia, ſed hoc maximum, Academiam, ejusdemque faſces & honores, jure optimo, ad *KILONIAM*, tanquam limitum cuſtodem, & pedem

im-

imperii pertinere, quam Dei & naturæ cura, Imperatorum privilegia & tot Principum beneficia fovent, ornant, tuentur.

Accedebat tantis urbis dotibus, & velut œstro stimulabat Serenissimum Fundatorem, ingens civium erga literas ac literatos affectus & alacritas, expetentium ultrò beneficium, & præter proprios sumptus, nobiliorem Civitatis partem, ACADEMIÆ, offerentium: quo in certamine, jam alii præveniebant spe, vota; & Musas adhuc in longinquo & incerto positas, tanquam præsentes salutabant; alii, nec præstanti virtute Præceptorum nomina omittebant, quin ea velut sidera suspicerent; & Professores, Patres animorum non vererentur appellare, multi etiam cum tutelarium geniorum honoribus conjungerent. *Theseo* sacra facturi Athenienses primam pervigilii libationem, *Coronidæ*, ejus moderatori destinaverunt. Liberi Patris templo, sacerdotem maximum ejus Pædagogum, soror Minerva præfecit. Et nescio quis cor Præceptoris gypso inclusum, & pro errore gentium consecratum perenni custodia servavit, ut, quem præceptis vivus instruxerat, ab eo etiam mortuus coleretur. Exempla sunt ista, quæ audivimus, majora in civibus vidimus: & si dicta sunt illa tantum à nobis, in his etiam *facta* admirabimur, facta ad immortalitatem & exemplum. Qui, non libationem aut gypsum, vanitatis aut superstitionis symbola, sed seipsos offerendo, cum verissimo animorum cultu & obsequio, sapientiæ ac sapientibus detulêre. Nil jam dubitatum de urbe: scilicet, fecit loci opportunitas, & eorum conspiratio, qui commodis literarum erant faventes, ut consilia & intentiones, relicto Slesvico, *KILONIAM* verterentur: & Principis voce *Eruditionis Palæstra, literarum sacrarium*, ac domicilium sapientiæ imposterum appellaretur: atque de hoc solo certaretur certamen, quod urbis spatium ACADEMIA occuparet. Oppidò, Civium alacritate, locus amœnissimus, atque ab urbis negotiantis tumultibus securus delectus est. *Monasterium* quondam fuit D. Virgini sacrum, & religioso ordini atque collegio ab Adolpho Comite dicatum; tantoque fundatore superbum, ac multis beneficiis dotale. Qui, bello & Pace maximus, plus

Alacritas Civium.

Descriptio Academiæ.

virtuti suæ, qvam fortunæ debuit, & cum omnia, sive odio terrenorum, sive amore cœlestium, saluti publicæ devovisset, seipsum DEO largitori omnium consecravit: docuitqve Posteros nunqvam melius orbis felicitatem occupari, qvam cum ejus vanitatem omnem contempsisset. Vitæ, pietatis, constantiæ, adhuc visitur monumentum. Verum, *ut omnia mutantur, & nos mutamur in illis*, longo pòst intervallo, sive fatali temporis corruptione, sive inconsulta Principum prodigalitate, sive Clericorum otio & avaritiâ, versa Religionis cum animis facies, & natus ex sententiis zelus, qvi post Avorum memoriam, errores & otium dispunxit, atque post Borealia regna, etiam HOLSATIAM reformavit. Ut inter alia DEO qvoqve dicata Cœnobia, sed luxu & otio pietate subversa, iterum pio usui vindicaret, & vel pauperum necessitatibus, vel juventutis educationi permitteret. Istud verò non modo amœnitate situs, ac solitudinis diversione, qvasi qvibusdam illecebris ac deliciis conspicuum; verum etiam gloriosissimi titulo, nomineque Fundatoris maximè illustre. Planè Musarum sedes, ac otium literarum. Nam, cum hortorum, arborumq; commoditate, etiam variis prospectibus abundans, & ex ipsis Auditoriis, cathedris, sedibusqve jucundum. Ut, qvi velut Argus Panoptes, à fronte pariter atqve à tergo oculatus est, habeat qvod ubertim intus & extus videat; ut præter proximè adjacentem pomœrii amœnitatem, ludentes cespite fluminis ripas, cygnorumqve ad fenestras usqve adnatantium blanditias; oculos etiam in camporum, silvarum atqve villarum exilia possit dispensare. Ipsa forma totius structuræ, duplici areâ munitur; Exterior sive prima, *Templum* ambit; interior sive altera, habet ædificium: summo Fundatorum ingenio; qvorum prior, sive *Pietatis* curam habuit, ut à sacris prophanos repelleret: posterior, cum sapientiam respexit, voluit utrumqve muniri; docuitqve aspirantes ad eruditionem, seqvi prius Pietatem oportere: sine qvâ nulla est, aut prophana institutio, qvandoqvidem *in malevolam animam non intrabit spiritus sapientiæ.* Ita olim ante vestibulum *Honoris* templum fuit exstructum *Virtuti*, ut hujus pretio Honores starent sub tributo: Sic hic *Pietati*

ut

ut pretium fieret & vectigal *sapientiæ*; absqve cujus fundamento periclitatur & ruit, palmaris qvoq; ingenii celsitudo. Unum tam amœnissimo undeqvaq; loco horrorem inducebat vetustas, qvæ veteres ædificii formas & modulos, adeò corrupit deformavitqve temporis injuria, ut prostans ad obtutum ruderibus spatium, non oculos duntaxat, sed & pedes offenderet. Verum illicò ut in usum cessit ACADEMIÆ, adhibiti civium ardore, & sumptibus Principis Architecti, qvi, dum circa illius renovationem, ædificationes, machinationesq; versantur; & vel veteres ruinas, hiatusq; laudatissimâ arte restaurant; vel alia ex fundamento, opere Gyganteo, non tamen ut *Pelion Ossa*, ingeniosis lapidum structuris erigunt, inferuntqve terras cœlo, atqve per tot temporum lapsus, duraturam longius poliunt, ornant & incrustant fabricam. Non vacabant Serenissimi Principis consilia, qvomodo post *Locum*, de sumptibus atq; salariis provideret. Nam nisi digna Docentibus accedant præmia, desperare primo aspectu coget Professores egestas. Jacebunt Doctorum ingenia torpore qvodam, quasi gelu obstricta, nisi benefici spiritus radiis illustrentur. *Dos & fundatio Academiæ.*

Jamqve ante provisum fuit tantæ necessitati, DIVI FRIDERICI providentiâ, qvi in meditatione hujus ipsius ACADEMIÆ, doti dixerat propè civitatem Husemensem certos fundos, agros, prædiaque, omnia, industriâ humanâ, qvondam Oceano Patri erepta. Sed ne pulso fugatoque mari, Neptunus de Regni sui possessione, aliqvando controversiam moveret: (sunt enim suæ, quemadmodum populis, ita populorum sustentatricibus terris, attributæ divinitus immutationes) posterioribus cogitationibus mutato consilio, in dotem *Academicam*, nobilissimæ Bordesholmensis Præfecturæ assignatione, redditum bonitate *Fundatoris* securius beneficium. Hinc Professorum deinceps salaria, hinc perpetuus in convictum qvinqvaginta alumnorum census, petuntur. Ad tot beneficiorum tutelam, maximum postremumque accessit variis ex locis recensita amplissima Bibliotheca, nempè ex cathedrali Kiloniæ templo; ex Principis Joh. olim Episcopi Lubec. librorum promptuario; ac celeberrimâ

Got-

Gottorpiæ Bibliotheca: Adjecta cum variorum exercitiorum Magistris, Palæstra, equestris, monomachiæ, saltationis, aliaque ad exercendum corpus commoda. Accesit omnibus, papyri conficiendi industria, & typographia, molimina æternitatis. Adeò jam neque juventuti sua deerunt commoda, neqve Professoribus justæ divitiæ, si sciverint sua nosse bona, & ex æqvâ ratione singula dispensare. Redundabunt etiam aliundè eruditis beneficia, si diligentiâ suâ, anteverterint opinionem, nec fraudaverint Parentum ac Patronorum vota. Inde piè donata, aut Legata, & ultimæ voluntates. Æqvissimum enim est, omnes in communem utilitatem, de privatis bonis aliquid conferre; & postquam fortes fuêre, pios qvoqve Cimbros non tantum videri, sed etiam esse, sive ut commodissimè instituatur Adolescentia, sive ut prius domi quam alibi exerceatur Eqvestris ordinis juventus, sive etiam, ut Gloria literarum stare possit inconcussa. Sic florebunt artium disciplinæ, educatio, & commercia studiorum, stabit veneratio erga docentes discentium: omnia Deo temperante, sic miscebuntur artes & ingenia, ut nec vitæ commoditas abeat in luxum, nec *Institutio* in socordiam mœstitiamque degeneret.

Everso jam metu, quem ab exhausto bellorum turbine ærario, multorum pectoribus invexit calumnia; atqve stabilito ACADEMIÆ loco ac beneficio, quorum utrumqve ad providentiam ac munificentiam *Serenissimi Fundatoris* pertinebat: reliqva qvæ ad institutionem faciunt, aut gloriosam reddere possunt Professionem, divina mens Principis pluribus distracta & occupata negotiis, *Excellentissimo* Dño. *PRÆSIDI*, *JOHANNI ADOLPHO* KIELMANNO commisit. Diximus *KIELMANNUM*, qvam qvidem appellationem, non fortuitus nominum concursus, aut majorum destinatio illi invexit, verum æterna rerum Providentia, nullo modo noverca, sed Genitrix, *doctæ* illius *animæ* indidit & doti dixit: ut jam obstrictus nomine suo Kiel-man / quasi VIR KILONIÆ, sicut urbis steterat à partibus, ita nullâ repulsus verecundiâ (quia thoro liber & viduus) non sine omine literarum, ipsius sapientiæ conjugium posset affectare: nimijus

rum cujus pridem amore arſerat,ejus nunc neceſſitate moveretur, atqve pro *virili* tantum in ſe ſuſpiciens ONUS, honoris qvoqve tanti non deſiſteret promovere felicitatem. Quam ob rem juſtisſimâ qvoqve imbecillitatis excuſatione omiſsâ, ne plus verecundiæ ſuæ, aut negotiis majoribus indulgere,quam tantæ authoritati detuliſſe videretur, & affectibus ſuis, & Principi paruit, atqve gravisſimæ Provinciæ cervicem humerosque ſubmiſit: ut ſapientiæ nunquam obnoxius,ejus etiam artes & ingenia procuraret,ad quorum necesſitatem & honeſtatem accedit quidam ſplendor vitæ & decor ingenuus, qui ex illis effloreſcit. Et quia tota ſpes Patriæ pendet ab juventutis educatione,& ipſa educatio à bonis artibus, & Præceptorum exemplis, ante omnia operoſam educationis molem, quæ ſæpè ſuo faſtigio nutat, ſollicitus expendebat. Exiſtunt enim adhuc in Pueris abditæ quædam mentis ſcintillæ, aut infeſtæ aut ſalutares, quæ ſpes aut metus Parentum & Præceptorum non vanis auguriis, ex indole & ad varias rerum ſpecies propenſione portendunt; quam alii ex genitali poſitione ſiderum colligunt. Nam quamquam nimium curiosè, omnes animi motus, ad aſtra Mathematici referant, quibus neque vis certa ſit, nec in hac mentis imbecillitate ſatis perſpecta; tantam tamen ſiderum militiam nihil circa nos agere, & tot otioſas putare flammas,ad partem ſtuporis accedit. Alii judicant ex Parentum ſanguine,juxta vetus illud

Iuvenilis indolis, naturæ & ingenii duquiſitio.

Fortes creantur fortibus & bonis.

ſed neq; hîc aliqua certitudo: optandum qvidem,ut parentum virtus tranſeat in filios, ſed unde hoc, *Heroum filii noxæ?* Caligulam, Germanico Patre omnium præſtãtiſſimo natum vecors ingenium in omnia dedecora traxit. Contra Veſpaſiano optimo Patri, optimus cotigit filius. Corruptisſimus Pater Neronis Domitius,& Agrippina mater, ſola ſcelerum impunitate magna,portentum Imperio Romano potius qvam Dominum dedêre. Alii expendunt ingenia ex Phyſiognomiâ: ſed quis neſcit, *frontem, vultum, oculos,* ex Tullii ſententiâ, *perſæpè mentiri?* Alii judicant ex temperamento & affectibus. *Primò* qui bile tument,ut plurimum eſſe audaces,vegetos,lenes,deſultorios & ácres; quibus, nec in capi-

dis consiliis maturitas, nec in exequendis Patientia. *Secundò*, qui pituitâ gravantur, ingenio esse & corpore tardos, qvos nec verba stimulant, nec præmia accendunt, deside vitâ, etiam in corporis curam projecti. *Tertiò*, quibus dominatur sanguis, eos esse mente felici, mites congressu, linguâ expeditos, amoribus obnoxios, qvos sæpè aut nimia felicitas inclinat, aut voluptas inficit. *Quartò*, Melancholia licet morbus videtur, in aliis salus est, si præsertim sit modica, & cum sanguine temperata; quæ ingeniorum verius mater est quam noverca, quibus largitur judicium, gravitatem, temperantiam, moderationem & virtutes propè infinitas. Mirari tamen licet in tanta variarum conjecturarum congerie, atque inter tot decora, tot nævos, tot maculas, tam rarum innocentiæ ac virtutis decus. Credo omnium optimè judicare, qvi rem expendunt ad primam ingenii facem, intrantque in interiorem adolescentis animam, per verba nutus & actus, quibus indiciis certius de indole creditur. Grande *institutionis onus*, ex tam prono in multa affectu, & natura ut in speculis imago longissimè diversa. Alia enim acris & igne quodam volucris; alia svavis & amœna; alia tumens & rabiosa; alia mitis & exarmata; alia marcida, stupens & proterva, quam nec verba percellant, nec frangant verbera, ut videantur congelata & emortua, neque aliud actura, ni magno imperio cogatur *in rectum, ac multo labore dometur.* Hinc optimè conducet *Kilonia*, quæ si à vulgari Kiel/ id est à *cuneo*, suam traxit appellationem, favebit locus protervis ad malitiam & contumaciam ingeniis, ut *cuneis* & bipennibus, quasi per ardua, viam illis aperiat ad virtutem: adeò qvicunque imposterum, duris his remediis efformatum videat adolescentem, cum *Catullo*, aureâ pallidior statuâ hæreat,

Allusio.

Mireturq; novas frondes, & non sua poma.

Requirebat sanè grandis de Institutione meditatio, grande consilium, quibus Professoribus, tanta ingeniorum varietas, ad educationem formaretur. Sed quid non sperandum erat à solidissimo KIELMANNI judicio, cujus gloria in eam famæ celsitudinem apicemque conscendit, ut quod ait ille, *nullius jam laudibus crescat, nullius vituperationibus minuatur,* qui ut plu-

plurimum in eo desudabat, ut serenissimo novæ sapientiæ Domicilio, eminentes exemplo & professione viri accederent frustra omnia, si horum pietas & eruditio defuisset. Scilicet qui tantæ functioni pares, eruditione & exemplo juventuti ad omnia pronæ præessent; alacres præmiis ad virtutem incenderent; desides coercerent; ambitum, luxum, licentiam cohiberent, inculcarent omnia officii momenta, qvorsum & quis in humanarum rerum ordine sedeat; qvid Deo optimo maximò, qvid parentibus, propinqvis, qvid amicis, qvid præceptoribus, qvid sibi, quid generi humano debeant. Qui talia præcipiunt, sint oportet imprimis pii, & in Religione Christiana orthodoxi, ne dulcia bibantur venena; & ea adolescentium instillentur animis & auribus, quæ Ecclesiæ commoda & Patriæ ornamenta sapiant, atq; civilis vitæ præferant amœnitatem. 2. Eruditione excellentes, famâ integri & inclyti: nec obstat si Aulæ periti, sed in Aula innocentes, multarumq; rerum præstantes notitiâ. Non conatu ambitioso, qvalis eorum est, qvi se nimia sedulitate onerosos potius quàm utiles præstant. Suggererent utilia, non ingererent superflua. 3. Omnibus vitâ placerent, prælucerentque exemplo, famæ incerta cogitarent, & mentem adversus omnem humanarum rerum aleam munirent, viderentque non qvâ fortunâ, sed qvâ famâ essent aliqvando decessuri. In summa, ut cum sæpius in dissimillimos exitus trahimur, complementum totius professionis erit, si sensui rationem, animum corpori, æternitatem tempori, utile jucundo, honestum utili, Deum homini præponant.

Qualitas Professorum.

In quibus omnibus, cum ampla nec satis expedita ratio sit, scrutari diligentissime conveniebat omnia, & sicut rerum ita personarum qvoqve circumstantias accurato examine perpendere, atq; præprimis fructum totius educationis, ex disciplina spectare, propter ingeniorum naturarumque flexuosos anfractus. Ut igitur de singulis maturè provisum, prævisumq;, & non paucos ex famosissimis Professoribus, KIELMANNI sollicitasset dexteritas, accessit dexteritati SERENISSIMI PRINCIPIS authoritas, hanc expressis Patentibus, secuta sunt præmia, & proposita invitamenta:

Accursus DD. Professorum. quæ omnia ut rumorem propitium nacta sunt, manifestis beneficiis non tam tentati, quam expugnati plurimorum animi, non segnius è diversis orbis partibus, qvam ad cadaver Aquilæ, *Kilonii* comparuêre. Ac numeravit inter Professores Sapientiæ primos, *FACULTAS THEOLOGICA:* Musæos, Kortholtios, Sperlingios. *JURIDICA:* Mauritios, Rachelios, Sandemannos, Schvvenkios. *MEDICA:* Marchios, Majerios: *PHILOSOPHICA & PHILOLOGICA:* Watsonios, VVasmuthos, Moorhoffios, Reiheros, Grammios, Frankios, Martinios, Tribechovios, aliosque complures. Quos æquali jure non tantum Parnasso Cimbrico, sed Cœlo quoqve intexere possumus, ut olim siderum appellationes & Planetarum nomina memorat Pherecides. Omnes & singuli variâ eruditione, ingenio & authoritate, exemplisque præstantes, affectu in educationem propenso, mente moderata, vigili prudentiâ, ætate maturâ, & valetudine tantis suffectura curis. Quorum mores sine avaritia, mens sine ambitu, congressus sine fastidio, stirps honesta, familia composita, & omnium maximum approbatio. Ergo jam voto omnium atq; ipsius Principis desiderio, cum præsentibus novæ ACADEMIÆ Professoribus, & gratiarum actione, & refusione expensarum, & liberali hospitalitate satis factum esset: absolutumque fuisset magna Civium alacritate, sumptibusque Fundatoris, juxta classes omnium facultatum *Sapientiæ* domicilium: sola & unica ad consummatum tantæ *Cura Inaugurationis.* gloriæ decus, supererat *Introductio.* Quapropter ut ex tempore modus, ex modo observatio, ex utroqve digna Jove, Pallade, Cæsare, Principeqve instituerctur solemnis *Inauguratio*, ipse *Serenissimus Princeps CHRISTIANUS ALBERTUS,* Stator & Fundator, cum *Celsissimo* Fratre suo, & D. Coadjutore, *AUGUSTO FRIDERICO*, solemni *Ao. 1665.* comitatu mense Junio *Kiloniam* intravit, ut de modo ac tempore ageret, atque *Inaugurationis* futuræ solemnia, hoc publico Programmate ordiretur.

CHRISTIANUS ALBERTUS,

Dei Gratia Episcopus Lubecensis, Hæres Norvagiæ; Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comes Oldenburgensis & Delmenhorstanus,

Omnibus in nova Academia nostra Kiloniensi docturis, docentesq; audituris, aliisq;, quorum interest,

SALUTEM ET GRATIAM NOSTRAM.

QUi in Cyro Optimi Principis ideam nobis repræsentare instituit Dux belli fortissimus, idemq; scriptor prudentissimus Xenophon, rectè omnino sensit, bonum Principem nihil differre à bono Pastore, imò nihil à bono Parente. Qua cura iste suum gregem pascat, qua sollicitudine hic liberos suos educet, verbis explicari nihil opus est. Pari verò pietate & adfectu Principem tot subditos prosequi ac fovere, tam est difficile & gloriosum, quàm benè imperare. Et licet omnes singuliq; homines uno quasi ore vitæ felicitatem exposcant, cùm tamen non idem de eadem sentiant, & diversis viis ad eam contendant, accidit, ut perniciosis erroribus intricati pro Junone sæpe nubem in amplexibus habeant. Qui itaq; meliori ingenio præditi sunt, non solùm hactenus Naturæ ductum sequuntur, ut simpliciores societates ingrediantur, sed ad perfectissimam civilem progrediuntur, in qua & perfecta est felicitas humana, quæq; expeditissimam ad illam adipiscendam viam exhibet. In civili itaq; societate qui vivunt, certo quidem imperandi & parendi, sed multùm diverso ordine utuntur, ut hi quidem sic satis sint beati, alii verò satis miseri & infelices: idq; modò imperantium modò parentium culpa atq; vitio. Ipsum enim ordinem illum absolutè quod attinet, aliundè quàm à DEO profectum institutumq; esse dictu nefas fuerit. Quotquot igitur Reipublicæ præsunt, illamve in sua manu habent, ea sanctitate munus hoc tractabunt, ut DEI vicem his in terris se sustinere, & ad ejus gloriam omnia referri debere, summa fide ac sedulitate testatum faciant. Ut enim quæq; Respublica suo peculiari jure nititur, ita boni Principatus jus à Philosophorum Principe rectè fuit repositum, in excellentia virtutis & beneficii magnitudine. Istâ subditos suos Princeps talis ferè æquat, hoc superat beatq;. Quamvis autem hunc finem nobis Natura proposuerit, eumq; sequi nos Copia Programmatis.

ſerit; ea tamen & mentis eſt hallucinatio, & appetitus adfectuumq; importunitas, ut hanc orbitam firmo gradu premere, metamq; præfixam perfectè adſequi haud cuiquam liceat. Itaq; admirabili quadam ratione DEUS humani generis miſertus, imbecillitati noſtræ non ſolum ſubvenit, ſed per Filium ſuum Jeſum Chriſtum multò ſublimiorem anguſtioremq; felicitatem patefecit, viamq;, qua ad hanc eatur, verbo ſuo revelato commonſtravit: à qua cum etiam plurimi aberrent, inq; varios opinionum mæandros diſtracti fine omnium optimo, ſalute inquam æterna, fruſtrentur; tanta tamen bonitate humanum genus Deus complexus eſt, ut ejus Providentia optimi quiq; Principes ac Rerump. rectores excitati religionem Chriſtianam foverint, juſtitiæ aliarumq; virtutum culturam ſedulò promoverint, eorumq; omnium, quæ ad vitæ felicitatem & αὐτάρκειαν *exiguntur, præcipuam curam habuerint. Hac quoq; Pietate & erga Patriam ſtudio ductus SERENISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS, DOMINUS FRIDERICUS, Dux Slesvici & Holſatiæ, &c. Parens Noſter glorioſiſſimus, jam pridem animo agitavit, quo pacto Religionis, Juſtitiæ, bonarumq; artium ac literarum ſtudia in ſuis ditionibus & terris magis magisq; excolerentur: eoq; fine in Cœnobio Bordsholmenſi illuſtre Gymnaſium conſtituit, & bene multos præſtantes ingenio juvenes ad ſolidiorem eruditionem hauriendam cum ibi tum in Academiis non exiguis ſumptibus aluit juvitq;. Mox ad majoris momenti rem animo converſo Optimus Princeps ac Pater Noſter Scholam Regiam ſeu Academiam, non paucis aliis collabeſcentibus moliri cœpit, eiq; perficiendæ jampridem à SERENISSIMO INVICTISSIMOQUE CÆSARE AUGUSTO D. FERDINANDO III. inclytæ recordationis jura ac privilegia ampliſſima impetravit. Cæterùm cum feralis belli procella non ſemel in terras noſtras ſuperioribus annis incubuerit, laudatiſſimum hoc inſtitutum non equidem penitus everſum, ſed tamen fuit impeditum, & difficilius effectu redditum, ut deſideratiſſimus Dominus Parens Noſter vitæ quidem ſuæ, non autem belli ſatis optatum exitum proſpiciens, cum aliarum rerum, tum imprimis hujus curam Nobis teſtamento condito ſanctiſſimè commendaverit. Quam Gloriæ ſuæ partem cùm Nobis fecerit reliquam, nihil prius aut antiquius eſſe duximus, quàm huic piiſſimæ*

issimæ voluntati & officio satisfacere, Patriamq; & subditos hac quoq; parte tandem beare. Nihil itaq; territi immani Turcicorum armorum vi, quibus quàm maximè strepentibus hoc opus aggredi cœpimus, nec superioris belli calamitates respicientes, quibus nostræ provinciæ exhaustæ ac tantùm non consumptæ fuerunt, quod DEUS ter Opt. Max. felix faustumq; esse jubeat, NOS DEI GRATIA CHRISTIANUS ALBERTUS, Dux Slesvici & Holsatiæ, &c. &c. publicè significamus omnibus, quorum hoc scire interest, cumprimis Augustanæ Confessionis addictis ordinibus, Doctoribus ac Studiosis, inq; his subditis Nostris, interlapsâ paucorum mensium mora, a. d. 5. Octobr. hujus anni ritu ac more solenni novam in Urbe Nostra Kiloniensi Academiam constituere Nobis seriò decretum esse, & undiq; viris doctissimis conditionibus minimè pœnitendis conscriptis publicam his docendi, aliis discendi potestatem facere, & utrumq; Ordinem iis juribus ac privilegiis ornare ac munire, ut & securè & cum dignitate cuivis, siquidem ipse velit, hïc vivere, & in studio pietatis, justitiæ ac sapientiæ felicißimè proficere liceat. Quibuscunq; igitur curæ est in vera DEI agnitione, & salutari doctrina Christi, in Juris Naturæ, Gentium & Romano, in artis Medicæ ac Philosophiæ studiis ac disciplinis, linguarum cultura, utilißimis tum animi tum corporis exercitiis solidè erudiri atq; instrui, ad dictum d. Kilonium properate, tantoq; bono, cujus Vos participes esse cupimus, fruimini. Ne quid verò Respublica hæc nostra literaria aliquid capiat detrimenti, sed inde usq; à primis natalibus ad maximum decus & emolumentum adolescat, & omnis generis corruptelæ averruncentur, Academiæ nostræ Cimbricæ primum quoq; RECTOREM constituemus, cujus authoritate ac prudentia, adhibito Senatus Academici consilio, hoc gloriæ divinæ sacrum negotium & benè procedat & conservetur: aliasq; solennitates publica Cæsareorum privilegiorum promulgatione præmissa, celebrabimus, quæ tantæ rei confirmandæ, ornandæ atq; illustrandæ conveniant. Interea hanc exigui temporis moram æquo animo ferte, DEUM PATREM JESU CHRISTI Academiarum ac Scholarum Patronum, Statorem ac Sospitatorem optimum ac munificentißimum pro lætissimis auspiciis, felicißimo

mo successu ac progressu tanti negotii, qua par est animi devotione precati, quò omnia cœpta & consilia in Nominis ipsius perennem gloriam, Patriæ emolumentum, ac Reipub. literariæ decus cedant. In Arce nostra Gottorpiensi a. d. XXVII. Maji cIↃ IↃc LXV.

Christianus Albertus.

(L. S.)

Habet aliquid ex iniquo omne magnum, Roma quondam scriptoris sui ore, dubium an non nostræ qvoqve consuetudinis vitio, vulgavit orbi. Adeo Regum & Principum etiam dignissima consilia & gloriosissimæ actiones, dum publicantur in vulgus, semper aliquid ex calumnia trahúnt. Nemo fuit adhuc ex Magnis, qvem non incursasset calumniatrix malitia; nemo cui vel ætas sua ignoverit, vel sciens aliqvid dissimulaverit seculum. Neqve hic *Serenissimo Principi CHRISTIANO ALBERTO*, pepercit audax hodie omnia carpendi aut sugillandi neqvitia. Cavillabatur subdolè & flagitiosè in locum, Fundatorem, Regionem, hominesqve, aut per speciem officii ducalia exaggerando beneficia, qvasi nimis quæstuosa & superflua: aut minuendo sumptus, nec suffecturos ex tanta tempestate instituto. Spargebat multa, de incommodo Civitatis situ, adjectis innumeris qverelis, de duris gentis Cimbricæ moribus, de sterili Holsatiæ solo, cujus vel ipsum vulgare nomen **Holt-stein/** non aliud qvam horridas sylvas, duros silices lapidesqve peregrinis ostentat. Singula eo fine, ut dignitatem Principis infamaret, infirmaret potentiam, diverteret à bono proposito meliores mentes, & si posset ad Circes pervenire veneficia, Professorum qvoqve sapientiam fascino qvodam dementaret. Prope rebus omnibus paratus erat contemptus, nisi provida mens Principis, severo consilio & con-

constanti voluntate, vulgato & publicato secundò Programmate, firmasset propositum. Impositum præterea negotium, Clarissimo Viro *Cæsoni Grammio*, Philologiæ & Græcæ literaturæ Professori, ut & urbis Kiloniæ, & Regionis, populorumque, situm, mores, ubertatem & amœnitatem, testis oculatus describeret, ne scilicet imposterum audax & infelix calumnia, è primo gentilitatis ritu rigidos Cimbrorum mores adlatrare, atque seculis ignota latrocinantium nomina, truncis & lapidibus insculpere præsumat. Quod ille quidem, nescio an modestiâ, vel veritate major præstitit ingenuè, in Libello cujus Titulus *Chilonium, novus Holsatiæ Parnassus.* Ostenditque, sub mitissimo PRINCIPE procul esse illa Neronum imperia sæva, ubi ferrea lex, & nunquam nisi spoliis miserorum aurei magistratus. Non esse in CIMBRIS, quod in Lucanis teste Plinio factum est, nempè acerbum populorum jugum, prædationē continuam, exilia, proscriptiones, stridores catenarum, immites pœnas, supplicia horrida, & ipsi innocentiæ timenda, rictum in hominibus homines comedendi capacem, & quandam inferorum officinam. Ipsam HOLSATIAM, non pluere sulphure, non flammas vibrare, non jaculari fulmina, sed cum ipsa *Kilonia*, naturæ amœnitate, vernantes sapientiæ ac virtutis palmas prætendere, quarum fructus nec vetus gentis rigor, nec recentis ex bello tempestatis pruina decoxit, atqve docuit etiam extra immortalitatis insulas, sub rigidiori quoque cœli climate

Mites spirare sub anguibus auras.

Quibus & calumniæ obviam itum, & excitati meticulosi, ferventes confirmati, omnibus vis, ardor, amor, obsequium injecta sunt.

CHRISTIANUS ALBERTUS, Dei Gratia Episcopus Lubecensis, Hæres Norvagiæ, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comes Oldenburgensis & Delmenhorstanus,

Omnibus, quorum interest,

SALUTEM ET GRATIAM NOSTRAM.

DEcretum NOBIS esse Scholam illustrem sive Academiam nostris in terris excitare, ejusq; Inaugurationem DEO *Copia secundi Programmatis.*

I *duce*

duce atq; auſpice a. d. V. Octobris hujus anni ſolenniter inſtituere jam pridem publicè ſignificavimus. Quod inſtitutum ut Gloriæ divinæ & Patriæ cumprimis bono ſacrum eſſe volumus; ita publico applauſu ac favore illud exceptum iri credidimus. Quin imò bonos quoq; bene precari huic incepto, eiq; omnia feliciter evenire velle nequaquam dubitamus. Quæ tamen alius notæ hominibus cauſa exſtiterit, ſiniſtris ſparſis rumuſculis præclara noſtra conſilia morari, diemq; Inaugurationis contra mentem & voluntatem noſtram proferre, ipſumq; negotium ſugillare, quærere ſuperſedemus. Pro his enim hæc ſacra non adornantur: eoq; generoſius horum voculas contemnimus. Nec enim ignoramus, quantam rem aggreſſi ſimus, ſed maturo conſilio expendimus, ejusq; rei præcipuam curam Ei commiſimus, cujus fides & induſtria nunquam Nos deſtituit. Atq; hujus diligentia ac dexteritate cum jam effectum ſit, ut in novæ Academiæ uſum Collegia, reliquaq; neceſſaria ædificia eleganter inſtructa ſint, omnium artium ac ſcientiarum celebres Doctores, & Exercitiorum magiſtri fidem ſuam operamq; Nobis addixerint, pleriq; illorum in civitate noſtra Kilonienſi jam præſto ſint, tenuioris fortunæ ſtudioſis de liberali victu, omnibus de commodis hoſpitiis et muſeis, aliisq; rebus ad ſtudia feliciter pertexenda neceſſariis proſpectum ſit; denuo ſignificamus, publiceq; denuntiamus: Nos ſententiam non mutaſſe, ſed ſeriò conſtituiſſe, iterumq; jam decernere, per DEI gratiam illud effectum dare, quod ipſius gloriæ, Patriæ & Reip. literariæ bono devovimus, tantamq; rem a. d. dictum V. Octobr. lætis animis piisq; vocibus auſpicari. A quibus ſacris procul eſſe profanos volumus: illos vero, qui huic negotio favent ac bene cupiunt, tantumq; beneficium rectè æſtimant, ut frequentes adſint, clementer invitamus, & ſi fas eſt, rogamus. P. P. die vigeſimo quinto Septembris, Anno 1665.

Chriſtianus Albertus.

(L. S.)

ita

Ita jam provisis, prævisisque omnibus, adventabat dies exoptatissimæ *Inaugurationis*, quam, sive ut ducalis gratia ultrò præveniret, sive etiam malignas calumniantium voces, mores, opiniones, affectus, velut continuos intelligentiæ hostes præsentiâ expugnaret; die III. Octobris, Serenissimus PRINCEPS, cum Celsissimo FRATRE, solenni pompæ apparatu, *Kiloniam* intrare decrevit, atque ut famosiorem redderet introitum, præcipua Aulæ & Consiliorum lumina præmisit in Urbem: ut jam nihil esset, quod vel expectationem publicam, vel privatam Patriæ utilitatem moraretur. Qui antevenerant Principem, erant Excell. D. PRÆSES *Johannes Adolphus Kielmannus*, & Strenuus atq; Generosus Vir *Sigismundus Henricus à Tettau*, Aulæ ducalis MARESCHALLUS; quorum alter solertissima pectoris dexteritate illustris; alter ceris majorum, & virtutis præconio inclytus. Exemta horum adventu ab omnium animis dubitatio, & antè de calumnia triumphatum, quam ipsa potuerit de negotio judicare. *Mareschallus*, civilia gessit, ut advenienti Equestris ordinis multitudini, hospitumque confluentium frequentiæ humanissimè occurreret; dispensatisq; largiter Principis beneficiis, etiam patentes Arcis & Urbis commoditates, nobiliorum officiis assignaret. KIELMANNUS, sapientiæ munere occupatus, nullum locum præterivit, quin omnium stationes disponeret, describeret ordinem, officia singulorũ & functiones suis manibus, aut voce in classes digereret; nec non quâ pollet gratiâ, omnium animos ad non pœnitendas inflammaret operas, & ad præmia invitaret: adeò, ut neque aëris incommoda tempestas, neque major consiliorum vis, aut maxima occurrentium semper negotiorum moles, pronissimum in literas affectum ab officiis impedirent, ut quantum ATHENIS debent *Athenæa*, tantum jam KIELMANNO teneatur *Kilonia*. Ibat, redibat; veniebat & revertebatur, ubique indefesso studio *Kielmannus*, ex Arce, Foro, Curia, Academia, in Basilicam Urbis, divo Nicolao sacram & primariam; atq; illum ipsum locum, qui famæ immortalitati propediem debuit consecrari, priusqvam ab aliis ornaretur, sua exornavit cura & præsentia. Pars interior templi, sanctuarium fuit (dicta hodie chorus) non tantum sacrorum dispensatione, verùm etiam desti-

Descriptio sanctuarii & apparatus.

natione Actus inauguralis, sacrum & gloriosum: cujus nuda parietum latera, ad ducalem magnificentiam, tapetes & peristromata quam altissimè vestiebant, quibus ex auro, floribus & historiis, mirificos intexuerant Mæandros, peritissimi Phrygiones. Intra tholum & fundamentum Basilicæ, obducto cortinis Altari, sericeis per latum funibus, pendebat è summo laqueari papilio pensilis, in totam per transversum latitudinem exporrectus, aureisque cutinis fimbriatus, nec indistinctus purpurâ. Ipsum, cum lapidibus contesseratum pavimentum, rubro panno contectum. Ad medium spatium sanctuarii, sub papilione, erigebatur ad perorandum major & minor orchestra; non procul in dextro latere pegma, sessioni Fundatoris, & sedibus Principum destinatum. Addita mensa, Academicorum insignium gerula: à sinistro latere, sedes majores, & minora sedilia, omnia & nitore auri & pretio purpuræ vestita & colorata. Hîc Mareschallorum statio, illic sedes futura Professorum: Hæc Cæsaris Legatus fastigia, illum thronum Ducalis majestas occupabant. Singula ad operosam ambitionem apparatus compta & decora, ut divinæ ædis penetralia Numinum non magis, quam Musarum adytus videretur.

Primus introitus Principis solennis.

Cum interim venerat expectatus dies III. Octobris, qvo mille ab Urbe passibus, regio ducalis purpuræ apparatu, adventare *Serenissimum Fundatorem, cum Celsissimo Fratre*, fama certior retulerat. Nec mora, ne qvemqvam damnaret cunctatio, qvos continuatis diebus, pluviosa aeris tempestas, tectis & domibus velut carceribus incluserat, eos *Cælum* solito serenius, ultrò evocavit in lucem: ut adventantibus Serenissimis Principibus, alios ad amorem, alios ad obseqvium, omnes ad cultum & venerationem SOL serenior inflammaret. Accessêre tantis animis tympanorum strepitus & clangores tubarum, atque *Senatores* cum armatis civibus, *Professores* cum selecta juventute, *Mercatores* cum plebe & populo, in classes & ordines redegêre. Augebat mirificum pompæ apparatum, Illustrissimi Comitis & Subvicarii Regii, DITLEVII RANTZOVII, cum Regalium atque Ducalium Consiliorum Administris præsentia. Aderant & Proceres, Chiliarchi, Tribuni, Toparchæ, Præfecti,


SERENISSIMI PRINCIPIS
1 Cohors Prætortana.
2 Equi ductiles Senatorum Provinc:
3 Tubicea et Commissionis Marschallus.
cum agmine famulantium Nobilium.
4 Equiso cum Satellitio Principis.
5 Ephebus primarius cum reliquis sui ordinis.
6 Equi ductiles et phalerati Principum
7. NB. Hic locus erat assignatus Professoribus,
Studiosis et senatui Kiloniens. qui ob chartæ
angustiam omissi, exhibentur in processu
Inaugurationis. tabula.4.5 7.
8
9
10
11
12
13
15.
1
4
9
8
7
NB
10
11
12
16
15


S. IN VRBEM KLLONIAM INTROITVS
Duo Tubicines Ranzoviani
Tres Mareschalli. quos Sequuntur Tympanista
et . Tubicines
Circumpedes, Sive Cursores Ducales.
Serenis: Princeps. C.A. cum fratre. A. F
Illustris Comes in Ranzow
et. 14. Regij et Ducales Senatores et Consiliarij Prov
16. Rhedæ Ducum atq. Nobilium. etc.
2
2
3
5
6
13
14

cti, Oeconomi, ingentia togâ ſagoque robora: nec non cum Equeſtri maximo ordine, numeroſus omnium hominum comitatus. Effuſis obviam omnibus, non vacabant viæ omnes & plateæ, quas oppleverat ingens populorum multitudo, turba quoq; mollior & debilior ætas, tecta, turres, feneſtras occuparat.

I. Præcedebat Pompam Ducalem, miles Prætorianus pedeſtris, ducẽte cohortem 124. virorum, Viro Strenuo *Johanne Christiano de Korbitz*, Subtribuno, omnes ſub ſignis & veſtibus cærulei ac purpurei coloris. *Ordo pompæ deſcribitur.*

II. Sequebantur militem ſeptem ductiles Provincialium equi, ephippiis, tegumentis, & armis ad ambitionem & luxum multum conſpicui.

III. Unus tubicen, remiſſiore & ex præſcripto Martis ac Bellonæ per intervalla clangore, adventare Principes, ſignum dabat.

IV. Premebat Tubicinem gravior Equitatus 300. equorum, ex famulitio Aulicorum Nobilium atque Provincialium delectus. Hanc ducebat *Commiſſionis Mareſchallus*. Omnes terni in ordine gradatim proceſſerant.

V. Sequebatur Capitaneus *Uhl*, cum Equeſtri Principis ſatellitio, quorum alii ſex, cum ad villam Kuberg perveniſſent, deſertis equis, humilius teſtaturi obſequium, aſſumptis in humeros bipennibus, ducalium laterum ſtipatores peltati, ſemper pedibus proceſsêre.

VI. Novum faciebat ordinem Equeſtris Ephebus, ductans octo Sereniſſimi Fundatoris, & tres Celſiſſimi Fratris Ephebos, quorum veſtes colorabat purpura, ora vero purpurabat verecundiæ ornamentum.

VII. Porrò ducebantur ſex Sereniſſimi Principis & duo Celſiſſimi Coadjutoris, ductiles equi, colore varii, bonitate pretioſi, nec non frænis, criſtis, armis, phalerisque Ducales.

VIII. Illuſtriſſimi Domini Comitis Rantzovii, duo Tubicines.

IX. Gemini Sereniſſimi Principis Aulæ Mareſchalli, Sigismundus Henricus à Tettau, & Bertramus Pogvviſcius, uterque antiquæ ſtirpis & virtutis, hos velut Anteſignanos, cum Provincialium ſplendore, Aulicorum omnium ſequebatur luxus.

X. Succedebat Tympaniſta cum argenteo tympano, tum octo tubicines, cum tubis ſimiliter argenteis.

XI. Octo ſequebantur Curſores ſive ambulones, & ut reliqui, uno cum Ephebis colore & habitu.

XII. Tandem digno ducali purpura faſtu & vultu ad majeſtatem compoſito, adequitabat *Reverendiſſimus, Sereniſſimusq; Princeps CHRISTIANUS ALBERTUS*, totius operis apex & complementum, cum *Celſiſſimo Principe & Fratre AUGUSTO FRIDERICO*.

XIII. Sequebatur Principes, *Illuſtriſſimus Comes & Subvicarius DITLEVIUS RANTZOVIUS*, tum ordine Regales Ducalesque Adminiſtri,

Provinciales Proceres, Colonelli, Tribuni, Præfecti, cum universo Equestris ordinis comitatu.

XIV. Hos, secuti pretiosissimi currus duo, Serenifs. Principis, cum sejugibus. Item unus currus cum sejugibus, Celsissimi Fratris & D. Coadjutoris.

XV. Currus ducales tanta curruum & carpentorum secuta copia, ut numerum trigesimum impleret: nam quos ex Provincialibus, aut aliis administris, equitatus capere non potuit, currus excepit, ut sejugibus adderent pompæ gratiam, & varietati gravitatem.

XVI. Agmen universum claudebat turma militaris, nec primæ cohorti, armis, vestibus, coloribus, numeroque inferior, sub signis Capitanei *Camphöfeneri*. Novissimè per utrumque pompæ latus, civium armatorum centuriæ circumductæ.

Posteaquam hoc ordine & comitatu ventum fuisset in primam regionem suburbii, obviam Ducibus procesſêre cum Senatu CONSULES, atque salutato reverenter Principe, & commemoratis in se & Civitatem recentibus beneficiis, insolitum gestientis animi affectum, *Doctore Hennings* Urbis Syndico, sapienti oratione expresserunt.

Reverendisſime ac Serenisſime Princeps
ac Domine, Domine Clementissime:

Copia Orationis Syndici.

QUamvis nihil tempore sit fugacius rapaciusq;, tamen nihil eodem salubrius esse & magis frugiferum, æquè existimandum est: Temporis enim beneficio res à Majoribus præclarè gestæ in luculentis consignatæ monumentis ad posteros transmittuntur, ex quibus vivi videntesq; egregiè ad virtutem inflammantur, ut Majorum gloriam velint imitari; inde fit, ut ea, quæ imminent, quæq; impendent, cum iis, quæ multis retro seculis fuerunt (qui nervus est prudentiæ) aptisſimè conjungantur. Quocirca ne ætas nobis in tempore per socordiam defluat, maximoperè cavendum; ut verò summa alacritate summoq; studio ad immortalitatem contendamus, obnixè conandum est: ita omnium nostrarum actionum ratio tam in vita, quàm in excessu nobis pulcherrimè constabit. Quàm prudenti & verè Heroico animo hæc omnia secum agitaverit Gloriosisſimus Parens Tuus, dum nobiscum esset, Serenisſimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIDERICUS, Pater Patriæ semper cum desiderio nuncupandus, abundè testantur curæ, quas, posthabita etiam Principalium

nego-

negotiorum mole, lubens pro incolumitate subditorum generatim suscepit, imprimis autem ut hanc civitatem Serenitati ejus humillimè devotam, sed infirmam, debilem, & à fortuna non semel deceptam in integrum restitueret, ornaret, augeret, eamq́ʒ inveniret viam, qua non minus commercia & Mercuriales artes, quam literarum studia & scientiæ in uno & amico quasi contubernio juxta efflorescerent, deniq́ʒ eò rem deduxit cœlesti favore, ut de Academia quadam in Provinciis suis ordinanda seriò cogitarit, animiq́ʒ hanc divinam sententiam etiam ultima voluntate sanciverint. Quo facto nobis quidem esse desiit, sed Nomen ejus consentiens omnium mortalium fama albo inscripsit æternitatis, ita ut nunc demum scitum illud egregium, quo inter vivos usus fuerat, rebus humanis exemptum verè illustret ac concelebret: VIRTUTIS GLORIA MERCES. Tu verò Princeps Serenißime, non minori cum sollicitudine atq́ʒ industria, tàm præsentis quàm futuri temporis momenta reputans, illustre hoc munus à Divo Parente quasi manu traditum in constituto loco dedicasti, eamq́ʒ ob causam cum magnificentißimo apparatu urbem hanc ingredi, & præ reliquis ditionis Tuæ oppidis Academiam in ea constituere, immò veluti Palladium quoddam collocare voluisti, quod nullius Ulyßis calliditate & versutiâ subduci, nec ulla temporum injuriâ deleri poterit. Recreasti tàm prolixâ voluntate & magnificentiâ, O Serenißime Princeps, deficientem hanc Rempubl. jacentemq́ʒ & prorsus afflictam ad spes meliores excitasti. Quo nomine in divinas Tuas laudes se effundere, easq́ʒ plenâ manu in cœlum efferre gestit quidem, sed reverentia, quâ Te humillimè prosequitur, inde quasi è medio cursu revocatur. Si enim privatorum occupationibus intervenire parum consulti est hominis, certè Principalibus curis multiloquio intercedere erit sacrilegium. Unicum est quod dißimulare nequit, quodq́ʒ magna animi & vocis contentione publicè attestatur, Te in constituendâ recenti Academiâ non solùm cum optimis Principibus, quos prisca tulerunt secula, fecisse paria, verùm eos largè & instituto & felici exitu superasse. Inter egregia quidem facinora, quibus Alexander Magnus inclaruit, non postremum censetur, quod splendidißimam urbem Alexandriam condiderit; verùm illa non ita multò post omnium nequitiarum taberna, omnium facta est officina scelerum. Majorem sanè gloriam in ornanda & amplificanda

Ur-

Urbe Augustus est post Alexandrum adeptus, sed eadem illa urbs Roma, quam ambitiosè lateritiam accepisse, marmoream reliquisse dixerat, omnium flagitiorum sentina semper fuit. Deniq; Constantinus Christianorum Imp. Primus, multis vehitur laudum præconiis, Byzantii conditor, si tamen bene calculum ponimus, plus huic operi vitii, quàm Magnificentiæ inest. Effecit enim Novæ (ut eam nominare solebat) Romæ constitutione, ut antiquissima illa & florentissima Roma concideret. Tua laus & gloria, O Serenissime Princeps, genuina est & solida, quam nulla dies imminuet, sed æternitas ipsa intuebitur, nulla enim ambitione inductus, sed mera pietate erga gloriosissimæ memoriæ Parentem commotus, quod ille destinarat, summo studio & pari felicitate perfecisti. Immortale hoc est beneficium Tuum, quod ut omnes subditi humillimo gratiosissimoq; animo accipiunt, ita nemo satis collaudare potest. Universæ tamen provinciæ Tuæ festis gratulationibus personant, & auspicatissimæ undequaq; acclamationes audiuntur: Vivat vigeatq; Serenissimus Princeps CHRISTIANUS ALBERTUS, Stator recentis Patriæ, incolumitatis publicæ conservator, Musarum Patronus, Academiæ Constitutor Opt. Max. Nullis autem mortalium in honestâ hâc contentione concedere sustinent Cives Tui Kilonienses fidelissimi, quin etiam inter gratulantium tripudia humillimè ad sacra genua Tua advolvuntur, suppliciter orantes, ut se suasq; fortunas tueri solitoq; favore & clementia complecti perseveres. Illi vicissim ô Serenissime Princeps, pro Tua salute vota nuncupare, assiduisq; DEUM precibus sollicitare nunquam intermittent, ut quam diutissimè in tutela sacrisq; Tuis agere nobis liceat, ut magnis auctibus magis magisq; crescas, ut sub Patrocinio Tuo Ecclesia, Respublica, indies capiant incrementum, augescente cumprimis hac civitate. Ita Consules, Senatus & universus populus uno ore vovent & comprecantur, nec dubium est, quin vota & suspiria omnium rata habiturus sit omnipotens.

Collaudato Urbis & Senatus obsequio, cum Serenissimus Princeps properaret ad majora, jussi sunt, splendidum nobilium præcedere agmen. Jam pontem magnæ molis, & pedem imperii attigerant, cum in hoc limine limiteque, novæ cum civibus Academiæ PROFESSORES, in conspectum Principis venêre, quibus visis, ut liberalium artium disci-

disciplinis liberum exhiberet conspectum, & Se, suaque in omnium commoda dispensaret *Serenissimus PRINCEPS* cum *Celsissimo Fratre*, equum exscendit, & singulis porrecta dextera, mentis & gratiæ tesseram impertiit. Oppidò, ne muta & elinguis esset vagiens adhuc in cunis sapientia, *Admodùm Reverendum, Clarissimum atq; Celeberrimum Virum PETRUM MUSÆUM* animavit ad vocem, qui brevi & nervosa gratulatione *Serenissimi FUNDATORIS* voluntati & clementiæ satis fecit. Cum autem maximè præsentis atque futuræ ætatis intersit, nosse primam Academici Senatus, Patrumque gratitudinem, orationem Musæi, & suadam Musarum subjicimus, ne fraudemus venientium seculorum memoriam.

Copia Orationis Dni. Pro-Rectoris.

R*Everendissime & Serenissime PRINCEPS, Domine, D. Clementissime. Nunquam huic loco serenior illuxit dies, quam hæc ipsa, quâ, DOMINE, tantum opus aggressurus, Serenissimus ingrederis. OPUS, quod* Holsatia *nondum vidit, votis tamen omnibus concupivit. DIEM, quem Cives exoptant; Exteri suspiciunt, omnes venerantur. In quo, tanti operis moles,* Tuis PRINCEPS, *humeris librata, post ingentia bellorum incommoda & tumultus, jam caducam mortalitatem excessit, futura immortale literarum decus, & boni publici incrementum. Impares tantis meritis sumus, quibus Nos, auspice DEO, & Te DUCE, Tua dignatur hoc die bonitas. Unum interea, quod possumus, & debemus omnes, ad quos hæc cura pertinet, AGIMUS GRATIAS, sed ita, ut prolixiores fuisse pectoris, quam vocis, agnoscat omnis dies, & fateatur Posteritas. Sic DEUS Ter Opt. Max. omne istud, quod* Auguste DUX *moliris, Nomini suo sacrum, Patriæ auspicatum, Tibi Pater Patriæ gloriosum, & nobis omnibus faustum & salutare esse jubeat: vovemus, & PIETATEM, hanc non prius, quam vitam posituros, pollicemur.*

Propensissimam erga DD. Professores, Serenissimi Principis voluntatem, Strenuus & Generosus D. *Fridericus Christianus Kielmannus*, intimus Consiliarius & Camerarius, luculenta oratione expressit, & propensionem interpretatus est, sequenti oratione, quam ut oculis excipiat Posteritas, hic supponimus.

Responsio D. Cameræ Consil. Kielmanni.

Reverendissimus ac Serenissimus Princeps ac Dominus, D. CHRISTIANUS ALBERTUS, Episcopus Lubecensis, Hæres Norvvegiæ, Dux Slesvvigæ, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorst, *Dominus noster Clementissimus, sereno vultu nutuq; ea omnia & singula excepit, quæ Tua plurimum Reverenda ac Clarissima Dominatio, non solum voce sua, sed & omnium nomine, tàm publicæ gratulationis ergo, quàm communium officiorum causâ, facundè & eruditè protulit in medium. Gratulatur sibi ex animo, præmemorata Reverendiss. atq; Sereniss. sua Celsitudo, quod illa tandem, tot Bonorum atq; ipsius Patriæ votis expetita, & exoptata* Dies *illuxerit; in quâ, & Augusti Parentis sui felix propositum, sed hactenus ferali bello interceptum, perficiendi, & proclivem suum animum, cum erga* Literas, *tum erga Te, Admodum Reverende Domine, cæterosq; Reverendissimos, Amplissimos, Consultissimos, Experientissimos DD. Professores, publicè contestandi, sit datus locus & occasio. Pergite omni eruditionis genere cumulatissimi, atq; ornatissimi Viri, quo cœpistis animo, atq; æterno tanti propositi negotio, mentes, voluntates, studia & ingenia vestra commodate, atq; reipsa efficite, quod hodie verbis votisq; concepimus. Stabit & durabit gratia facti, quam fundatoris bonitas, pronâ ducalis clementiæ munificentia pollicetur. Adeò, ut quemadmodum* Literæ, *de florentis status sui gloria, vestra* professione *semper certæ sunt, sic vos omnes Eruditissimi Viri, de Principis nostri affectu & beneficiis perpetuò securi esse possitis. Jam id quod restat, DEUM, omnis boni Authorem & Largitorem veneramur, precamurq;, ut sicut totius* Universi *curam gerit, ita hanc, quam tanti Principis auspiciis molimur ACADEMIAM, in dies efflorescentem, provehat in majus, auctamq; maximè famæ passibus & profectus incrementis, ad æternam nominis sui gloriam, ad Ecclesiæ, Patriæq; nostræ charissimæ commodum & ornamentum; necnon perennem Regnatricis Domus Holsatiæ felicitatem foveat, protegat, tueatur: vovemus, fac rata vota DEUS!*

Dixerat: quum jussu Serenissimi Principis, ope, operaque DD. Mareschallorum, datus est honorificentissimus Professoribus inter Nobiles & Senatores locus; præcessit illos, aperto ca-

to ca-

to capite novitia Academiæ juventus, donec cum toto comitatu & ordine, inter tubarum clangores, & tympanorum strepitus, inter voces gratulantium, & plausus populorum, ad Arcem pervenissent. Hic demum excensis equis, iteratò à Serenissimo Principe, in urbis & Academiæ Senatum, ducalis clementiæ indicia, ab aliis repetita salutationis officia, omnibus in humanitatem, & officia intentis, Serenissimos atque Celsissimos Principes, Ducalia suscepêre conclavia: cæteris sine ordine, quos vel irritabat expectatio, vel occupatio invitabat, in domicilia sua, per habitationes dilapsis. Atque hæc erant futuræ inaugurationis illa die præludia.

Altera die, quæ fuit IV. Octobr. circa horam octavam matutinam, acciti Professores, præeunte ac prælegente formulam juramenti, KIELMANNO PRÆSIDE, singuli juxta facultates suas, SERENISSIMO FUNDATORI, præstitêre fidelitatis homagium, nimirum ut tanto arctius in amorem & obsequium jungerentur. Hoc ipso die, hora secunda pomeridiana, solemnis fuit in Urbem introitus, Celsissimi *Principis* RUDOLPHI FRIDERICI, Ducis Nordburgensis, cui medio ab urbe milliari, ducali apparatu obviam itum est. Et quidem nomine Serenissimi Principis Regentis, qui Agnatum Principem exciperent, erant Generosi DD. *Johannes Wilhelmus* à Raichel, & *Johannes Adolphus Kielmannus*, (Excel. D. Præsidis minor natu filius) uterq; suæ Celsitud. Camerarius, uterq; studio in literas & bonas artes propenso, virtute & signis gentilitiis clarus, & ad magna natus. Additus subtribunus *Sebaldus* & *Marquardus Schvvabius*, cum numerosa Aulæ nobilitate, & Principis satellitibus. Omnes decenti ordine, præeunte tubicinis clangore, sejugibus ducalibus exceptum Principem, novo spectaculo per Urbis compita ad Arcem deduxêre. Ibi Serenissimus Princeps CHRISTIANUS ALBERTUS, una cum Celsissimo Fratre, Domino Coadjutore AUGUSTO FRIDERICO, occurrit blandè Principi Agnato, atq; blādius complexum, deduxit mediū inter Se & Fratrem, in principale cōclave; ubi familiari collocutioni aliqvod tempus impertitū, donec obsidentes interea fores, & porticus an-

DD. Professorum homagium.

Introitus Celsiss Principis Nordburgici.

 gustias

ſtias numeroſi Aulici & Miniſtri, Principibus non minori af-fectu à ſe recedentibus ſpatium, & gratiſſimo hoſpiti qvietem permiſere. Interim ne ullum genus vacaret officii, ab Aulæ Mareſchallis diligenter proviſi, pro more, ad januam ſtipatores, nec non ad reliqua officia, aſſignatæ famulantes domeſticorum manus. Equis porrò, curribusque ducalibus atque comitatui, in urbe datus locus, ſtabula, hoſpitia, menſæ, potiori parte in Arce retenta. Operoſum eſt recenſere, innumerum variis ex locis, equorum, curruum, hominumque utriusque ſexus ſtrepitum & confluxum, ac nunquam viſam hactenus (ſi bellum excipias) populorum undique confluentium frequentiam, ut ipſam civium admirationem, & Principis expectationem excederet copia. Inter Advenas, viros quoque Principes fuiſſe, certum eſt, quorum nomina in publicum jam orbi proferre, vix cenſeo decorum; poſtquam illi ipſi, ut publicæ faverent luci, privatorum ſiderum ſecuti naturam, ſuum ſponte ſubduxerint ſplendorem. Omnes tales ac tantos, contempta etiam tempeſtate, ac itineris moleſtiâ, ſive rei novitas ac fama, ſive in Principem amor & obſequium, ſive ipſa literarum dulcedo in urbem pellexit.

Totam hujus diei veſperam, teter ſiderum occurſus & noctis quietem coruſci fulminis jactus turbaverant, ut tecta etiam, domos, fora, compita, ſequens decidentium aquarum fœdaret illuvies. Adeo nemo extitit vel inter ſomniantes, qvam ex fœda imbribus nocte, non recentiſſimum habuerit tædium, aut è caſu non perſtrinxerit pœnitentia, aut ex horrore in ſiniſtram opinionem duxerit augurium. Mirum dictu! imminentibus felicisſimis nonis, atque illuceſcente mane die V. Octobr. DIE, quâ æternæ providentiæ nutus, & ACADEMIÆ in ſecula duraturam promovebat famam, & ipſi *Sereniſſimo FUNDATORI*, æternaturæ gloriæ procurabat immortalitatem: repentè pulſis undique nebulis, ac ſublata horrida tempeſtate, SOLEM tum primum fulgentem in Horizonte ſerenius, majori quam Phœnicum populi gaudio aſpeximus. Illicò omnes & ſinguli, quotquot ex tot mortalium aderant millibus, jam præteritorum immemores, præſentium tantum curioſi, aut futurorum augures,

tam ſubitam temporis mutationem, & conſtantem illius diei ſerenitatem, tum ad literarum felicitatem, tum ad Principis gloriam, multum pertinere ſunt arbitrati. In illis, florentis ſemper educationis; in hoc, inconcuſſi in regimine ſtabilimenti, ſcilicet magni voti, majoris ominis, maximi miraculi, haud temerarii interpretes. Vetus fatum factumve etiam in AUGUSTO fuit, cum nocturna Romæ tempeſtas, creſcente aquarum proluvio, tot populorum expectationem moraretur. Sed naſcente ſubitò luce, optata tranquillitas, *Solem & Triumphum*, urbi & orbi Romano reddidit & exhibuit. Ex caſu, non defuêre adulationes Civium & ingenia Poëtarum, inter alios illud Maronis enituit.

Nocte pluit tota redeunt ſpectacula mane
Diviſum Imperium cum Jove, Cæſar habet.

Alii adulatione deterius prolapſi, obſequentia ſidera & elementa Auguſto detulêre. Verùm tantane fuerit virtus Cæſaris, aut potentia, ut moderari potuerit Aſtra, & Cœlo imponere, ſuſpecta faciunt adulantium ingenia. Nihilominus ſi *Principes* etiam *Ethnici* in ſuperum tutela fuerunt: nefas erit dubitare in Duce CHRISTIANO, plus Pietatem valuiſſe; ut inter feſtivas hujus diei acclamationes, melius ALBERTO, quam *Auguſto*, hæc eveniat exclamatio. *Comparatio.*

O nimium dilecte DEO! tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſsica venti.

Et iterum:

Nocte pluit totâ, veniunt ſpectacula mane
Diviſum Princeps *cum* Jove TEMPUS *habet.*
Quis majora cupit miracula? Summus utriſq;
Author adeſt, hæc ſunt Principis, *illa* Jovis.

Certè ad ſubitam ſerenitatem, non defuit *Kiloniæ*, quemadmodum *Romæ*, Poëtarum natio, quæ, uti quondam ſtellis & numinibus numeros & nomina fecit: ita ſerenum hujus diei ſidus, divinam illi perſonam ac nomen alluſionibus imponendo, variâ ingeniorum concertatione, aggratulationibus, & orationibus ſalutavit. Quorum omnium conatum, operoſum eſt hic recenſere, ſiquidem tanta lucis ſerenitas, celebratiſſima diverſis orbis ex partibus ingenia, in ſocietatem accivit. Nos ne moraremur Lectorem, illa hinc

ut plurima, discrevimus; & ut sua singulis laus constet, singulari opere complexi sumus; cui titulus *VOTIVI APPLAUSUS* &c. &c. quam ob rem redeat ab Apolline & omine, unde necessario deviavit narratio.

Posteaquam exoptatus dies illuxit, & sol ex inopino refulsit serenius, ad primam Auroræ vigiliam ex arce tubâ signum datum, quod, secuti per cortinas, loricas, & aream Arcis, postea etiam per fora & compita civitatis, pedestrium tympanorum strepitus: oppidò conclamatum inter cives ac milites, ad arma, sed innoxia; dispositæ ad portas, pontes, & stationes militares vigiliæ, in foro autem & per vicos, cohortes armatorum civium per decurias distributæ. Hora septima matutina, signum secundum factum majori campanâ, admonuit officii Academicum cum Civibus Senatum, etenim omnes Professores in area sapientiæ convenerant, atque eo ordine ac gravitate, qualem præscribebat facultatum authoritas, ad arcem progressi, non prius quam ad conclave Principis substitêre, ut literarum Authoris, Statorisque opperirentur modestiùs egressum. Convenerat qvoqve Eqvestris ordo, cum Proceribus, Provincialibus & Regalibus Ducalibusque Administris. Primas omnium partes sustinebat *Celsissimus Princeps RUDOLPHUS FRIDERICUS*, Dux Nordburgensis: postea Illustrissimus Comes, & Sub-Vicarius Regius, DITLEVIUS RANTZOVIUS. Aderat sacratior turba verdi divini Ministrorum, horum Antesignani Reverendissimi Viri, & SS. Theologiæ Doctores, *Stephanus Klotzius, & Johannes Reinbothus*, qvorum alter Regalis, alter Ducalis Generalis Supraintendens, uterqve tantæ svadæ, facundiæ & authoritatis, ut non solum à Danis aut Holsatis, sed si Delphis fides, ibi qvoqve haberentur oracula. Præsentibus omnibus trahebatur usqve ad horam nonam salutationibus tempus; fiebant commissiones ingeniorum ab eruditis, ab aulicis magnificæ hinc & inde verborum concertationes, donec egresso Serenissimo PRINCIPE, magna Mareschallorum industria, hoc ordine seqventem Processionem instauraret.

Dispositio matutina.

1. In-


Pedestris Prætori,
anus Miles, ductore
Iohan: Christiano
de. Korbitz Num.
. 124


Tab I

Tab. 2






Mareschalli
secundary
Deputati ex
Provincijs Præfec
turis & Civitatibus


Tab. 3


Lectißima
Studiosorum
Iuventus.
Num. 162.


Tab. 4


Præpositi Ecclesiarum
Cum Sacrorum Administro
num


Tab. 5.


Duo Mareschalls
Cum Professoribus juxta
Classes . et facultates
divisis . Num. 16


Tab. 5


Duo Mareschalli
Cum Orduie Equestri
et. Aulicorum,
Num. 116


Tab. 7




Tab. 8


Tres Mareschalli
Cum 6 Ephebis gestantibus
precioso Academiæ Insignia.


Tab. 9


Tympanista
& Tubicines




Tab. 11.
Tres Principes
CHRISTIANVS ALBERTVS
AVGVSTVS FRIEDERICVS
RVDOLPH FRIEDERICVS
Nordburgensis



fol. 12.


Carpentum Se
Principis in q
Vehitur Cæsa
Majest. Legat
Commissarius


Tab.
Serenissi
quo
sareæ
atus &
ius.

Tab. 15.




Tab. 15.


Tab. 16.
Consiliarij
et Aulici Cum
Chiliarchis.


Tab. 17
iales


Cohors pedestris
Capitanei Camp Hubneri
quæ claudit processi
Onem. 120


Tab. 18




Tab. 19


Tab. 20



1. Inchoabat ordinem & pompam prætorianus miles & pedestris, Ductore Viro strenuo & animoso *Johanne Christiano de Korbitz*, signa cum vestibus coloris purpurei, sed & cœlestis; ne quisquam exprobrare posset peditibus originis vel conditionis vilitatem. *Ordo pompæ inauguralis.*

2. Duo Sub-Mareschalli ducebant post se Provinciarum atque Urbium Deputatos, Oeconomos, Consules; & urbis Kiloniensis Senatores.

3. Hos sequebatur lectissima Studiosorum juventus, num. 162. tota florenti ætate & spiritu ad bonas artes magnanimo.

4. Studiosos secuti Ecclesiarum Præpositi, cum sacrorum Administris. num. 80.

5. Rursum duo Vice-Mareschalli, quos ponè sequebantur per suas classes & facultates distributi Professores, quorum omnium nomina, ad perpetuam rei memoriam, seqvens Elenchus cum professionibus indicabit.

Nomina & officia Professorum Academiæ Kiloniensis.

Petrus Musæus S. Theol. Doctor & Professor Primarius p. t. Academiæ Pro-Rector, & Facultatis suæ Decanus.
Christianus Kortholt. S. Theol. Doctor & Professor Publicus.
Paulus Sperling. S. Th. D. & Prof. P. Præpositus Holsaticus.

Ericus Mauritius U. J. D. & Prof. P. Facultatis suæ h. t. Decanus.
N. Michaelis J. U. D. & Prof. Ord.
Samuel Rachelius, U. J. D. Juris Naturæ & gentium Prof. P.
Simon Heinrich Sanneman, Jurisprud. Prof. ordinarius.
D. N. Schwencke. Jurispr. Prof. P.

Caspar March Medic. D. Med. Pr: Professor, Facultatis suæ h. t. Decanus.
Johan Daniel Major Ph. & Med. D. Med. Theoret. & Botan. Prof: P.

Michael Watsonius S. Th. & Ph. D. quondam Historiarum & Polit. Prof. Ordinar. & Philos. Fac. Decanus, mortuus 7. Nov. 1665.

Matthias Wasmuth, S. Theol. D. Hebr. & Oriental. Ling. Prof. Ordin. Facult: suæ h. t. Decanus.
Daniel Georgius Morhofius U. J. D. Eloq. & Poet. Prof. P.
Samuel Reyher U. J. & Ph. D. Mathem: Super: & inferiorum Prof: Publ:
Cæso Grammius Ph. & Med. D. Physiolog. & Gr: Literaturæ Prof: Publ.
Christophorus Franck, Metaphys. & Logicæ Prof. P.
Nicolaus Martini, J. U. D. Politicæ Prof. P.
M. Adamus Tribbechovius, hactenus moralis Philosophiæ, nunc Historiæ sacræ & profanæ P. P.
N. Mauritius Ethices Professor.
Alexander Carolus Curtius, Juris & Med. D. & Gallicæ & Italicæ linguarum Prof: *Extraord.*
Matthæus Stolterfoth, Academiæ Secretarius.

Omnes, quos hactenus recensuimus, ut reverentiam miscerent officiis, bini & bini, nudatis capitibus processerant.

6. Duo Mareschalli ex Camerariis Serenissimi Principis *Johannes Wilhelmus à Raichel,* nobili loco natus, acri ingenio, moribus severis & castigatis: & *Fridericus à Günteroth,* virtutibus & signis gentilitiis conspicuus, ducebant insigne & speciosum agmen Aulicorum, atque ordinis Equestris, cujus cultum luxumque non modò humilis exploravit oculus, sed vix ipsa discrevit ambitio.

Consiliarii Regii.

Detloff *Comes in* Rantzow/ *Dom. in* Breitenburg/ *Consiliarius Provincialis, nec non Slesvvigæ & Holsatiæ Ducatuum Subvicarius.*

Hinrich Blome/ *Eques Auratus, Consiliarius Provincialis & Præfectus* in Rendesburg/ *Dominus* in Farbe/ Hagen & Neuersiorp.

Gosche von Buchewaldt/ *Præpositus* in Itzehoe & Uter-

Consiliarii Ducales.

Wolff Blome/ *Emeritus Consil. quondam Provincialis & Præf.* in Tundern/ *Dominus* in Seestorff & Tesiorff.

Paul Rantzow/ *Consil. Provincialis & Præf.* in Kiel/ *Dominus* in Bootkamp / Kohövet/ Doversiorff & Binebeck.

Detloff von Alefeld/ *Consil. Prov. Præf.* in Tundern/ *Dominus* in Hilligensteden & Krumdick.

Hans

sen/ *Consiliarius Provincialis, Dominus in* Ulpenitz.

Burchard von Alefeld/*Dominus* in Colmar/Saxtorff *&* Eschelsmarck/*Consiliarius Provincialis.*

Hans Hinrich Kielmann *à* Kielmans-Eck/*Præpositus S. Johannis propè Slesvigam, Consil. Provincialis & Præfectus Gottorpiensis.*

Hans Rantzow/*Consiliar. Provinc. & Præfectus in* Cismar *&* Oldenburg / *Dominus* in Putloes & Pancker.

Sequuntur hîc, citra præjudicium & proëdriam juxta Familiarum initiales literas, illorum nomina, qui obeundis aliis muneribus haudquaquam præfecti, Serenissimum Principem in ipso Inaugurationis actu vel præcesserunt vel subsecuti sunt.

A.

Hinrich von Alefeld *Eq: Aur. & Colonellus.*
Bendix von Alefeld/*Colonellus.*
Claus von Alefeld/*Vice-Colonellus*
Gerdt Philip von Alefeld/ *Tribunus Equitum.*
Bendix von Alefeld
Cai von Alefeld
Detloff von Alefeld
Wolff von Alefeld
Moritz Hieronymus von Alefeld/*Tribunus Equitum.*
Balthasar von Alefeld.
Heinrich von Alefeld
Fridrich Christian von Alefeld
Hans Heinrich von Alefeld/*Benedicti Filius.*
Fridrich von Alefeld } *Fratres.*
Cai von Alefeld }
Joachim von Alefeld/ *Nicolai Filius.*
Gregorius } von Alefeld/ *Gerhardi Filii.*
Johan }
Gosche von Alefeld
Frantz von Alefeld/*Wolffi Filius.*

B.

Fridrich von Buchwald *Eques auratus General Major*

Heinrich Brockdorff/*Colonellus & Præfectus* in Apenrade
Hans Blum *Præfectus* in Schwabstedt & Lügenkloster
Detloff Brockdorff *Colonellus.*
Jochim Brockdorff *Vice-Colonellus.*
Dieterich Blom
Adolph Josias Brockdorff
Hans Adolph von Buchwald
Jasper von Buchwald
Bartholomæus Berckentin/*Coadjut. Lubec. Præf. stabuli.*
Hinrich Günther von Baudissen
Jürgen von Bützow
Marquard Wolff Broeckdorff
Claus von Buchwald
Henning von Buchwald
Detloff von Buchwald
Wolff von Buchwald
Paul Brockdorff
Detloff Brockdorff
August Ludwig von Buchholtz/Vice-Colonellus
Wolff Brockdorff *Joachimi Filius.*
Wolff } Blomen/*Heinrici Filii*
N. N. }
N. N Buchwald/ *Joh. Adolphi filius*

D.

Lüder von Deßin/ *Coadjutoris Lubec: Camerarius*

F.

Alexander *Julius Torquatus à Frang: Baro & Colonellus.*

G.

Christoph Gensch

H.

Sebald von Hardwich *Ducis Holsatici Major*

K.

Friedrich Christian Kielman/*Consil: Cameræ*
Johan Adolph Kielman/*Camerarius*
Johan Friedrich von Korff/ *Ducis Sonderb. Camerarius*
George Melchior von Goßbott

L. Hart,

L.

Hartwig von Lefſzau
Johan Werner von Litzelburch

M.

Christoff Moltke
Gottlaff von Moltke

P

Claus Pogwiſch
Detleff Pogwiſch

Q.

Heinrich von Qualen
Hans von Qualen *Henrici Filius*
Otto von Qualen

R.

Bartam Rantzow *Colonellus*
Frantz Rantzow
Tönnies Rantzow
Hieronymus Rantzow
Otto Reventlau
Heinrich Reventlaw
Leopold Wilhelm } Rantzow/Hanſens *filii*
Otto }
Cai Rantzow
Christian Rantzow/*Francisci Filius*
Cai und Detloff Rantzow/*Antonii Filii*
Detloff und Friedrich Reventlau
Detloff Reventlau
Henning Rumor

S.

Heinrich Seeſtede *Colonellus*
Oſwald Seeſted
Otto von Seeblat
Marquard Schwabe

T.

Jochim von Tinen
Hans von Tinen
Henning von Tinen Hanſens *Filius*
Hieronymus von Tinen/Gotſchalcks *Filius.*
Heinrich von Tinen

W.

Johan Fridrich von Winterfeld/*Præpoſitus Lubecenſ.*

Wolff von der Wisch
Hans Walter/*Colonellus*
Otto von der Wisch/*Wolfi filius.*

7. Tres Mareſchalli, Camerarii Sereniſſimi Principis, *Mauritius ab Aleſeldt, Benedictus Blumius*, & *Johannes Chriſtophorus Uchtericius*, ceris majorum ac meritis conſpicui, ſed ultimus etiam Perſica legatione ac dexteritate illuſtris.

8. Hos immediatè ſequebantur ſex nobiles Ephebi, intermixto candore, etiam purpurâ induti. Sex conchyliatis culcitris Academica manibus portabant Inſignia. Horum primus *Chriſtophorus Levin* à Desſin, ferebat in originali Cæſarea Privilegia, à Divo FERDINANDO III. Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, conceſſa & roborata. Secundus *Ditlevius à Radlau*, geſtabat Literas donationis, à Sereniſſimo Fundatore ſubſcriptas, & ſigillis munitas; in quibus erat DOS Academiæ, & æternum Principis beneficium, conſtans aſſignationibus, fundationibus, ſalariis ac beneficiis menſæ communis. Tertius, *Johannes Philippus ab Oſterhauſen*, tenebat ſigilla quinque, unum Academiæ majus & conſpicuum, reliqua minora ſingularum facultatum. Quartus, *Gerardus de Röhn* portabat Epomidem purpuream, paludamentum Rectorum, ſive Pro-Rectorum Prætextam. Quintus, *Victor Adolphus de Leffzau*, ferebat claves binas, ac ſolidè inauratas, ſymbola manifeſtæ ac manifeſtandæ ſcientiæ. Sextus, *Chriſtophorus de Lauzau* geſtabat ſceptra duo argentea, nodulis & manubiis inaurata, utrumque authoramentum & ornamentum Academiæ.

9. Ephebos nobiles ſequebatur tympaniſta cum tympano: utrumque rarum hîc, in illo barbara feritas, quia natione Turca; in hoc metalli invidia, quia ex argento.

10. Ponè ibant octo Tubicines, tubis argenteis, coloribus, conopæis, & inſignibus Principis conſpicui.

11. Tres Mareſchalli, *Sigismundus Henricus Tettavius*, *Bartramus Pogvviscius*, & *Ægidius Wittorffius*, ſinguli gentilitiis inſignibus clari, & honoribus illuſtres.

12. Poſt prædictos, inter duos *Principes*, Fratrem *AUGUSTUM FRIDERICUM*, & Agnatum *RUDOLPHUM FRIDERICUM* Nord-

Nordburgensem, majora signabat vestigia, *Reverendissimus atq; Serenissimus Princeps ac Dominus, D. CHRISTIANUS ALBERTUS, Episcopus Lubecensis, Hæres Norvvegiæ, Dux Slesvvici, Holsatiæ, Stormariæ, Dithmarsiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorst,* vultu, cultu, habitu, equo, cristis, armis, phaleris, omnibus & ante omnes conspicuus. Utrumque latus sex peltati stipabant satellites.

13. Tandem Principem, ducale cum sejugibus sequebatur carpentum, quo, ad formam triumphi vehebatur *Illustris & Excell. VIR, JOHANNES ADOLPHUS KIELMANNUS à Kielmans-Eck*, præter cumulatos virtutum, honorumque titulos, jam *SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆq; MAJESTATIS, LEOPOLDI I. Romanor. Imp. semper Augusti, LEGATUS & COMMISSARIUS.* Ab utroque latere octo peltati satellites, neque cultu, neque colore à cæteris distincti. Novum hoc & inauditum ante, in ejusmodi Actu Cimbrorum Duces & Cæsares Pacis ac sapientiæ fœdere jungi. Portabatur *Germanicus*, tribunorum ac militum humeris, atque ubi colonias præteribant, atrata plebs, trabeati equites, pro opibus loci, thura, vestes, odores, aliaq; funerum solemnia cremabant. Vehebatur hoc die triumphali curru, viva in *Kielmanno CÆSARIS* effigies, præcedebant signa non Mortis, sed *Artis*, nec Bellonæ, sed *Sapientiæ*. Et quacunque gradiebantur purpurata nomina, plausibus obvii & acclamationibus, Civis, Senatus, populusque gaudium & benevolentiam testabantur. *Comparatio pompæ funebris cum pompa solenni.*

14. Legatum Cæsareum sequebantur, Illustrissimus Comes & Vice Prorex Holsatiæ, *Ditlevius Rantzovius*, ex Heroibus ortus, & Heros ipse; Regales atque Ducales Ministri, Provinciales & Aulici Consiliarii, cum Chiliarcharum Subtribunorumque corona. Omnes & singuli ea virtute ac dignitate, ut neque toga possit conqueri, neq; sagum: insignia bello paceque decora, maxima Consiliorum atque fortitudinis ornamenta.

15. Claudebat pompam cohors militaris, quæ per cœmeterium, & ad fores Basilicæ (tanta erat cautio) disposita, per sui medium immittebat in templum triumphantes: alia à tergo aut à latere, vetabat confusionibus ac tumultibus ac-

cessum. Hoc recensito ordine gradiebantur inter festivas acclamationes, inter innoxios armorum strepitus, inter lituos & classica, inter tubas & tympana ad sapientiæ amphitheatrum. Dum interim pueri, juvenes, senes, cum sexu muliebri, quo tanto se pascerent spectaculo, tecta, vias, portas, fenestras oppleverant, nullum permittentes vacuum vestigiis locum.

Introitus in templum & singulorum statio.

Cum autem tantus AUGUSTORUM introitus, angustos adeò *Sanctuarii* reddidisset parietes, ut vix illi ipsi, qvorum intererat *Esse*, consistendi invenirent spatium; vetantibus ad crates aureas satellitibus promiscuum accessum. Idcirco primi duo Mareschalli, Provinciarum atque Civitatum Deputatis, Consulibus, Senatoribus, Sacrorum Ministris, aliisqueadvenis & hospitibus, in corpore templi usitata loca & sedilia assignarunt. Domini Professores juxta Collegia & Facultates, â suis Mareschallis ad sinistram sanctuarii partem deducti, ibidem consedêre. *Illustrissimus Comes* Rantzovius cum Regalium Ducaliumque Provinciarum Consiliariis & Administris, nec non potiore nobilitatis ordine dextram Chori regionem occupavit. Singulis ritè dispositis ac ordinatis, appropinquabat CÆSAREUS LEGATUS, præcedentibus Germano & Agnato Principibus, Serenissimo verò AcademiæFundatore, Legati sinistrum latus claudente. Quos Mareschalli debito functionis obsequio, & rara veneratione, solemnissimè deducebant, donec CÆSAREUM LEGATUM ad dextrum superioris cathedræ latus amplissima sedes excepit. PRINCIPES verò ad lævum, in erectis soliis consederunt. Novissimè deposita in mensa cum suis culcitris Academiæ insignia: tum augendæ Majestatis gratia, tres Mareschalli ante LEGATUM CÆSARIS, cæteri ante PRINCIPES durante toto solemnitatis tempore, per sex horas indefessi stetêre. Illicò ut suam quisque decoravit sedem, aut stando locum occupavit; etiam ingens populorum turba templi testudinem & Choros implevit, viri, senes, juvenes, matronæ, innuptæque puellæ, tot ridentes nymphæ, tot amœni vultus, tot vibrantes faces, qvarum flammis, nisi divina pectora & lapides occurrissent, potuissent homines accendi & inflammari; quippe harum a-

Descriptio varii sexus.

spectu





ſpectu, non tantum alloquiis, mulceri quoque leones teſtatur Plinius; & certè unus cum toto ſuggeſtu jubarum cesſit in Reginæ Berenices delicium. Quid putabimus in juvenibus fieri? quibus pectus tenerum & molle, & in mulierem, unde ducit originem, facile rediturum. Sed his, non niſi ex occaſione & per tumultum affectuum excusſis, juſtè aliquis excandeſcat, aut immoretur: nos, ab oculorum illecebris, etiam aurium blandimenta ulterius invitant.

Etenim ut immenſus tubarum clangor, & tympanorum ſtrepitus intonuit, & ſimul deſiit in fragore, dedit ſpatium vocibus & inſtrumentis. Nam invocato divini Numinis auxilio, è ſuperiore loco Phonarchus, ſuavisſimo vocum omnium concentu, intercalaribus ſuſpiriis, ac interpoſitis inſtrumentis, cecinit veterem Eccleſiæ Hymnum, *VENI SANCTE SPIRITUS, &c. &c.* Finito jam ſolemnisſime Rythmo, *Admodum Reverendus atq; Clariſſimus Vir JOHANNES REINBOTH, SS. Theologiæ Doctor*, Serenisſimo Principi *à Sacris, nec non utriusq; Ducatus Generalis Superintendens*, ſuggeſtum templi ordinarium aſcendit, atque præmiſſa opportuna præfatione, convenientem loco, tempori, negotio, Auditorio, habuit ſermonem, qvem, ſepoſitâ in hoc opere curâ, ad calcem poſitum, *lit. A.* leget præſens ætas ſuadam, & mirabitur Poſteritas dicendi libertatem. Finita cõcione, conceptæ preces, vota nuncupata, pro incolumitate Principis, pro ſtabilimento boni publici, & hujus ipſius Academiæ incremento & ornamento. Actis DEO Opt. Max. gratiis & peractis precibus, atque ex more benedictione impertita, intonuêre cum tubis ac lituis tympana, poſtea pari vocum modulatione ac inſtrumentorum gratia, cantatus Divi *Auguſtini* & *Ambroſii* hymnus: *TE DEUM LAUDAMUS* &c.

Vellem jam ſi poſſem *Excellentiſſimi Domini Johannis Adolphi Kielmanni*, *PRÆSIDIS* & *LEGATI*, non cogitationes duntaxat & verba, ſed animi qvoqve & corporis motus exprimere, quibus incitatus, difficillimum ac graviſſimum, utrobiqve glorioſum munus expleverit: cujus æternum decus, pro *Cæſarea Majeſtate* non modò ad præſentium temporum utilitatem tranſtulit; verum etiam ſua ſollicitudine *Deſcriptio Legati.*

ad

ad omnium Posterorum memoriam transmisit. Aderat illi, quæ multum in rebus administrandis, atque imperio valet *AUTHORITAS*, & qualis, laudatus ille *Germanicus*, visu & auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem & gravitatem retinuit ubiqve, invidiam & arrogantiam effugit.. Hic, ut cessavere voces & instrumenta, verba facturus pro Imperatoriâ Majestate, superiorem orchestram ascendit. Mox omnes ordines, reducto moderatè spiritu, in illo Cæsaris præsentiam venerati sunt, & cum diceret, non in vultu tantum sed & in verborum apicibus hæserunt. Ne Lector quoq; hæreat, tanti Viri Orationes geminas, de verbo ad verbum circa narrationis hujus finem inseruimus.. (*Videatur lit. B.*) Ut dixit: è triplici Musicorum Choro, succenturiatis vocibus & instrumentis, respondente Musica Castrensi, tubis, fistulis, tympanis, laudes FERDINANDI & LEOPOLDI AUGUSTORUM cantatæ sunt. Compositio hujus cantûs exhibetur *sub lit. D.* Mox iis cessantibus, cum *Cæsareus Legatus* recollecto spiritu, altera Oratione (*lit. C.*) multa ex laudibus Cæsarum, imprimis FERDINANDI III. atqve clementia Augustissimi Successoris LEOPOLDI I. delibasset: eorundem quoqve beneficia, sumptis in manus Imperatorum Privilegiis, exaggeratâ modestiâ, palàm omnibus ostendit. Et, ne solos superficie tenus moraretur oculos, pari dignitate & imperio, Amplissimum & Consultissimum Virum, *Fridericum Jugertum*, J. U. D. & Serenissimi Principis Cameræ Secretarium accersivit, jussitque publicè in perpetuam rei memoriam legi Cæsaris Diploma. Quod ille haud segnius, quàm fuit imperatum, præstitit, & voce clarissima ex inferiore subsellio recitavit. Nostra hic petitur industria, ut aurei hujus Diplomatis copiam, ingeniis avidis aut supra aviditatem curiosis, communicandam ducamus, ut & Cæsarum sua semper in orbe Christiano constet Majestas; & Fundatorum tantæ molis appareat conatus, atque in Academia CHRISTIANO-ALBERTINA immortalis docentium atqve discentium vigeat cum veneratione memoria.

Ferdinandi III. & Leopoldi I. laudes cantatæ.

Diploma Ferdinandi III.

FERDINANDUS TERTIUS DIVINA FAVENTE Clementiâ, electus Romanorum IMPERATOR, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. REX, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ & Teckæ, Princeps Sveviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ Slavonicæ, Portus Naonis & Salinarum. Agnoſcimus, & notum facimus, tenore præſentium univerſis, poſtquam Dei prępotentis conceſſu ac munere ad ſupremum Majeſtatis Imperialis faſtigium evecti ſumus, officii noſtri munus cumprimis requirere exiſtimamus, Majorum Noſtrorum Romanorum Imperatorum ac Regum (qui inter alias ſupremæ poteſtatis curas, hanc præcipuè dignitate ſua dignam exiſtimarunt, ut varia in Sacro Romano Imperio Gymnaſia, Academias, & univerſalia ſtudia inſtituerent, fundarent & confirmarent) exemplo ſollicitè curare, ut liberalium artium ac ſcientiarum ſtudia, quæ ad Reipublicæ gubernationem & conſervationem neceſſaria & opportuna ſint, excolantur, & convenientibus honori-

bus ac præmiis excitentur, noſtroque auſpicio felicia incrementa conſequantur.

Cum igitur Sereniſſimus FRIDERICUS, Hæres Norvvegiæ, Dux Schlesvvitiæ, Holſatiæ, Stormariæ & Dietmarſiæ, Comes Oldenburgenſis & Delmenhorſtenſis, Conſanguineus & Princeps Noſter chariſſimus, humiliter nobis expoſuerit, ſibi jam pridem in eam curam incumbenti, quâ ratione fideles ſuos ſubditos, quorum ſalutem à triginta & ampliùs annis ſupremam legem ſtatuerit, ſingulari quodam beneficio afficeret, cujus fructus non unius eſſet ævi, neque in præſentes tantum redundaret, ſed ætatem ferre, & in poſteros derivari poſſet, occurriſſe animo, nihil æquè ad ſolidam & imperantium, & parentium felicitatem conducere, quam ſi cogitationes eò convertantur, ut juventus, præſertim in maturiorem adoleſcens ætatem, poſtquam prima ſtudiorum tyrocinia in ſcholis inferioribus feliciter depoſuerit, celſioribus diſciplinis mancipetur, ac optimis quibuſcunque artibus imbuatur, & ſub oculis ac in conſpectu quaſi parentum in eos mores formetur, qui DEO grati, Reipublicæ utiles eſſe poſſint: ſed cum inter cætera, quibus hæc acquiratur felicitas, primum ſibi locum vendicent ſublimiores ſcholæ, tanquam officinæ neceſſariæ, quæ prodeuntes ex ludis litterariis adoleſcentes excipiant, ad ſtudia reconditiora & ſuperiores diſciplinas manu quaſi ducant, tandem probè excultos, ad capeſſendæ Reipubli-

blicæ munia tanquam ex penu depromant; ac demiſsè Nos proindè dictus Sereniſſimus Dux rogarit, cum penè ſolus inter omnes Imperii Principes tali aliquo utiliſſimo ſeminario deſtitutus ſit, quatenus ſibi poteſtatem concedere clementer dignaremur, ut in Ducatus ſui Holſatiæ, & territorii Sacro Romano Imperio ſubjecti, commodo quodam loco tale ſublimius Gymnaſium, ſive Academiam erigere poſſit, quæ quoad privilegia, & immunitates cum aliis per Germaniam, Italiam & Gallias privilegiatis ſtudiis (ſalvâ tamen ſemper Noſtra authoritate, ſalvâ itidem dicti Ducis ſupplicantis, & ſucceſſorum ſuorum ſupremâ jurisdictione) æquo jure cenſeatur, in qua erigenda Academia ſingularum facultatum Profeſſores poteſtatem habeant, prævio & rigoroſo examine, Doctorum, Licentiatorum, Magiſtrorum & Baccalaureorum titulos dignis & benemeritis elargiendi, qui quidem per eos promoti, ſingulis gratiis, favoribus & Privilegiis, prout in aliis Univerſitatibus ejusmodi gradibus inſigniti utuntur, fruantur & gaudeant: Prætereà Doctores & Scholares, in erigenda Academia, cum conſenſu ſæpè fati Ducis, & Succeſſorum ſuorum ſtatuta condere, ordinationes facere, nec non Prorectorem & Procancellarium (manente penes Ducem, uti Fundatorem, & Succesſores ſuos dignitate Rectoris & Cancellarii) aliosque officiales Univerſitatis creare posſint & valeant. Ut inſuper in eadem Univerſitate

Rectoratus munere functurus, Comitivâ Palatinâ exornetur, sibique Duci supplicanti venia concedatur, conferendi arma & insignia, singulis in Academia constituendis facultatibus.

Nos pro singulari, & benigna Nostra, quam erga Serenissimum Holsatiæ Ducem gerimus, affectione, ejusdem precibus in hunc, qui sequitur modum benignè annuendum duximus, prout hisce clementer annuimus, ac Dilectioni Suæ potestatem erigendi in Ducatus Holsatiæ Nobis, & Sacro Romano Imperio subjecti territorio sublimius Gymnasium, sive Academiam ac studium universale omnium liberalium Artium ac scientiarum in quovis Gymnasio, Universitate, sive Academia per universas nostras, & Sacri Romani Imperii ditiones publicè proponi, ac doceri solitarum clementer concesserimus, prout hisce animo deliberato ac maturo desuper habito consilio, ex certa scientia, facultatem & potestatem præfatam concedimus & elargimur, ita videlicet, ut id Gymnasium sive Academia, ac Studiorum Universitas, per dictum Serenissimum Ducem aliquo Ducatus sui Holsatię, sed tali loco, (ne per hanc erectionem vicinis Universitatibus prejudicetur) erigi ac fundari possit, & valeat, & quandocunque erectum fuerit, cum omnibus in ea comprehensis Professoribus, Doctoribus, Scholaribus, adeoque universa pube literis ibidem operam navante, aliisque ad eam

per-

pertinētibus perſonis æquo jure cenſeatur, pari dignitate æſtimetur, omnibusque immunitatibus, privilegiis, libertatibus, honoribus, franchiſiis, ſicut aliæ per Germaniam Univerſitates, earumque membra, utatur, fruatur, potiatur & gaudeat: Volentes, & eadem authoritate noſtrâ Cæſareâ decernentes, quod Profeſſores, & perſonę idoneę, per memoratum Principem, illiusve ad hoc delegatos deputandæ posſint, & valeant in prædicta Univerſitate, ſeu ſtudio univerſali profiteri, & lectiones diſputationesque publicas facere, concluſiones palàm discutiendas proponere, interpretari, gloſſare & dilucidare, omnesque actus ſcholaſticos exercere, eo modo, ritu & ordine, qui in cæteris Univerſitatibus obſervari ſolet.

Porrò cum ipſa ſtudia eò feliciori gradu procedant, & majus ſumant incrementum, ſi ingeniis & diſciplinis ipsis ſuus honos ſeu dignitatis gradus ſtatuatur, ut emeriti aliquando digna laborum ſuorum præmia conſequantur, ſtatuimus & ordinamus, ut per Collegia Doctorum ſeu Profeſſorum, electis ad id idoneis, & prę cęteris excellentioribus, ſi quid ad ſumēdam palmam certaminis ſui idonei judicati fuerint, adhibitis prius per ipſos Doctores & Profeſſores, pro more & conſuetudine ſolennitatibus, & ritu in cæteris Univerſitatibus obſervari ſolitis, rigoroſo & diligenti examine (in quo conſcientias ipſorum Profeſſorum onerari volumus) eos, qui ſe examine ſubmiſerint, atque

pro more, & juxta ſtatuta Scholarchis per aliquos dignos & honeſtos viros præſentari ſe fecerint, posſint ad ipſum examen admitti, & invocatâ Spiritus Sancti gratiâ examinari, & ſi hoc modo habiles, idonei & ſufficientes reperti, atque judicati fuerint, Baccalaurei, aut Magiſtri, vel Licentiati, vel Doctores, pro uniuscujusque ſcientia & doctrina creari, & hujusmodi dignitatibus inſigniri, nec non per bireti impoſitionem, & annuli, ac oſculi traditionem, cæterisq; conſuetis ſolennitatibus inveſtiri, & ſolida ornamenta atque inſignia dignitatum prædictarum eis tradi & conferri; Quodqve Baccalaurei, aut Magiſtri, vel Licentiati, vel Doctores in eadem Academia promoti, & promovendi debeant & posſint in omnibus locis & terris ſacri Romani Imperii, & ubiq; terrarum & locorum liberè omnes actus Profeſſorum legendi, docendi, interpretandi & gloſſandi facere & exercere, quos cæteri Profeſſores, Baccalaurei, Magiſtri, Licentiati & Doctores in aliis ſtudiis privilegiatis promoti & inſigniti exercent & exercere poſſunt, & debent de jure vel cõſuetudine.

Prætereà recipimus eandem Univerſitatem à ſæpenominato Sereniſſimo Duce, in Ducatu ſuo Holſatię, ut ſupra, erigendam, in noſtram, & Succeſſorum Noſtrorum Romanorum Imperatorum & Regum, ſingularem protectionem, ſalvam guardiam atq; patrocinium; Volumusque & decernimus per præſentes, quod Scholaſtici dignitatem, ſeu gradum aliquem in dicta Uni-

universitate assumpturi gaudeant & potiantur, uti, frui, gaudere & potiri possint, & debeant omnibus, & quibuscunque gratiis, honoribus, dignitatibus, præeminentiis, immunitatibus, privilegiis, franchisiis, concessionibus, favoribus & indultis, ac aliis quibuslibet, quibus Universitas Heidelbergensis, Tibingensis, Coloniensis, Ingolstadiensis, Friburgensis, Rostochiensis, Julia Helmestadiensis, Argentoratensis, ac alia studia privilegiata, ac Doctores, Licentiati, Magistri, Baccalaurei & Scholastici in supradictarum facultatum unâ, vel alterâ isthic promoti, aut aliqua dignitate, seu gradu insigniti gaudent, utuntur, fruuntur & potiuntur, quomodolibet cõsuetudine, vel de jure, non obstãtibus aliquibus privilegiis, indultis, prærogativis, gratiis, statutis, ordinationibus, legibus, cõstitutionibus, reformationibus, exemptionibus, aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus, quibus omnibus & singulis ex certa nostra scientia, animo deliberato, & motu proprio per hoc Diploma Nostrum derogamus, & derogatum esse volumus, dummodo tamen nihil scandalosum, vel bonis moribus contrarium, aut Sacri Romani Imperii constitutionibus adversum, sive Professores, sive Studiosi ibidem doceant vel scribant, aut doceri, scribi, in lectionibus aut disputationibus publicis proponi, aut scripto, vel libris, sive clàm, sive palàm vulgari permittant.

Concedimus insuper, & elargimur beni-

gnam facultatem, ac potestatem, ut Doctores & Scholares in erigenda Universitate existentes, ad exemplum reliquarum Academiarum, prævio tamen consensu sæpefati FRIDERICI Ducis Holsatiæ, ejusque successorum statuta condere, ordinationes facere, nec non Prorectorem, ac Procancellarium (quippe à libero Ducis, uti Fundatoris, ejusque successorum arbitrio, & beneplacito dependere volumus, ut sibi ipsismet dignitatem Rectoris & Cancellarii reservent, aut si & quoties voluerint, Universitati liberam & aliis Universitatibus consuetam eligendi Rectores & Cancellarios facultatem elargiantur) nec non alios officiales pro libitu, & exigentia creare & facere possint & valeant.

Quo etiam nominatus Serenissimus Holsatiæ Dux, ejusque Successores benignam animi nostri propensionem quoad hanc erectionem & fundationem magis magisque experiantur, motu, scientia, & authoritate, quibus supra, Prorectori ad eum quô diximus modum constituendo, vel eligendo sive Rectoratus munere, deinceps in eadem Universitate quoquo tempore functuro comitativam Sacri Lateranensis Palatii, Aulæque Nostræ Cæsareæ, & Imperialis Consistorii contulimus, dedimus & elargiti sumus, prout tenore præsentium clementer conferimus, damus & elargimur, eumque aliorum Comitum Palatinorum numero & consortio gratiosè aggregamus & adscribimus;

mus; Decernentes, & hoc Imperiali ſtatuentes edicto, quod ex hoc perpetuo deinceps tempore, donec, & quamdiu dicti Prorectoris muneri præfuerit, infra ſcriptis privilegiis, gratiis, juribus, immunitatibus, honoribus, exemptionibus, conſuetudinibus & libertatibus uti, frui & gaudere poſsit, & valeat, prout iisdem cæteri Sacri Lateranen: Palatii Comites hactenus uſi & potiti ſunt, ſeu quomodolibet utuntur & potiuntur conſuetudine vel de jure: Ac imprimis ut poſsit & valeat per totum Romanum Imperium, & ubiq; locorum ac terrarum Notarios publicos, ſeu tabelliones, & Judices ordinarios creare, facere, & univerſis perſonis, quæ fide dignæ, habiles & idoneę fuerint (ſuper quo conſcientiam ejusdem Prorectoris oneratam volumus) Notariatus ſeu Tabellionatus & Judicatus ordinarii officium concedere & dare, ac eos, & eorum quemlibet per pennam & calamarium, prout moris eſt, de prędictis inveſtire, dummodo tamen ab iisdem Notariis publicis, ſeu Tabellionibus & Judicibus ordinariis, per eum creandis, ac eorum quolibet vice, ac nomine Noſtro, & Sacri Imperii, & pro ipſo Romano Imperio debitum fidelitatis recipiat corporale & proprium juramentum, in hunc videlicet modum: quod erunt Nobis, & Sacro Romano Imperio, omnibusque Succeſſoribus Noſtris Romanorum Imperatoribus ac Regibus legitimè intrantibus fideles, nec unquam intererunt conſilio, ubi noſtrum periculum

tractetur, ſed bonum, & ſalutem Noſtram defendent fideliter, & promovebunt, damnaque noſtra pro ſua posſibilitate vetabũt & avertent.

Præterea inſtrumenta omnia tàm publica quàm privata, ultimas Voluntates, Codicillos, Teſtamenta, quæcunque judiciorum acta, ac omnia alia & ſingula, quæ ipſis & cuilibet ipſorum ex debito dictorum officiorum facienda occurrerint, vel ſcribenda, juſtè, purè, fideliter, omni ſimulatione, machinatione, falſitate, & dolo remotis, ſcribent, legent, facient, atque dictabunt, non attendendo odium, pecuniam, munera, aut alias pasſiones, & favores, ſcripturas vero, quas debebunt in publicam formam redigere, in membranis mundis, non chartis abraſis aut papireis fideliter ſecundum locorum conſuetudinem conſcribent, legent, facient, atque dictabunt; Cauſas hoſpitalium & miſerabilium perſonarum, nec non pontes & ſtratas publicas pro viribus promovebunt, ſententiasque & dicta teſtium, donec publicata fuerint, & approbata, ſub ſecreto fideliter retinebunt, ac omnia alia & ſingula rectè & purè facient, quę ad dicta officia quomodolibet pertinebunt conſuetudine, vel de jure.

Quodque hujusmodi Notarii publici, ſeu Tabelliones & Judices ordinarii per eum creandi poſsint & valeant per totum Romanum Imperium, & ubilibet locorum, ac terrarum facere, ſcribere, & publicare contractus, judiciorum acta, inſtrumenta, & ultimas voluntates, de-

decreta quoqve,& authoritates interponere,in quibuscunque contractibus tale quidpiam requirentibus, ac omnia talia facere,publicare, & exercere,quæ ad officium publici Notarii, ſeu Tabellionis & Judicis ordinarii pertinere & ſpectare noſcuntur. Decernentes, ut omnibus inſtrumentis & ſcripturis per hujusmodi Tabelliones, Notarios publicos, ſive Judices ordinarios fiendis plena fides ubique adhibeatur,in judicio,& extra, conſtitutionibus, ſtatutis, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque.

Similiter eadem authoritate Noſtra Imperiali prænominato Prorectori, ſeu Rectoratus munere functuro indulgemus, ut posſit & valeat perſonas idoneas,& in poëtica facultate excellentes per laureæ impoſitionem, & annuli traditionem Poëtas Laureatos facere,creare,& inſignire; qui quidem Poëtæ laureati, per eundem, ſi creati & inſigniti poſsint & valeant, in omnibus Civitatibus, Communitatibus, Univerſitatibus, Collegiis & ſtudiis quorumcunque locorum & terrarum Sacri Romani Imperii, & ubique liberè,absque omni impedimento & contradictione, in præfatæ artis poëticæ ſcientia, legere,repetere,ſcribere,disputare,interpretari,& commentari, ac cæteros poëticos actus facere,& exercere,quos ſcilicet cæteri poëtæ,& laureâ poëticâ inſigniti facere & exercere conſueverunt,nec non omnibus & ſingulis ornamentis, inſignibus, privilegiis, prærogativis,

exemptionibus, libertatibus, concesſionibus, honoribus, præeminentiis, favoribus & indultis uti, frui, potiri, & gaudere, quibus cæteri Poëtæ laureati ubivis locorum & Gymnaſiorum promoti gaudent, fruuntur, & utuntur conſuetudine vel de jure.

Inſuper ſæpedicto Prorectori concedimus & elargimur plenam facultatem, qvod poſsit & valeat, naturales, baſtardos, manſeres, ſpurios, nothos, inceſtuoſos copulativè vel disjunctivè & quoscunque alios, etiamſi infantes fuerint, præſentes vel abſentes, ex illicito, & damnato coitu procreatos, vel procreandos maſculos, & fœminas quocunque nomine cenſeantur, exiſtentibus, vel non exiſtentibus aliis filiis legitimis, iis etiam aliter non requiſitis, viventibus, vel etiam mortuis eorum parentibus (Illuſtrium tamen Principum, Comitum & Baronum filiis duntaxat exceptis) legitimare, & eos, ac eorum quemlibet ad omnia & ſingula jura legitima reſtituere, omnemque geniturę maculam penitus abolere, ipſos reſtituendo, & habilitando ad omnia & ſingula jura ſucceſsionum & hæreditatum bonorum paternorum & maternorum, etiam ab inteſtato cognatorum & agnatorum, ac ad honores, dignitates & ſingulos actus legitimos, tam ex contractu vel ultima voluntate, quàm alio quocunque modo, tam in judicio, quam extra, perinde ac ſi de legitimo matrimonio eſſent procreati, objectione prolis illegitimæ penitus quieſcente. Quodque illo-

rum

rum legitimatio per ipſum, ut ſupra, facta, pro juſtè & legitimè facta maximè habeatur & teneatur, non ſecus, ac ſi foret cum omnibus juris ſolennitatibus, quarum defectus ſpecialiter authoritate Imperiali ſuppleri volumus, & intendimus, dummodo tamen legitimationes hujusmodi non præjudicent filiis, & hæredibus legitimis & naturalibus; quin ipſi legitimandi, poſtquam ſic legitimati fuerint, ſint, & eſſe cenſeantur, ac nominentur, & nominari posſint & debeant ubiq; locorum tanquam legitimi, ac legitimè nati de domo, familia, & caſata parentum ſuorum, ac arma, & inſignia eorum portare, ferreq; poſsint ac valeant, quinimò efficiantur Nobiles, ſi parentes eorum Nobiles fuerint, non obſtantibus aliquibus legibus, quibus cavetur, quod naturales, baſtardi, ſpurii, manſeres, nothi, inceſtuoſi, copulativè vel disjunctivè, vel alii, quicunq; ex illicito & damnato coitu procreati, vel procreandi nec posſint, nec debeant legitimari, liberis naturalibus legitimis exiſtentibus, vel ſine voluntate, & conſenſu filiorum naturalium & legitimorũ, aut agnatorum, aut feudi dominorum, & ſpecialiter in authent: quibus modis natu: effic: leg: &c: quibus mod: nat: effic: ſui per tot: & §. naturales, ſi de feudo controv. fuer. inter dom: & agnat: & l. jubemus C. de emancip. liber: ac aliis ſimilibus, quibus legibus, & cuilibet ipſarum volumus expreſſe, ſcienterque derogari, neq; etiam obſtantibus in prædictis aliquibus cõtrahentium dis-

poſitionibus,& defunctorum ultimis voluntatibus,aliisque legibus, locorumque ſtatutis & conſuetudinibus,etiamſi tales eſſent, quæ exprimi deberent, aut de quibus hic mentio ſpecialiter facienda eſſet: quibus obſtantibus, & obſtare valentibus,in hoc caſu duntaxat,ex certa ſcientia & de plenitudine Cæſareæ noſtræ poteſtatis totaliter derogamus, & derogatum eſſe volumus.

Ad hæc præfato Prorectori,ſive Rectoratus munere functuro damus, & concedimus, ut poſsit & valeat Tutores & Curatores confirmare,ipſosq; cauſis legitimis ſubsiſtentibus amovere,infames tam juris, quam facti ad famam reſtituere& omnem ab eis infamiæ notam abſtergere, tam irrogatam,quam irrogandam, ita ut de cætero ad omnes & ſingulos actus apti & idonei habeantur, & promoveri poſsint, nec non filios adoptare, & arrogare, & eos adoptivos,& arrogatos facere,conſtituere & ordinare. Inſuper filios legitimos & legitimandos, adoptivosque emancipare, & adoptionibus & emancipationibus quibuscunque omnium & ſingulorum etiam infantium,&adoleſcentium conſentire, & veniam ætatis ſupplicantibus concedere, authoritatemque & decretum interponere: ſervos manumittere,manumiſsionibus quibuscunque,cum,vel ſine vindicta, & minorum alienationibus , ac alimentorum transactionibus,authoritatem pariter & decretum interponere: Minores quoque Eccleſias,

&

& communitates læſas, alterâ parte ad id prius vocatâ in integrum reſtituere, ac integram reſtitutionem eis, vel alteri eorum concedere, juris tamen ordine ſemper ſervato.

Poſtremò concedimus, & elargimur ſæpemorato Sereniſsimo Duci FRIDERICO Holſatiæ, liberam facultatem et poteſtatem, ſingulis in Universitate conſtituendis facultatibus peculiaria conferendi arma & inſignia, quibus in publicis, ſcriptis, edictis, mandatis, aliisque actibus, loco ſigilli, pro rei neceſsitate & voluntatis arbitrio uti poſsint & valeant; ſalvis tamen, quoad prædicta omnia, authoritate noſtra Cæſareâ, nec non ipſius Fundatoris & Succeſſorum ſuprema Jurisdictione, meroque imperio, ac aliorum quorumcunque juribus.

Nulli ergò omninò hominum, cujuscunq; Status, gradus, ordinis, dignitatis, aut præeminentiæ fuerit, licet hanc noſtræ conceſsionis, erectionis, confirmationis, indulti, protectionis, Comitivæ Palatinæ, & aliorum ſupra inſertorum privilegiorum, gratiam, vel facultatem infringere, aut ei quovis auſu temerario contraire ſeu illam quovis modo violare;

Si quis autem id attentare præſumpſerit, Noſtram & Imperii Sacri indignationem graviſsimam, & pœnam quinquaginta Marcharum auri puri, toties, quoties contrafactum fuerit, ſe noverit irremisſibiliter incurſurum, quarum dimidiam Imperiali Fisco, ſeu ærario Noſtro, reliquam verò partem, ſupra nomina-

to Serenissimo Duci Holsatiæ, ejusque Successoribus decernimus applicandam.

Harum testimonio litterarum, manu Nostra subscriptarum, & aureæ Bullæ nostræ Cæsareæ appensione munitarum; Quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ, Die vigesima sexta Aprilis, Anno Domini millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo secundo. Regnorum Nostrorum Romani XVI. Hungarici XXVII. Bohemici XXV.

FERDINANDUS.

Ut

Ferdinandus Comes Curtius:

(L. S.)

Ad mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium

J. Walderode.

Præhabita diligenti collatione, copiam hanc cum Originali suo concordare attestor, Gottorpii 12. Novemb. Ao. 1665. Fridericus Jügert, D.

Lectis *Privilegiis*, rursum mota organa, tympana, classica, lituique, & omnis generis cum vocibus instrumenta. Quæ, utut cessaverint, nondum tamen cessavit *Legati Cæsarei* dexteritas, atque etiam ut Serenissimi Principis gratificaretur voluntati, ejusdem bonorum omnium voto continuata oratione expresit intentionem. Volebat autem *Serenissimus* FUNDATOR, exemplo *Academiæ Juliæ*, perpetuâ velut dictaturâ suum facere *Rectoratum:* nimirum, ut suam cumulatius obstringeret ACADEMIAM, placuit inter principales honorum titulos, & avita ducalium insignium fastigia, nomen quoq; RECTORIS censeri. Ut miro Ducalis potentiæ ac sapientiæ

Intentio Principis.

entiæ consensu, cum principali purpura LITERÆ miscerentur. Siqvidem mobilis hodie rerum status, nihil non metuit domi, qvod foris intuetur: quapropter ducali debuit Academia circumvallari authoritate, ut & fortis esset imposterum & secura, ne infra pravorum contumelias hominum jaceret despecta. Cum verò ob gravissima negotia, quibus qvotidie Regum Principumq; fasciæ implicantur, fieri haudqvaqvam possit, ut vel Cives Universitatis, vel ipsa Universitas, continua Serenissimi Principis fruatur præsentia, sapientissimè provisum est, qvem jam & imposterum in vices suas vellet eligi, aut cum tempore modum observari. Istud cum prolixius Imperatorius Legatus facundâ oratione expressisset, annuente Serenissimo Fundatore, ut in partem oneris succederet, & juxta se cathedram occuparet, ex nomine & cognomine, *Admodum Reverendum & Clarissimum Virum* PETRUM MUSÆUM, SS. Theologiæ Doctorem, ejusdemqve publica professione pluribus in Academiis celebratissimum, invitavit. Hic, eo ut par erat animo, in ipso aditu, postqvam ingens specimen modestiæ præbuisset, *Legatum Cæsaris* accessit; & in ea parte cathedræ constitit, qvam præsignabat futuri muneris honos & onus. Illicò usitato Inaugurationis ritu, conceptis solenniter verbis, Epomide purpurea indutus, Magnificus Academiæ *ProRector* creatus est. Neque defuêre publicæ functionis indicia, signa Atheniensia, sceptra gemina; Cæsarea Privilegia: duæ claves; donationales literæ; Academiæ & facultatum sigilla. Singula, non absque grandi significationis intelligentia, ut quot præsentia *signa*, tot essent rerum mysteria, atque futuris temporibus, fidei, constantiæ & potestatis non vana argumenta.

A. R. V. Petrus Musæus ProRector creatur.

Etenim per *Epomidem* seu *Prætextam* innuebatur publica authoritas, quam incrustare debet non ambitionis color, sed exornare modestiæ purpura. Nec frustra pretiosissimo omnium metallorum *auro*, circum circa fimbriata, scilicet ut in hac rerum ætate ferrea, discat sub aureo Principe, à ferro abhorrere exlex licentia. Involvebatur Epomidi LIBER, sive *Matricula*, fortè ut cum admittuntur, & inscribuntur bona ingenia, eorum potissimè, quibus *res angu-*

Interpretatio Epomidis.

sta domi obstat, Mater sit Academia non noverca. Alibi hic *Liber* etiam *Albus* appellatur, unde vero iste exterius, & in superficie atratus? dicerem foris, non pridem luctuosa tempora, & tumultuum exempla; sed vetat Serenissimorum Fundatorum intentio candida, quæ legibus providit, ne illi indigno nominibus aut moribus, funestum inducat colorem insolens malitia.

Quid Diploma Cæsaris. De Imperatoris *Diplomate*, vetat nos minora sentire, orbis obsequium & omnium reverentia. Quâ fide se amplexantur duo Principes, amplexantur se populi. Qui literarum idem & literatorum amor est. Utrumque & à *Cæsare*, & à *Principe* possidet Academia.

Quid claves auratæ. Duæ *Claves* & aureæ, in ferreo seculo, aureum bonarum artium commendant valorem, cujus ex imperandi modo, & parendi obsequio, duplex surgit pretium. Nempe ut is qui præest, prosit institutione: qui subest, non desit industriâ. Gemina *Clavis*, quarum alterâ discentibus aperitur iter ad virtutes: alterâ via panditur ad honores.

Interpretatio sceptrorum. *Sceptra duo* argentea, justa utrumque magnitudine, tortilibus figuris, & cælato artificis opere conspicua, atque hinc & inde per nodulorum intervalla, etiam auro ducta; ut duplicis potestatis, regendorum bonorum, & castigandorum malorum faciunt indicia; ita arcanum sunt insertæ Cæsarum & Principum imagines: in uno *Divi Ferdinandi III. & Divi Friderici.* In altero, *Leopoldi I. & Christiani Alberti.* Tantis scilicet nominibus, *Academiæ Kiloniensis*, stabit impostetum *honos*, durabit *decus* & manebit *Gloria*. Quæ nunc, ut obstrictam postea arctius obstringant, iis imaginibus circumdatur, quas orbis victrix Roma & Germania *Dominos* colit; & *Patres* Patriæ veneratur Holsatia. Fas est, alumnos & clientes, deprimi Majestatis veneratione, & tot mundi sydera, semper ex humili contemplari.

Interpretatio sigillorum Sequuntur sigilla, unum, & quidem majus totius Academiæ; reliqua quatuor minora Collegiis facultatum destinata. Ut æterna sint, æri incidemus, & explicabimus seorsim singula. In omnibus divinum Principis, rem artificis, artificium mysteria sua, quemadmodum diis, ita illi placuit simulare & dissimulare figuratum & Hieroglyphicorum velami-

laminibus: ut argutiâ conjectionis, figat memoriam arcani, & labor argutandi excitet bonas mentes & optima ingenia.



Sigillum majus Academiæ.

Habet Almæ Pacis simulacrum, dextra palmam tenens, lævâ in Cornu copiæ inclinatur. Amiculum quod sinistras scapulas, & brachium tegit, urticarum foliis (insigne Ducatus Holsatiæ) & literis C. A. superbit, cum hac inscriptione, *Pax optima rerum.* *Nulla salus bello*, dicti veritatem, facto, fatoque experta Holsatia, ne procurata tranquillitate, duros capulos, molles calami imitentur, symbolo provisum &

per-

persuasum est. Grande nefas in sapientium congressu deliciari contentionem, *Pace, Duceq;* vetante, & in injuriis præscribente patientiam *Palma*. Hinc surget Cornu copiæ, nempe otii dulcedo, & fructus artium & literarum. Amiculo divæ humeros texit, & intexuit laciniis urticas, gentilitia signa, divina Principis prudentia: ne instar urticarum pruriat, sed cum vestibus deponatur, (si quæ intercesfit) *discordia*. *Cautio* est, in *authoritate*, & *honos* in splendore Ducalis originis, si Regius tradux Herculis sanguis, transfusim per mille Euripos stillatus & absumptus, adhuc Græciæ laus & præconium est: qvantum decus & gloria in literis C. A. & nominibus Christiani, Alberti, propaginem esse? Memor igitur tantæ originis, attollat se Gentilitio Ducali, præ cæteris urbibus, *Kilonia*, & gratuletur sibi de nomine & Fundatore *Academia*.

Sigillum 2. Theologorum.

Liber est Sacrum Codicem repræsentans, de cujus medio qvasi umbilico, surgit salutis nostræ mysterium, cujus summitati, apposité, apposita corona spinea cum hac Epigraphe *Scrutamini Scripturas*. In tanto mysterio vix apparet mysterium, ita clara jam sunt Scripturæ oracula, sed iis, qvorum professio. In *Cruce*, dolor, labor, gemitus, suspiria. Indigni nomine Christiano & vita, qvibus aut horrori sunt aut scandalo, salutis nostræ media. Summa *Crucis* habet spinea corona, per cujus orbem acti, tendimus in orbe per aspera ad astra. Quorum fructus spes, fides, charitas, virtutes Theologicæ; merces & pretium, DEUS, cœlum, æternitas.

Sigillum 3. Jurisperitorum.

Libra in æqvilibrio stans, & in neutram partem inclinans, cui incumbunt *Sceptrum* & *Gladius*, cum hoc Aphorismo: *Discite Justitiam moniti*. Quam vellem in jure & æqvitate nullum dari arcanum, cujus hodie tot labyrinthos, non Thesei filo, sed auro penetrat *corruptio*. Præstruxit monstro aditum *Locus*, qvia Academia; *modus*, qvia æqvalis libra: *Inscriptio*, qvia severum monitum. Num hoc satis ad expungenda juris vitiosa beneficia? Obseqviis addidit

Prin-

Principis Justitia *Sceptrum*; contumaciæ deputavit *gladium*. Felix Respubl. in qua bonis præmia, malis supplicia non desunt.

Sigillum 4. Medicorum.

Duo Serpentes, virgæ implicati, ex qua emergit florum manipulus; cum inscriptione triti apud Hippocratem Aphorismi, *Ars longa, Vita brevis*. Gemini serpentes, atque intra caduceum tortiles & implexi, dum nobis horrori sunt, Ægyptiis fuêre venerationi. Quid sentiant Machaonis discipuli, non quæro, nunqvam non venenum porrigunt infirmis, hoc scio; sed sub dulci cortice. Habet suam sanitatem virtus, temperatum dulcore, sed maximæ sapientiæ portio est. Quam multa trahuntur noxia, ex libris, verbis, moribus, imbutis pravitate. Ars erit, ex aconito colligere mella. Præcipuum inter artis pharmaca, amuletum, in extrahendis tot malorum viribus, Patientia. Quam, inconsulto etiam Æsculapio, à se facile impetrabit, qui expenderit è spica & calice, caducam florum gloriam, & cogitat *arte* moriendi *longa*; Vitæ brevitatem.

Sigillum 5. Philosophorum.

Catena annularis, manu è nubibus missa, cujus extrema, Pallas ornat pensilis, cum hac inscriptione, *Commune artium vinculum*. Planè Christiano Philosopho dignum, annularis catenæ symbolum, siquidem Philosophia procuratio est utilitatis communis. Porrigitur in cœlum, qvia de cœlo. Hoc in institutione suæ Palladis, *Academia* aspiciat, ne terrestris sit, sed cœlestis. Ad sidera peregrinatur virtus per auream catenam, ut opinor (& hic Princeps voluit) à cœlo demissam; vadendum est. Hoc iter, non pedum, sed manuum erit, per annulos nitendo *sursum*. Gradus hic annulares sunt, quia sicut *commune artium vinculum*, ita manualis gressus virtutum invicem annexarum. Tunc ritè nostra provehitur, & proficit sapientia, cum virtutis exercitium in docentibus, & discentibus operatur.

Epigrammata ſequentia in Academiæ inſignia & Facultatum ſigilla adjecit Muſa Morhofiana.

In inſignia Academiæ.

PAx Muſas æterna regat! Pax optima rerum,
Hanc matrem noſtram dicimus atq; Deam.
Hâc ita STANTE *ſalus firmo ſtat publica talo.*
Nec quos fert fructûs, Martia ſica metit.
Perpetuas geſtat de Palladis arbore frondes;
Juncta tamen Paci, Pallas, inermis erit.
Læva tenet clypeum, titulum cui Cimber Apollo
Fecit, & hoc dici Pax cataphracta poteſt.

In Sigillum Facultatis Theologicæ.

STet Liber æternus, ſtabit, licet irruat orbis,
Quadrato perſtant omnia firma libro.
Crux infixa libro, cui addita ſpina, docebit
Cœlum per ſpinas quærere perq; cruces.

In Sigillum Facultatis Juridicæ.

INſiſtit libræ gladius regaleq; ſceptrum,
Nam gladius ſceptro jure ſatelles adeſt
His vicina notat jungi debere corona.
Libraq; momentis ponderat illa ſuis.

In Sigillum Facultatis Medicæ.

Virga Æſculapii.

SCeptra damus Medico noſtræ dominantia vitæ,
Queis animas orco ſubtrahat atq; neci.

Sed

Sed quia vita brevis Medicis, Ars longior, hinc fit,
Ne vita hæc nobis longa sit, arte brevi.

In Sigillum
Facultatis Philosophicæ.

HÆc est catena summa nectens infimis
Hic torquet orbem Torquis: ista Cyclicas
Catena stringit vinculis scientias
Hinc arcium artiumq; dependet Dea.
Cur pendet hæc? Est orbis ipse pensilis.
Et cuncta pendent orbe in hoc, cadunt, jacent,
Artesq; pendent, ipse in artibus Sophus
Animiq; pendet tempus impendens eis.
SOPHIES ligabunt compedes istæ pedes,
Ne pedibus ire possit in sententias,
Terrisve spretis hæc petat cœlum Dea:
Sed non manus, ut illa scribat liberè:
Non colla & ora, ut illa spiret liberè.
Hæc vincla liberalibus scientiis
Sint libera ac amica. Non SOPHIEN Deam,
Non hæc catena veritatem strangulet.

Aliud.

Maximus exiguos orbis glomeratur in orbes.
His SOPHIE nodis cuncta, ligata, ligat.
Hic variè SOPHIES Torquis contorquet alumnos.
Si tamen hæc tolles vincula, cuncta ruent.

Et tantarum quidem rerum arcana consilia, sive prægnantia sententiarum oracula, sive in secula duratura exemplorum momenta, genio & ingenio Ducali, in prædictis Academiæ signis, ad memoriam seræ Posteritatis effigiata, delineata & expressa; posteaquam Magnifico Universitatis Pro-Rectori, *Petro Musæo*, Legatus Cæsareus tradidisset; adhuc diutius præfatus, cum non absque exploratione, comprobatione que & plausu omnium, exactam reddidisset rationem singulorum, *feliciter LEOPOLDO PRIMO*, Romanorum Impe-

ratori semper Augusto; *Feliciter CHRISTIANO-ALBERTO* Principi & Fundatori; *Feliciter LITERIS* ac Literatis, precatus, Orationem simul & Actionem, in voto, in gratulatione, & actione gratiarum, finivit, ac desiit in Cathedra videri. Excelsa Legati mens, an major memoria, utrumque miraculo fuit, nam & pro dignitate summa, magnificè disseruit, & quasi integris viribus, (duabus propè horis) ingenti spiritu, gestibusque, ubiqve memoriter peroravit. Qui, ut primum relictis Rostris, suo loco, sediqve redditus ac restitutus est, è triplici Musicorum Choro, intonuêre solito gravius tubæ ac tympana, tum vocalium illicia & Musicorum instrumenta. Interim componebat sese ad dicendum, Magnificus Academiæ Pro-Rector *Musæus*, & cessante Musicorum concentu, ex eodem loco magnificè peroravit. Ostendens inter alia, se multùm obstrictum esse auspiciis & beneficiis Serenissimi Fundatoris, excurrebat in meritas Principis laudes & præconia, *quod velut salutare in terris sidus, ea firmare hodie ac perficere venerit, quæ felicitatis omnium sunt.* Addebat dignis encomiis, promissa ingentia & æqva divinis; & in *magnifico munere*, fidem, constantiam, vigilantiam, dexteritatem. Tandem verò, ne aliqvid impòsterum ex ignorantia temerè præsumat insolens neqvitia, suffecit consvetudini authoritatem, & accersito Academiæ Secretario, *Matthæo Stolterfoht*, commisit Leges, publicè perlegendas. Qui ex inferiori cathedra, voce perspicua & articulata, eas ordine hoc recensuit & recitavit.

Lit. F. In laudem cantata Friderici & C. A.

Sub lit. G.

LEGES STUDIOSIS IN ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA quæ KILONII HOLSATORUM est præscriptæ & ad continuam officii commonefactionem editæ.

Lex I.

CUm quilibet hominum, ipsaque hæc Academia à SERENISSIMO Fundatore ad Gloriam DEI primariò sit condita, vestri cumprimis est officii, DEum Patrem, Filium & Spiritum sanctum adorare, colere ac revereri, Pietati studere, verbum ejus sacris Bibliis reve-

revelatum, & priscæ Ecclesiæ symbola, in summo pretio habere, Sabbathum diesque festos alios ritè observare, & ad eundem finem, DEI Gloriam, studia, vitam, moresque vestros sedulò componere ac dirigere.

II.

Proinde nemo esto Divini Nominis temerator, Sanioris Doctrinæ à Protestantibus Professæ contemptor aut insectator. Nemo improbis moribus, temulentia atque inhumanitate sua Deum hominesve offendito. Religionem juramenti quisque sanctissime observato, ac grave perjurii crimen, quod ipsum præcipue DEUM ultorem habet, quanta potest diligentia, evitato.

III.

Serenissimo Academiæ Fundatori, Ejusque Successoribus, ceu supremo Academiæ Magistratui atque RECTORI obedientiam atque humillimam subjectionem præstate, nihil unquam iniqui noxiive in eorum personas, ditiones, ac provincias, dignitatem, aut jura, ipsamque hanc Academiam, ejusque salutem, incrementum, ac incolumitatem, aut in hanc Civitatem quicquam seditiosi, aut improbi moliti.

IV.

Magnifico Academiæ Pro-Rectori, Senatui Academico, omnibus & singulis Professoribus, æque ac Parentibus vestris, obedientiam, reverentiam, obsequium & observantiam exhibete.

V.

Quisque Vestrum intra octiduum, ex quo civitatem hanc fuerit ingressus, nomen suum apud Magnificum Pro-Rectorem profitetor, seq; Jurisdictioni Academicæ subjicito, omnibusque Edictis ac Decretis deinceps fortè subsecuturis non minus ac his legibus, sine exceptione, aut tergiversatione, libenter pareto.

VI.

Quod authoritate Magnifici Pro-Rectoris, aut Senatus Academici publicè propositum, promulgatumve fuerit, Nemo refigito, corrumpito, aut ludibrio habeto: secus qui fecerit, gravissime punietur.

VII.

Citatus in judicium venito, & sententiæ modeste pareto: nec vadimonium sive Arrestum, sine ProRectoris expresso consensu, deserito, hoc enim si quis violaverit, in perjurii crimen se incidisse scito.

VIII.

Exclusus ab hac Academia per relegationem intra milliare ab hac civitate, defectu pecuniæ, aliusve causæ obtentu, ne subsistito; nisi ita fecerit, sibi imputet, si quid acerbius, aut ignominiosius ipsi evenerit.

IX.

Pacis, concordiæ & tranquillitatis estote amantissimi, sive cum Commilitonibus vestris sive cum civibus oppidanis, aliisque sitis; Cedat Majori Minor, parcat Minori Major, pares æquo jure utantur.

X.

Qui infamem Pennalismum ab omnibus bonis cordatisq; damna-

tum ac proſcriptum hîc excitare, ac inſtaurare, aut ſeditioſa conventicula cogere, aut cœtus Nationales inſtituere, pecuniarum commeſſationumque exactione, aliisve iniquis modis nuper Academiam ingreſſos Studioſos divexare auſus fuerit, tanquam Academiæ hoſtis ac perduellis arbitrariâ, eaque graviſſima pœna coercitus, exterminabitur.

XI.

Duella Civibus Noſtris albo Academico inſcriptis penitùs interdicta ſunto.

XII.

A vi quoque publica & privata prorſus abſtinete, veluti ædium effractione, feneſtarum eliſione, hominum innoxiorum pulſatione, ſimilibusque aliis facinoribus. Vis enim publica ad minimum relegatione publicâ, privata privatâ, aut carcere, vel mulcta erit compeſcenda.

XIII.

Si quis vigiles, aliosque ſecuritatis publicæ gratia excubias agentes adortus fuerit, pulſatus, vulneratusque non audietur, ſed pro conditione facti inſuper pœna afficietur; Si verò illorum aliquem occiderit, ordinaria homicidii pœna reo irrogabitur; ſi illorum quempiam vulneraverit, aut vim cuiquam fecerit, publica relegatione ejicietur.

XIV.

Quisquis armis ſuis abuſus fuerit, in qualicunque congreſſu, facinore, aut propoſito, præter pœnam arma protinus caduca ſunto, & Magnifico ProRectori ſine mora aut tergiverſatione exacta traduntor.

XV.

Ignem neque ſeriò neque joco intra mœnia quis jacito.

XVI.

Qui faces in plateis, aut domibus circumtulerint, aut ad domicilia eorumve antipagmenta alliſerint, circumſpecte hoc agant; aliàs graviter punientur.

XVII.

Nocturnæ graſſationes, vociferationes, telorum ſtrepitus, tumultusque arbitrariâ pœnâ, quanta remedio eſſe posſit, punientur.

XVIII.

Mendacia, calumnias, obtrectationes, convitia, contemptum & oppreſſionem pauperum, omnis generis fraudes fugite. Nam ſi quis homo privatus ſibi poteſtatem aliorum mores ignominia notandi ſumpſerit, aut innocentium exiſtimationem falſis criminibus, ſycophantiis, vel libellis cantilenisve famoſis laceraverit, is deprehenſus infami excluſione ex Academia ejicietur.

XIX.

Quod delictum puer aut famulus commiſerit, ejus Dominus quoque reus eſto, ſi nequitiæ miniſtrum non prohibuit, cum prohibere potuit.

XX.

Caſtitatem, ſobrietatem, temperantiam, & modeſtiam in omni vita ſectemini, occaſiones libidinum, & intemperantiæ, ganeas, popinas, & cauponas publicas fugite. Qui contra fecerit, legitimæ pœnæ ſe obnoxium reddet.

XXI.

XXI.

Nemo in domos ubi celebrantur Nuptiæ, non vocatus, irrumpat, nec sacri connubialis choreatum festivitatem turbet.

XXII.

Nemo in ædes alienas, vel alterius museum invito inhabitatore, introito: nec invitum inde evocato vel abstrahito.

XXIII.

Nemo larvatus sive personatus, neque diurno, neque nocturno tempore prodito.

XXIV.

Ex mutuo vel ex empto, vel conducto, vel alio contractu quod debetis, ejus solutionem ultra diem, quo promisistis, invito creditore, non differte.

XXV.

Pro victu & potu vel pecuniam repræsentate, vel quovis trimestri sine mora solvite. Quumque locationes & conductiones museorum & lectorum, nisi expressis verbis aliter convenerit, festo Paschatis & Michaëlis, adeoque semestri tempore, definiantur; Si mutare sit animus, sex hebdomades ante hos præfinitos terminos contractui renunciandum est. Conductor id qui neglexerit, etiamsi hinc discedens, dimidium semestris locarii persolvito.

XXVI.

Invitis creditoribus, nemo hinc se subducito.

XXVII.

Denique modum ponite cupiditatibus & adfectibus vestris: coërcete voluptates, refrenate iram, & vindictæ cupiditatem, fugite luxum, superbiam, ambitionem, cæterasque animorum pestes; moresque vestros ad normam legum componite: Præmia morigeris & obsequentibus præbebuntur: in refractarios & immorigeros pro re nata Magistratus animadvertet. Si qui verò crediderint, se fallere Magistratum posse, meritæque pœnæ se subduxerint, aut spe impunitatis liberius peccatis indulserint, Deum habebunt vindicem. Ille enim pro sua providentia pro bonis bona, pro malis mala reddet.

Promulgatis Legibus, Musicorum Phonarchus, qvasi post decumanos fluctus, celeusma nauticum moliens, intentis fortius omnium nervis, vocibus, spiritibus, in symbolum Academicum PAX OPTIMA RERUM.
svavissima vocum concertatione, interpositis Musicalibus & castrensibus instrumentis lusit: atque intercisa tot suspiriis modulatione, totius symphoniæ finem, tubarum, tympanorumqve clangore & strepitu imposuit. Juvabat omnium cantum fragoremque, disposita per stationes ac valvarum Basilicæ militum alacritas, ac populorum festivæ acclamationes. Illi, ter innoxiis explosionibus, *feliciter* ingeminantes, bombardarum fragoribus, *Urbem*; isti, *Cœlum*, votis & gratulationibus impleverunt.

Qua-

Quasi signo dato surrexit suo loco *Legatus Cæsaris*, surrexere etiam Principes, & cum his *CHRISTIANUS ALBERTUS*, Pater Patriæ ac Literarum Cimbricarum origo. Neq; reliqvi cum Mareschallis morati, pari ordine, pompa ac solennitate (nisi qvod Magnificum Pro-Rectorem, Legatus Cæsareus secum deduxit, & currui, quo vehebatur imposuit) regredientes,

— — -- *peracto munere Divæ*

Arcis aream intravêre. Illicò exscensis equis Serenissimus Princeps *Christianus Albertus*, medium inter se, & Celsissimum Fratrem *Augustum Fridericum*, duxit manibus, in Arcis superiora *Cæsareum Legatum*. Ponè seqvebatur Celsissimus Princeps & Agnatus, *Rudolphus Fridericus*, Nordburg. tum Illustrissimus Comes Rantzovius; postea Magnificus Pro-Rector *Musæus*, & cum Eqvestri numeroso ordine, Regalium, Ducaliumq; consiliorum Administri, Colonelli, Tribuni, Officiales. Ut Palatium intravere, renovatæ iterum salutationes, orationum concertationes & congressus; donec Mareschallorum provocatione, Mensæ Ducali admissi, hoc ordine (ut in schemate) considerent:

I.
Excellentissimus Dominus ac Præses, jam Cæsareus Legatus & Commiss. Johannes Adolphus Kielmannus à Kielmanns-Eck.

2. Serenifs. Princeps Christianus Albertus.	3. Reverendifs. Princeps Augustus Fridericus.
4. Celsissimus Princeps Rudolphus Fridericus.	5. Illustrifs. Comes & Subvicarius Detlevus Rantzovius.
6. Regalium atqve Ducalium Consiliorum & Judiciorum Ministri cum Proceribus, Chiliarchis, Tribunis, Officiariis, Præfectis.	7. Magnificus Academiæ Christiano-Albertinæ Pro-Rector Musæus cum omnibus Professoribus, juxta Collegia, sive Facultates.

In universum Personæ numero 42. Missus ferculorum triplex.

Duca-


MENSA DVCALIS
post Inaugurat: actum adornata.
cui assidebant:
1 Legatus Cæsar: I.A. Kielman â Kielmaneck.
2 Dux Christianus Albertus.
3 Dux Augustus Friedericus.
4 Dux Rudolphus Friedericus Norb:
5 Comes Ranzovius.
6 Reg. et Duc: Senatores Provinciales.
7 Magnif. Rector cum Professoribus.



Ducalem menſam ſecuta *Menſa Comitialis*, cui accumbebant præcipui ex bellicis officialibus, tum Rectoribus Provinciarum & Conſiliorum Adminiſtris, numero Miſſus ferculorum duplex.

In ſeptem *Nobilium menſis* aſſidebant Nobiles Aulici cum minoribus officiariis, Equeſtris ordinis hoſpitibus, & Eccleſiarum Præpoſitis. Num. Miſſus ferculorum duplex.

Tot hîc ubiqve oculi, tot manus, tot miniſtri ſuperiores, inferiores, medii. Alii aulam quotidianis miniſteriis frequentantes. Alii inſervientes tempori & occaſioni, nulli non ex Dominorum imperio ad officia tantorum hoſpitum deſtinati. Faſtum ex apparatu, an apparatum ex faſtu, non ipſa curioſitas diſcreverit. Aulæa, tabulata, laqvearia, ſedilia, baldachini, luxus regius, non ducalis. In abaco, crateres, pateræ, phialæ, ſcyphi, cyathi, omnia non aurata, ſed ex puro tornata auro; nil vilius argento fuit; ut iniquiſſimæ ſint eorum querelæ, qvi noſtram ætatem ferream eſſe lamentantur. Et cum eſculentorum atqve poculentorum omnis ſvavitas aut raritas ex appetitu & oculis procedit, præſtabit calamo, gula & aſpectus, narrabuntqve facundius bibentes & convivantes, quam abſtemii ſcribentes æſtimabunt. Juvat tamen vel calamo inter calices & fercula ceſpitare. Certè poſt fœcundam Cererem, primus lætitiæ dator *Bacchus* jure ſuo, in magnos, fortes & ſapientes prævaluit, atqve convivantes, dulci poculorum perſuaſione eo impulit, ut ſanitatibus alienis, cum propriæ etiam periculo litaretur. Paruêre alii ex more, alii neceſſitate, omnes ex lætitiæ & gaudii affectu. Et primo qvidem ingenti cratere aureo, *ſalus & incolumitas* LEOPOLDI *I.* Imperatoris Romanorum ſemper Auguſti, curæ fuit ſingulis. Secundo, *Felicitas* DOMUS AUSTRIACÆ: & *Imperii Germano-Romani* incrementum, ut & aliorum Regum & Principum Cognatorum, *ſalutes, felicitates* epotæ, non delibatæ; donec ſpontaneo qvoqve genio prolapſa hilaritas, etiam privatis affectibus indulſit & incubuit. Trahebatur ultra Bellaria ex auro, potus aureus; quo ſolo olim Regum capita cingebantur, hîc, eo, coronabantur & vina: ut in ancipiti fuerit, an aliqui liqvorem in pretioſo poculo, an ipſum poculum ſitire potuerint. Vinum, propitius dederit, an iratus Bacchus, tur-

ba dubitabit abſtemiorum, nam cæteri ignoramus. Accendebantur in pocula,, non ſecus ac in prælia, tubis & tympanis otioſi, tam modeſto, etiam in ebrietatis exceſſu, temperamento, ut de injuria, ne poſt tertium quidem diem, (quo maxime vinum operatur, ex Galeni ſententia) *SOBRIETAS*, litem vel qverelas potuerit alicui intentare. Non deerat publicæ hilaritati, Ducalis Muſicorum Chorus, & varia qvemadmodum vocum, ita inſtrumentorum harmonia, cujus rariſſimus concentus, ſicut non capiebat lætitiæ modũ, ita omnium jucunda dulcedine permovebat affectus, usque dum protractam, in ſeram noctem, hilaritatem, ſopita Baccho, Cereréqve corpora in ſomnum placidè compoſuit.

Poſtera die, quæ fuit ſexta Octobris, cum Celſisſimus Princeps *Rudolphus Fridericus*, Nordburgenſis, ex cauſis prægnantibus, & ſibi ſoli perſpectis, probatisque, ſeſe compararet itineri, remiſſo tantisper Academicorum exercitio, non Academiæ cura; omne genus officii & humaniſſimæ concertationis, in tam gratisſimo Hoſpite, inſumptum: & ne in novisſimo abeuntis puncto vacillare poſſet jejuna humanitas, jentaculum eſt adornatum, cujus moderatio, Ducalium qvoqve prandiorum ſumptum adæqvavit. Itum tuburcinatim, delibata heſternæ diei hilaritate in dona Cereris, & munera Bacchi, donec poſt mutuos ſignificationis affectus, & firmatam multis argumentis cognationem, VALE, utrinque cum amplexibus, dato, bona gratia, cum ſuis dimiſſus eſt. Secuta, abeuntem Agnatum Principem, ultima officia, pretioſus cum ſejugibus currus, Aulicorum asſiſtentia famulantes manus, & ſatraparum cuſtodia, denique par pompa, ad eum usqve locum, unde perendie, in Urbem & Arcem ſolemniter fuerat introductus. Interim circa horas matutinas, non vacabat Magnifici Pro-Rectoris cum Profesſoribus induſtria; adornabatur qvam ornatisſimè majus Academiæ acroaterium: cathedra induebatur purpura, ad cujus dextrum latus tapes affixus, Phrygii operis, atque filis aureis, floribusque intertextus, ſuppoſiti gemini ex byſſo purpureo cusſini, viſa digna Apolline ac Principe ſedes. Utrumque Auditorii latus, cum ſcamnis & ſedilibus, panno rubro contectum; erectus ad ambitum Chorus, Muſicorum & inſtru-

inſtrumentorum ſpatium. Hora duodecima Sereniſſimus Princeps *CHRISTIANUS ALBERTUS*, cum Celſiſſimo Fratre & Coadjutore Principe *AUGUSTO FRIDERICO*, toto Aulæ ſuæ ſplendore, atqve advenarum Hoſpitum frequentia, comitatus, ad Academiam proceſſit: operiebantur in Area, & Circo ſapientiæ, ſumma reverentia, adventum Sereniſſimi FUNDATORIS, Academiæ Senatus. Ut Celſiſſimi PRINCIPES, Eqvos deſeruêre, excepti ſunt ſolemnibus verbis, à *PETRO MUSÆO*, Magnifico Pro-Rectore. Sub-Tribuni Korbitzii opera, diſpoſitus per latera miles, per cujus medium, Mareſchallorum dexteritate introducti, primò omnium Profeſſores, & ad dextram Auditorii partem ſeſſionibus honorati. Tum graviorem inchoantibus ordinem Mareſchallis, Tettavio & Pogvviſchio, Sereniſſimi atque Celſiſſimi Principes, dextrum cathedræ latus cum tapete occuparunt, eodem in latere poſt Duces datus principalioribus locus, Illuſtriſſimo Comiti, & per Holſatiam Sub-Vicario, Detlevo Rantzovio cum Regalibus atqve Ducalibus Adminiſtris, Judicibus, Conſiliariis, & ex Equeſtri ordine Viris. Corpus ipſum Auditorii, occupavêre membra Academiæ, Studioſi.

Initium Academicorum Exercitiorum factum à Muſicis, qvi ſuauiſſima vocum omnium ſymphonia, omnes ex Parnaſſo & Helicone Græciæ, Muſas, cum Apolline ciebant, ut Cimbriæ faverent, & cœptis ingeniorum adeſſent. *Primus* pl: Reverendus & Clariſſimus Vir, *Chriſtianus Kortholt*, SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor publicus, nomine ſuæ facultatis, conſcenſa cathedrâ, piè peroravit. Repetitæ poſt orationem Muſicorum voces, & inſtrumenta. Quibus ceſſantibus, *Secundus* ex Juridico Collegio, Conſultiſſimus Vir, *Ericus Mauritius*, J. U. D. ſuam qvoqve ſine intentata lite, aut conteſtata, orationem deprompſit. Quâ finita, iterum interpoſita Muſicalia inſtrumenta, voces, modulationes, ſymphoniæ; donec *Tertius* exſurgeret, Experientiſſ. Vir, *Caſparus Marchius*, Doctor Medicinæ, qvi nomine Galenicorum, ut fructuoſas oſtenderet medicorum præſcriptiones, firmis lateribus, & voce non debili, planè qvalem Tullius in *Oratore*, non *medico*, reqviſivit, peroravit ad plauſum. Rurſum interjectæ Muſicorum concertationes

& concentus. *Quartus* nomine Philoſophorum aſſurrexit Pl. Reverend. & Clariſſimus Vir, *Michael Watſonius*, SS. Th. Doctor, Hiſtoriarum Profeſſor Publicus, cui nihil defuit qvam plauſus Ariſtotelis. Lusêre hîc ſuavius Muſici, necdum e-nim in cæteris, furor Apollinis luſerat, niſi illum Laureatus Poeta *Daniel Georgius Morhoffius*, J. U. D. & Eloqventiæ Profeſſor excitaſſet, & ne evadere impoſterum poſſet, ſtylo ſoluto, ligatoque, velut vinculis conſtrinxit, tam copioſa perſvaſione & applauſu, ut ſeqventium Profeſſorum conatum, *tempus*, excluſerit. Jam demum non fruſtrata ſua intentione ſymphonia, acrius auxit voces, & provocavit inſtrumenta. Laudes cantatæ Principis, & in Oda omen Academiæ. Actum univerſum non injucundo ſpectaculo concluſit *Pedellus*, qui ex conſvetudine veteri, tot Protei formas indutus, ſartor, ſutor, pictor, doctor, faber ſtatuarius, ad depoſitionem accesſit; ut hirtos, calvos, villoſos, maculoſos, ventoſos, barros & bardos adoleſcentis neqvitiæ mores corrigeret, & ſi nō poſſet, conaretur tamen etiam graviſſimis inſtrumentis, aſciis, dolabris, flagellis, ſcuticis, reſticulis, ſerris, cuneis, fornicibus & bipennibus, innoxiâ vexatione, novos formare homines. Pravis moribus, acceſsêre monſtroſiores naturæ partes, partusque, deformes vultus, facies, ora, barbæ, artus, crura, flexus, poplites, quæ, ut etiam ad humanitatis ſpeciem componeret, è luſtris, ſpelæis, latebris, gurguſtiis, prorſus Herculeo labore in lucem productos, hinnientes, gannientes, ſtertentes, glires, ſimias, hircos, lepores, cuniculos, & ſi quæ alia ludentis nequitiæ prodigia, inaudito hactenus Kiloniæ artificio, hirtis, villis, plumis, caudis, criſtis, dentibus, unguibus, cornibus, exuit, ſpoliavit, deplumavit, & Apulæo faſcino cicuratos, ut ad ſapientiam & inſtitutionem formarentur, lugentibus & ridentibus matribus reſtituit. Lepidum, jocoſumq;, & tamen ad correctionem morum neceſſarium, Pedelli officium, omnes ut ſurgerent, admonuit. Igitur mixtis riſibus, ſalibusque, humanitatis officiis, Sereniſſimus *Academiæ Fundator*, Magnificum Pro-Rectorem, per manus, cum Profeſſoribus in interiorem Academiæ aream deduxit, ibidemque de propenſo in Literas ac Literatos ſtudio, cœlum teſtatus, quia ſub cœlo: ut eorum etiam ſecuritati provideret,

non

non ſine arcano, orbem fecit cuneus militaris, ut poſt beneficia, perpetuâ qvoqve protectione donarentur. Tandem noviſſima oſculatione manus, idem Sereniſſimus *Literarum* Cimbricarum *Author, Stator & origo* uti inceperat, finem quidem ſolennis Inaugurationis, ſed non ſtudiorum exercitiis impoſuit.

Eadem diei veſpera Sereniſſimus Princeps, ut profuſum non verbis duntaxat, ſed & rebus teſtaretur amorem, *Admodum Reverendum & Clariſſimum Virum Petrum Muſæum, SS. Theologiæ Doctorem & Magnificum Academiæ Pro-Rectorem*, curru vectum Ducali ad ſe accerſivit, eidemque præſentibus multis, è duplici torque pendentem, auro gemmisque incluſam donavit imaginem. Pretioſius non poterat donare pignus quam *Seipſum:* in cujus prodiga Ducalis bonitatis munificentia, imprimeret teſſeram *famæ* immortalis, atqve pretioſis lapidibus, verè regio-ducalis ſanguinis ac virtutis inſculperet monumentum. Ingens Clementiæ beneficium, & prolixas Magnifici Domini Pro-Rectoris gratias, cœna intercepit non minoris apparatus, qvam eſſe debuit, luxu & magnificentiâ ducalis. Ordiente *Cerere* appetitum, Bacchus qvoqve ut pars accederet hilaritati,

natis in uſum lætitiæ ſcyphis

geminavit repetitas Cæſaris, Regum, Principumqve cognatorum incolumitates. Cum interim non minus devotione qvam officiis obſtricta, ſtudioſæ juventutis corona; ut erga tam eximium *Fundatorem* effuſiſſimum lætitiâ animum, ac pronam officiorum venerationem teſtaretur, horis ſerotinis ducentis prope facibus *Muſicam* præſentavit, atq; cum *Muſæo* de novennalibus qvoqve *Muſis* ſupra invidiam triumphavit. Erexêre ſeſe convivantium aures & affectus, & ad inauditam *Kiloniæ* harmoniam largiùs ſanitatibus litaverunt. Sed & *ECHO* ipſa nocturno ſilentio audacior, ſive ut adderet ſymphoniæ gratiam, ſive (qvod verius) tanti P*RINCIPIS* procaretur *amorem ;* geminatis & ingeminatis vocibus, primùm aream arcis, poſtea & urbem implevit. Dum diviſo cum agreſti & ſcrupea virgine Choro, ſvaviſſimè laudes & præconia *CHRISTIANI ALBERTI* panguntur, ſex ex *Alluſio.*

 dica-

dicata studiis juventute, coram Serenissimo *Principe*, oratores comparuêre; qvorum unus cæterorum nomine sic præfatus est.

Nomine Studiosorum allocutio.

Adsumus imbellis Proles, & balbutientes natorum primitiæ, quas ad TE Reverendissime atque Serenissime Princeps CHRISTIANE ALBERTE, *velut in Patriæ Patris dulcissimum complexum, destinavit, imperatrix virtutum, castigatrix morum, moderatrix affectuum, MATER* Academia. *Quæ ex luce sua, quam per TE nacta est, etiam in nocte debitum suum agnoscit, atq;* Tua DOMINE *beneficia, tot loquitur vocibus, quot facibus illustratur; quas* Tu *beneficum* Cimbriæ *sidus ad bonarum artium studia beneficiis accendisti, & jam æternæ noctis depulsa caligine bonitate serenas. Adsumus novella plantatio, Genitricis nostræ modestiâ verecundi, & Ducalium virtutum purpuræ concolores, Clientes & Alumni, non magis mellificio chordarum, quam pectoris officio proni, ut animorum quoq; in Tua DOMINE obsequia harmoniam, dulcedine concentuum probaremus. Adsumus generosæ masculæq; indolis juventus, quam, fundata Tuis* Princeps *impensis Artium Palæstra, jam sibi obstrictam tenet ex præsumptione virtutis, jubetq; ex contemplatione, sensuq; publicæ felicitatis, Tibi* Patri Patriæ *ac* Literarum *gratulari. Ea gratulatione, quæ nec ulli domesticorum invidiosa, exterorum nullis, nisi inimicis ingrata sit. Adsumus cultissima Studiosorum natio, scilicet post publica gaudia, post gratulantium cœtus, post plausus Civium ac populorum, non ut verbis, quibus unicum est ex sublimitate argumenti pretium, decus addere virtuti laudes omnium supergressæ conaremur; sed sola debiti memoria huc perducti, ad tentandas potius, quam (quod meritorum magnitudo eripuit) exolvendas grates, quas, in Cimbrica Chersoneso, non solum fulcro aut ornamento, sed etiam PRINCIPI, DOMINO, FUNDATORI, RECTORI, MECÆNATI, tantis nominibus debemus. Etenim ingratos esse oportet, qui se in publicâ felicitate à gratitudine exemptos putant. TU, Magne PRINCEPS, quem Patris FRIDERICI, siderumq; consensus, huc fastigii evexit, susceptis in Te* Holsatiæ *fatis, tot Urbium, tot populorum curam gerens, pro singulorum, pro universorum salute excubans, LITERIS quoq; vivis; ut veluti Tui ipsius oblitus, illis solis huc usq; vixisse videare. Et dubitaverit quis-*

quispiam ipsarum Tibi spiritum deberi, qui, nisi tuo animatus fuisset ad vitam, spirare in Cimbria desiisset. Felices TE Duce, & in TE DUCE, LITERÆ! jam eò pervenerunt favorem TUUM ductumq; secutæ, ut nisi TE salvo & incolumi, vivere non possint. Liberè sentimus, cum dicimus, Holsatus aut nunquam fuit aut esse desiit, cui non exultet affectus, ad beneficiorum Tuorum memoriam, & qui ingentia merita TUA non agnoscat devotus. Nos profectò, usq; unus erit Literarum apex, usq; stabit bonarum artium profectus, usq; durabit hæc disciplinarum Palæstra, prædicabimus orbi Principem, *venerabimur* Fundatorem, *loquemur* Mecænatem, *atq; immortalitatem beneficiorum* Tuorum, *seris quoq; Nepotibus transmittemus colendam. Non quasi id præmium* Tuæ *sit* Virtuti, *quæ nullum majus quam seipsam divitiis animosa suis habere potest; sed solum, ne indigni tanta beneficia accepisse videamur. Intelligimus à TE, nostris equidem commodis gloriæq;, non Athenæum modo, sed ipsas quoq; Athenas translatas* Kilonium; *cujus decus cum intuemur, nihil erit cur successuum nostrorum invidi, admirentur. Quotquot hinc sunt bona, tuæ bonitatis sunt spolia, ad quorum incrementum, hoc publicum, hoc divinum, hoc immortale bonum accesit, ACADEMIA. Hujus solidum fructum capimus, & quicquid tantis laboribus partum congestumq; est, non ingrati possidemus. TUA turba & populus jam omnes nos sumus, & quocunq; orbis nati climate,* Tuis *beneficiis, quasi avitis insignibus,* Cimbriæ *inserimur. Quod aliis naturæ tantùm jus fuit, jam* Tuæ *privilegium gratiæ est. Ita quicquid uspiam ingenuorum adolescentium viget, quicquid ubiq; ingeniorum floret, ad hoc TUUM AUGUSTE, literarum Prætorium pertinet. Inde sine discrimine*

Tros, Rutulusve fuat

TUA tangimus devoti genua, & tot laboribus defunctam dexteram veneramur. In TE sidus nostrum, vertuntur omnium mentes & oculi, dum amoris erga Te nostri, interpretes volumus gratias, *imperio* Tuo *& exemplo monemur. Fruere* CHRISTIANE ALBERTE, Princeps Opt. Max. *fruere laborum* Tuorum *immortali gloria; & si preces imbellis ætatis & elinguis prudentiæ non despicis, respice nunc alacritatem istam, suscipe spem præcellentis boni, admitte semen uberrimæ frugis, & promove pignus haud dubiæ felicitatis, precamur.* Bre-

Breviter & pro imperio responsum à Principe: *gratam sibi esse ex omnium prono obsequio alacritatem, gratius bene merendi propositum, gratissimam in ipsa bonarum artium propensionem. Agerent ex fide, quos virtus & eruditio tacitè nunc ambit & ad magna honorum fastigia vocat. Et quando in spes tantas adolescere satagunt, sequerentur eorum exempla, quorum gloriam concupiscunt. Pararent animos ad publicos honores, & magistratus, ad regimen urbium, ad decus Patriæ, ad incrementa fortunæ, & famæ immortalitatem, quæ rarò nisi præclare imbutis atq; institutis contingunt. Probarent se in omnibus, & super omnia DEO, non scientiæ solum experimento, sed vitæ; ut non magis ab institutione, quam morum ab indole, sapientiæ ac pietatis nomen accipiant, & utriusq; titulo honores fœnerentur.* His dictis, benignius à *Parente* Literarum habiti, jussi sunt illi sex, ad mensam Nobilium Aulæ convivari; cæteris, quatuor majora vasa Rhenani & decem cerevisiæ exoticæ è cella Ducali, in ablutionem & prædam cessêre. Quid hîc ego in lucem afferam, *NOCTEM* illam suis tenebris contentam, quæ etsi *Diem Inaugurationis* & publicam festivitatis hilaritatē secum abstulit, fulgentissimos tamen Ducalium beneficiorum radios, neq; tenebris suis involvit, neque noctis caligine obscuravit. Splendet æternùm placidissimi sideris fulgor, perpetuumqve habere discunt etiam *noctes* in Cimbria *SOLEM*. Nam quemadmodum sol cum lucet, atque fulgentissimis radiis terram illuminat, admovetqve oculis mortalium *diem*, videtur quodammodo restituere hominibus res omnes, qvas nox & tenebræ abstulerant. Ita *Serenissimus Princeps CHRISTIANUS ALBERTUS*, in spem ac fructum optatissimæ felicitatis, in hoc orbe terrarum ne dicam, an cœlo Cimbrico, sic bonitatis luce resplenduit, ut qvam atrocissimæ bellorum noctes, & cruentæ sæpius mœstissimarum tenebrarum vigiliæ abstulerant felicitatem, hoc *DIE*, *Literis*, *Civibus*, *Patriæq;* reddidit, atque ut libere possint cœlum & sidera intueri, omnibus *Deum* & vitam: Pacem & commoda: sapientiam & securitatem impertivit. O fortunatam natam *Holsatiam*! quæ tantis beneficiis, qvasi solis radiis mitigata, astri qvoqve inclementia incalescis. O tuam *Cimbria* incredibilem felicitatem, quæ tanto solis ocello, atque patrocinio gloriaris, ac velut auroræ populus,

lus, sub illius placidissimi sideris genio degis, ducisque spiritum atque auram vitæ. Peccabit in iis, ac degenerabit in monstrum natura, qui ad hunc *diem solemq;* propius positi, colorem noctis in animis circumferunt, in tanto lumine cæci, de maximis beneficiis ingrati. Splendes in omnium pectoribus, in monumentis literarum, in annalium æternitate, in beneficiis Tuis ac in Te ipso,

CHRISTIANE ALBERTE,

Principum Opt. Max.

Agnoscunt beneficium TUUM Ecclesiæ orthodoxæ, V. D. Ministris florentes, qui eruditionis copiâ, fulgore morum, vitæ innocentiâ, Pietatem & Religionem conciliant. Agnoscit beneficium TUUM, Equestris ministrantium ordo, civium populorumque subjectorum status, quorum alios, suo ordini asseris, honoribus afficis, & invitas ad decus. Per Te suus est ordini splendor, sacris oraculis vigor, artibus severitas, singulis justitia. Agnoscit beneficium TUUM in Isthmo Cimbrico, magnis impendiis erectum, majori cura stabilitum bonarum artium *Domicilium*, id est, hæc ipsa (quam scripsimus) ACADEMIA. Cui TE, & præsentia & patrocinio ita inseruisti, tamque altè intra literarum tecta, & literatorum animos, ad omnium seculorum memoriam, reliquisti impressa vestigia *Christiano-Albertinæ* munificentiæ, ut dubitandum potius sit, an mentem & oculos habeat, quisquis TE neget omnibus fulgere. Fulges beneficum populorum sidus, splendes capax omnium dulcedo, animo ac voluntate *Bono Cimbriæ* natus. Luces illâ purpurâ, quæ commoditati civium & exterorum semper obvia est. Splendes solis instar CHRISTIANE ALBERTE, meritis & beneficiis TUIS, quæ nemo non videt esse majora, quam ut iis, in hac verborum egestate, par ulla reperiri possit mortalium compensatio. Non erunt ingratæ MUSÆ TUÆ, non *Cives*, non *Patria*, verum duratura usque in seros nepotes memoria, usq; erunt Literæ, usque populorum voces, & exterorum vota: usque stabit sua studiis claritas, artibus securitas, & eminentioris ingenii honos; usque durabunt Sol, Luna, Cœli, Sidera

Semper honos Nomenq; Tuum laudesq; manebunt.

S Nec

NEc minus quoque voti atque consilii sui pretium feret Excellentissimus Dn. Præses, quod non tantum Excellentissimi hujus operis autor & suasor extiterit, sed rem quoq; maturè deliberatam consultis factu promptè conjungens, omnibus numeris perfectissimè absolverit, ringente etiamsi, ut fit plerumque circa præsentia, individua eminentis fortunæ comite, Invidia, quam tamen ille generoso pectore & alto supercilio hactenus sprevit, atque deinceps facilimè solidarum virtutum cuneo contundet, ut Epigramma Viri Consultissimi Dn. Rachelii J. V. D. & PP. in illustris ipsius nominis allusionem egregiè compositum pluribus innuit:

Quam dudum molita fuit, frustraq; precata est
Patria res summis annumeranda bonis.
Unius ecce Viri studio confecta secundo est,
Magnificis meritis hoc apice imposito.
Omine KIELMANNUS divino diceris urbem
Pieridum KILAM dum facis esse domum
Fortiter ut cuneus disscindit fissile lignum
Pectore Tu forti discutis invidiam.
Ipse tuas animi dotes miratur Apollo
Noster, & ingenio nititur ille tuo.
Quare tuum Nomen certant celebrare Camænæ
Nec poterunt KILÆ demeruisse Tui.

Quin nec parum gratiæ merentur ii, qui huic operi Academico promovendo ministras admoverunt manus, quorum primarius fuit Amplissimus & Experientissimus Dn. Joel Langeloth, utriusque Medic. Doctor & Serenissimi Nostri Principis Archiater, qui ad instantiam Domini Præsidis literarum officium, quo Viri celebres & doctissimi, Professionis munere functuri conquirerentur, sæpissime singulari industriâ præstitit. Hoc nomine Academiam hanc habebit sibi suisque obstrictam.

ÆTERNE. RERUM. OPIFEX. ET. SEDIUM. TUARUM. ASSISTRICIS. SAPIENTIÆ. ORIGO. TIBI. INAUGURATIONIS. HUJUS. QUAM. CELEBRAVIMUS. LÆTI. GLORIAM. ACCEPTAM. SUPPLICES. FERIMUS. TUUM. EST. NUMEN. QUO. TANTI. LABORIS. CONSILIA. MAXIMO. PRINCIPI. INSPIRASTI. TUUM. NUMEN. QVO. CONSILIIS. ROBUR. ROBORI. PRUDENTIAM. PRUDENTIÆ. CONSTANTIAM. ADDIDISTI. SERVA. UTRUMQVE. O. DEUS. ET. CONSERVA. LITERAS. LITERARUMQ;. STATOREM. CHRISTIANUM. ALBERTUM. ATQUE. CIMBRIAM. OLIM. BELLORUM. OFFICINAM. JAM. SANCTISSIMUM. THEMIDIS. SACRARIUM. IN. SECULA. TUERE.



IMPER. CÆSARI LEOPOLDO PRIMO, AUGUSTO GERMANICO, PIO, FELICI.

MOrati hactenus Pompam sumus. Nunc ad TE, LEOPOLDE AUGUSTE, ROMANORUM IMPERATOR, quacunq; Nos ex orbis Terrarum parte triumphantes intueris, convertimur. Ad TE DOMINE, ora nostra, vultum, oculosq; supra Phœnicum populi ambitum, velut ad salutare terris sidus, SOLEM mundi, attollimus. Circumfulges auspicatissimus, Gloriæ Regnorum & Imperii Bono natus. Et priusquam natus, expetitus tot votis, & magno precum sollicitatis ambitu. Cum adhuc latebas, AUGUSTE, in abdita fatorum Majestate, terris ignotus, sed cognitus cœlo, implebat ora vaticiniis divinum illud; QUARTUS DITABITUR SPOLIIS OPIMIS. Non nominis hic, sed hæredis fuit numerus, ut qui Primus

eras Nomine, Quartus *esses post FERDINANDOS Imperio ac Majestate. Et jam tum, passus TUOS, fama præludente, adhuc in utero signabas motu CÆSAREM. Venisti tandem desideratus in* lucem, *& cum* luce LUX *orbis. Risêre prodeunti cœlestes Genii, tot auspicantibus Divis, & natum plausu excepit* IMPERIUM. *Nemo se infelicem putabat, oriente felicitate. Dum factus Regnorum* REX *&* CÆSAR, *nemo se felicem arbitratur, quem non facis. Vix venisti ad Imperium, vix Regna vidisti, ut vinceres, circumtulisti signa: sed ita, quemadmodum SOL radiis refulsisti, non ut terras ambureres, sed illustrares, venisti ab Austro in Boream, calefacturus & occidentem. Vix venisti, vidisti, statim detersisti omnem bellorum fuliginem, & Pacis emicuisti insignibus, ut dicerent omnes mitem & Clementem. Nisi quod riget manus, & mens omnium obstupescit ad immanes Barbarorum vires, virusq́; & ad infesta funestæ Domus Ottomannicæ, contra AUGUSTAM DOMUM & orbem, signa, horret memoria! Vicisti vera Divum soboles, & tradux AUSTRE invicte. Vicisti juvantibus pugnam, tot divina cœlestiaq́; divina DOMUS AUSTRIACÆ ac cœlestis, Avorum Numina, atq; in FERDINANDORUM Nominibus mortalium saluti consecrata. Ibant ingloria agmina, & qui cœli antè ruinam, quàm TUA arma metuerant, nihil fiducia sua nocentius habuêre. Qui profunda cupidine urbes, agros & opes hauserant, si solam PACEM, saluti remedium, obtinere liceret, omnem sibi felicitem supergressi videbantur. Nullus jam sub* TE CAPITE *in orbe metus, pendent de barbaris triumphi, & florent almæ Pacis pacificæ frondes. Inde tot linguas vocales, & habes acclamantia ora, tot voces, quot flammas victoria, quia tot Tibi ipsi sunt flammæ, quot sidera. Sub TE, IMPERATOR, aureum molimur seculum; qui labore impigro, librata humeris mundi mole, & animo vigili pro orbe Christiano spiras imperatoriis curis intentus, atq; inter armorum quoq; strepitus (quod mirantur omnes) humani generis delicium, incumbis Literarum solatio. Tuum istud est, an Tuum, CIMBRE, solatium, ACADEMIA, CHRISTIANO-ALBERTINA, quâ se magnoperè solantur Cives, & maximè gratulatur HOLSATIA.*

Erant

Erant olim sub Imperatoribus, quibus immensos imperii tutarentur fines, Legiones armatæ; nempè quibus ea vox placuit, oderint dum metuant. *Nec deerant ad defensionem, fossæ, sudes, aggeres, civitatibus ac populis, securitatis, an verius crudelitatis præsidia; Certè omnia horroris, atq; odii, non amoris munimenta. Tu AUGUSTE, novum hodie fatum orbi & urbibus dedisti. Ut servares amorem, & formares obsequium, limitem nuper Imperii, non infestis armorum signis, non machinis aut catapultis, non ductis armatorum cohortibus, sed liberalium Artium disciplinis, adversus omnem morum barbarorum incursum, & contra perfidiam animorum munivisti. Felix imperium, cujus non tantum orbis centrum, sed & circumferentiam observat custos sapientia. Ita, CÆSAR, ratus togâ melius, quàm sago; & literis, quàm armis, regnorum securitatem, & fines imperii defendi, propugnari. Macte hac gloria GERMANICE! sine Numa, sine Martio, sine Prisco, sine Julio, qui ceremonias, qui leges, qui censum, qui literas, qui urbis ornamenta procurarunt; quid erat inter populi Romani* Quirites, *quod non à latronibus & Pyrrhatis potuisset præstari? Tota vis regnandi, veneratio Principis, & populorum obsequium, ex literis & sapientia est. Nisi ita esset, frustra eam tot Reges, tot Cæsares, tot belli Duces, ac Pacis Principes, gentilitiis intulissent signis; nec ille Regnorum summus, Regumq;, illam, supra omnia regna extulisset Salomon. Quorum cum famam adæquaris, sapienti bonitate judicabas AUGUSTE, promovendam esse sapientiæ dignitatem, quam præter Reges & Principes, consensus quoq; generis humani, supra omnem humanam felicitatem posuisset. Idcirco, non orbis Tui tantum medio, sed & in limite Tuæ dominationis, tantum decus collocasti. Ut sub Te orbis CAPITE, PES quoq; IMPERII, ad sapientiam firmaretur. Scilicet ejus ut amore, caloreq;, extremæ quoq; ad Aquilonem regiones liquescerent. Bonum factum LEOPOLDE, nihil augustius cogitare aut facere potuisti. Mitescet Tuis facibus Arctous Axis, & rigidiori fato, duratus antè in glaciem Codanus, velificante* Austro, *remis imposterum verberabitur nautarum, non equorum ungulis. Intra hujus limites Tuus Sol, AUGUSTE, exoritur, & cadit: infra hujus Astrum, regna Tua, & orbis jacet: qui, si plures essent, omnes Majestatis Tuæ splendor occupasset. Ne*

iis quidem locis exulaturus, per quæ, perpetuæ noctes, nullo interjectu dierum ambulant; & quæ densissima velut caligine æternarum noctium obducuntur, Sublatis noctibus, cessabunt arma, furorem cohibente sapientia; quam TU radiis ac luce TUA, PACI ORBIS TERRARUM, cum Vespasiano, imperii finibus invexisti, maximo compendio fructus, nullo sanguinis dispendio. Exequias Patriæ ivissemus, nisi per TE ivissemus literis. Syllam *vel* Marium, *cervicibus suis sensisset CIMBRIA, nisi Te, CÆSAREM, habuisset. Dignum orbi Principem! ut florentem Imperii summam sustineat, qui nutantibus quoq; belli tumultu finibus, non armis, sed literis prospexit. Enimverò armis circumtonare, per luctantes urbium flammas incedere, vastare, incendere; agris solitudinem, civitatibus mœstitiam, gemitum hominibus inferre, & ad tyrannidem per mortalium strages, ruinasq; urbium grassari,* Nerones & Attilæ *potuerunt. Nihil TU CÆSAR, ex his habes; sed habes multum de PATRE, multum de MATRE, & cum clementiæ ac sapientiæ desudas, utrisq; reddis imaginem, ipsa confusione gratiorem. Reddis & nobis, ex hoc vultu Lucem, SOL orbis! nam tantæ Gratiæ* Privilegia, *quibus animamur ad artes, accendimur ad sapientiam, & munimur ad securitatem, nostræ quidem felicitatis sunt pignora, sed TUÆ bonitatis monimenta. Horum beneficio, AUGUSTE, stat ACADEMIA, illa (inquam) CHRISTIANO-ALBERTINA, Educationum Genitrix, disciplinarum Nutrix, Regina artium ac virtutum. Quæ Serenissimi Fundatoris munificentia erecta, TUO munere stabilita est, cognitioni rerum, artium disciplinis, donatrici Regnorum & Imperiorum SAPIENTIÆ. Quo majoribus ACADEMIÆ dignitatem laudibus attollo, eo minore verborum copia, suffundor, oppressus immensitate gloriæ. HOROLOGIUM ne illam appellabo? Sed TUUM LEOPOLDE, quo distinguis Regnorum tempora, & Imperii momenta; cujus princeps Rota est CHRISTIANUS ALBERTUS, ad cujus sive quietem, sive motum; cæteræ, vel fixæ semper hæreant, vel illicò volubilitatis quodam spiritu, ad obsequium & venerationem animatæ, suis singulæ cursibus, pari disparive celeritate torqueantur. Jam ad*

ad rerum divinarum arcana; jam ad naturarum scrutinia; aliæ ad cœlestia signa, aliæ ad contemplanda mysteria; omnes ad artium variarum familias & facultates. PANDORAM ne dicam? primum à FERDINANDO III. & Divo FRIDERICO, quasi cœlitus ad nos missam, tota divinitatis supellectile, non magis divitem, quam speciosam. An VIRGAM AUREAM nuncupabo? sed ex earum numero & genere, quam ad instaurandæ Herculis pueritiæ, Minerva *dedit: aut excitandis à torpedine corporum, animorumq; sensibus, adinvenit* Mercurius. *Figmenta sunt ista, AUGUSTE, sed formandæ rationis, & ad sapientium aspirantis incitamenta vetustatis. Profectò RIVUS est ACADEMIA, à DEO, primo fonte promanans, & portio quædam æternitatis; quæ, prius in cœlestem diffusa naturam, mox in terras, maria, & Cimbricum orbem exundans, suavissimo animorum, corporumq; nexu, mirabiles ac penè divinos, in bonis mentibus temperat concentus. Sive, eminentioris COELI CIRCUMVECTIO est, cujus orbis incluta DOMUS AUSTRIÆ, cum qua Imperii atq; Regnorum felicitas incipit, nec unquam desinit. Ut quemadmodum, quod supra nos est,* cœlum, *semper agitatur ut consistat; ita nunquam pars hæc ejus conquiescat, magnitudine autem, quicquid usquam est concludat. Hujus geminus Axis, Divus* FRIDERICUS & CHRISTIANUS ALBERTUS *est, super quibus tota ejus institutionis machina versatur; versatq; paribus disciplinæ spatiis, & bonitatem naturæ, & vitiosam adolescentiæ pravitatem; ut post novercales semitas, redire possit, in vitæ novæ repastinationem, atq; jucundo undequaq; animi respondentis obsequio, suaviorem efficiat concentum, quam illa Pythagoræ, ex imparibus orta cœlorum intervallis, cursibusq; nata contrariis harmonia. Planè* COELUM *est;* FERDINANDI III. *sed illud, cujus primum mobile, Divus* FRIDERICUS; *movens,* CHRISTIANUS ALBERTUS, *quorum beneficiis, docentium exemplo, atq; discentium obsequio, ad sapientiam* Cimbria *incitatur. Verum ea ratione, modoq;, ut cæteri quoq; cœlorum orbes, non quiescant, sed velut admirabili quodam affectu, consentienteq; ad culturam artium tota* Holsatia, *quasi universi dominatu, nullus non status aut regionis partes,*

tes, certâ lege ciuntur, ad institutionem & disciplinam; stabiliq; obsequio, ad bonas artes versantur. Unde Ecclesiarum lumina, unde togatorum decora, acuti & æqui Jurisperitorum sensus, & amica vitæ, victrixq; morborum, medicina. Unde Oratores & Poëtæ, & arcanorum naturæ conscii, interpretesq; Philosophi. Unde Mathesis, & cœli civis in terris Astronomia. Unde viri, jugi scientia clari; & numerosa arte multiscii; paci utiles, bello idonei, velut majora in cœlo lumina, terras, regna, Respublicas, suæ fulgore sapientiæ illustrent, illuminent. Hæc illa, LEOPOLDE AUGUSTE, talis ac tanta, & quam KILONIÆ, limite imperii, stare ac durare voluisti, ACADEMIA; hodie, TUIS ad decus firmatur auspiciis immortale. TUUM, DOMINE, affectum, constanti voluntatis propensione, quo adusq; vixerit merebitur CHRISTIANO-ALBERTINA. Si imposterum quoq; à Tuæ Majestatis clementia, illam accipere pateris ornamentum. Quo haudquaquam humili conatu, TUIS sese laudibus ac meritis impendet. Eo nempè tempore, quo creverit in fructum educationis, & adoleverit in virtutem sub CHRISTIANO ALBERTO, sapientiæ numeratura palmas; non patietur luculentam bene merendi, de Domo Augustissima AUSTRI, *elabi occasionem. Istud,* Tua IMPERATOR, *exigit in artes liberales, liberalis* gratia: *hoc,* Tuus AUGUSTE, *in orbem Cimbricum, vult* amor: *hæc* Tua LEOPOLDE, *in Regnantem* DUCEM, *& Regnatricem Principum sedem, vendicat* indulgentia. *Vigebit* GRATITUDO *reciproca; quam justitiæ partem credimus, nec eos, qui mortalibus ingrati sunt, arbitramur, immortali DEO, CÆSARIq;, debitam præstare fidem & obsequium. Ab hac, auspicati,* Tibi AUGUSTE, *gratiam litare volumus, & quicquid per* TUAM *bonitatem,* LITERIS, CIMBRIS, DUCIBUSq; *accessit; TUO, LEOPOLDE, Nomini, Numini animus est consecrare. Silete bella, & armorum strepitus, non ab Helicone Græciæ, sed à septentrionis axe, ab Hyperboreo oceano, à Balthico mari, & extremis Vandaliæ, veniunt MUSÆ, & TE IMPERATOREM invictissimum, REGEM potentissimum, DOMINUM Orbis Christiani maximum, PATREM populorum optimum, VINDICEM miserorum, felicium Au-*

THO-

THOREM, tandem Regnorum atq; imperii UNICUM FUNDAMENTUM, salutant & venerantur. Silete arma & bellorum tumultus, dum MUSÆ, in gratiarum actione, *supremo conatu, verba ad referendum quærunt: quoties* Tuis AUGUSTE *meritis, & spem quoq; nostram supergressis, trementes occurrunt. Silete Bellonæ consilia, & Martis furores, MUSÆ loquuntur; sed rem, DOMINE, difficilem, quam ut pro ratione debiti, peragi valeat. Neq; enim nobis tam expeditum est,* gratiarum TIBI *probare* actiones, *quam agnoscere GRATIAS. Istud quidem, quotquot in orbe sumus Tuo, & circo Cimbrico, optamus maximè, ut se nostra & omnium gratitudo, quà publicè, quà privatim, etiam per barbarorum diffundat dominia, ut TE agnoscant orbis Christiani unicam Majestatem. Arcete bella à MUSIS, ô Numina! & arma pelle, ô pollens LEO-POLDI! ne felicitatem nostram, sinistrum, tot ostentis cælestium, turbet augurium. Tempera tibi timor, & cessa mœstitia. Auspice DEO & CÆSARE, PAX OPTIMA RERUM, præcipuum CHRISTIANO-ALBERTINÆ indulgentiæ munus, temperiem in animis conciliabit voluntatum, è quâ, functionum omnium vigor, mentium alacritas. Musarum non iners otium, beata ruris copia, securi aditus viarum, Cimbriæ opulentia, & Bonorum cumulus, quasi Cornu copiæ promanabunt. Ignosce AUGUSTE, si ad scintillantes hincinde bellorum faces, nostra metum expressit securitas, cujus obtentu, si alicubi verborum ambagibus, MUSARUM CIMBRICARUM, cespitavit GRATITUDO; nos, cumulatiore gratitudine corrigimus, & paucioribus verbis AGIMUS GRATIAS, TIBI LEOPOLDE. CÆSAR. AUGUSTE. Agimus Gratias* Tibi *incluta cælestium virtutum DOMUS AUSTRI, Principum, Archi-Ducum, Regum, Imperatorum*

-- magnorum Mater. Genitrixq; Deorum.

Faciat facilis ad vota DEUS, pro hac AUGUSTE Clementiâ, ut quicquid LITERIS, CIMBRIS, DUCIBUSq; hoc die felicitatis, dignitatis & eminentiæ accessit, id Majestati TUÆ, grata semper præsentium ætas reddat, & cultu debitum referat, omne seculum Posterorum. Quod si à Tua DOMINE *non fortitudine sed sapientia, MUSAS ad bellum trepidas & imbelles, remedium accipere pateris, spes quoq; nobis porrigitur victoriæ, debella-*

tæ scilicet ignorantiæ, quam stylo, non pilo; & calamo non capulo confectam, ducet in triumphum CHRISTIANO-ALBERTINÆ, prudentia. Et tunc AUGUSTE, ibimus inter eruditos quos habes Genios, ingeniosi; & ubi elegantius in TUAS laudes nobis occurret ingenium. nil detriti deterritiq́ue, vel balbutientes, LEOPOLDUM, CÆSAREM, AUGUSTUM, fari conabimur: hoc est, quoties TUA in nos prædicabimus merita, semper memores, ad illam verè nunc augustam MAJESTATEM TUAM, veneratione procumbemus. Jam, IMPERATOR, sive imparem Tuis meritis GRATIARUM ACTIONEM *parem esse judicas* silentio; *sive metum nostrum pro veneratione admittis. Tunc nos, aut nihil dixisse fatebimur, ne deliquisse existimes: aut jam antea, cum non sine timoris verecundia, gratias egimus, ut tutius voveamus, à* Tua AUGUSTE *clementia, veniam exorasse.* O. NIMIUM. DILECTE. DEO. LEOPOLDE. TIBI. MILITET. ÆTHER. ET. TE. REGNORUM. AC. IMPERII. DECUS. CONJURATUS. ORBIS. ADORET. SIC. PRIMI. SOLIS. CUNABULIS. ET. TERRIS. ULTIMI. TUAM. MAJESTATEM. SUSPICIANT. SIC. ARCTICUS. ET. ANTARCTICUS. TIBI. PLAUDAT. POLUS. SIC. TE. MOSCHUS. SCYTHA. TARTARUS. TIMEAT; ET. LATE. FEROCIENS. ARMIS. HORREAT. OTTOMANNUS. ET. QUICQVID. INFIDELIUM. EST. UBIQVE. POPULORUM. QVI. CLADIBUS. IMMENSIS. PERSTAGNANTES. CRUORE. CAMPOS. PER. COLLUCENTES. URBIUM. FLAMMAS. PER. TOT. ATROCES. ARMORUM. EXITVS. ALMÆ. CHRISTIANORVM. PACI. CRVDELITER. INHIANT. FVSI. FVGATIQVE: TVRPITER. CONCIDANT. ET. EXVTI. ODIIS. IMBVTI. FIDE. INDVTI. OBSEQVIO. TE. TERRARVM. ORBIS. CHRISTIANI. DOMINVM. AGNOSCANT. ET. TVAM. IMPERATOR. MAJESTATEM. COMPOSITIS. VENERENTVR. ARMIS.

(Lit. A.)

Inaugurations-Predigt/

Als

Der Hochwürdigster/ Durchläuchtigster Fürst und Herr/

Herr Christian Albrecht/

Bischoff zu Lübeck/ Erbe zu Norwegen/ Hertzog zu Schleßwig und Holstein/ der Stormarn und Dithmarschen/ Graffe zu Oldenburg und Delmenhorst/ rc.

in dero Stadt Kiel

Die

UNIVERSITET

ließ einweihen.

Gehalten

Und

Auff J. Durchl. gnädigsten Befehl

in Druck geben

Von

JOHANNE Reinboth/ S. S. Theol. Doctore

General-Superintendenten und

Hoffpredigern.

Schleßwig gedruckt in der Fürstlichen Druckerey

Durch Johan Holwein/ Im Jahr 1665.

Hilff ô Christe! Amen.

GEliebte und andächtige im HERRN / Es hat der Hochwürdigster/ Durchläuchtigster Fürst und Herr/ Herr Christian Albrecht / Bischoff zu Lübeck / Erbe zu Norwegen / Hertzog zu Schleßwig und Holstein / der Stormarn und Dithmarschen / Graff zu Oldenburg und Delmenhorst/ꝛc. unser allerseits gnädigster LandesFürst und Herr/ den heutigen Tag zur Einweihung der newen Christian Albrechts Universitet gewidmet / und gnädigst befohlen / daß der Anfang durch den offentlichen Gottesdienst gemacht würde. Wir seynd darumb im Nahmen Gottes beyeinander versamlet/solchem gnädigsten Befehl unterthänigst zu gehorsamen/ und nun aus Gottes Wort hervor zu suchen/ was zu unserm Vornehmen uns Anlaß geben kan. Damit nun dieses zu Gottes Ehren/ und zu unser erbawung möge dienen/ wollen wir den Vater aller Barmhertzigkeit im Namen Christi anruffen / daß er uns die Gnade seines Heil. Geistes von oben herab geben wolle/damit wir im lehren und zuhören ihme mögen gefällig seyn. Wir wollen dieses zu erlangen/ ein gläubiges Vater Unser beten/und zuvor miteinander singen:

Nun bitten wir den heiligen Geist / umb den rechten Glauben allermeist/daß er uns behüte/ an unser Ende / wenn wir heimfahren aus diesem Elende. Kyrie Eleison.

Du höchstes Liecht gib uns deinen Schein / lehr uns Jesum Christum erkennen allein / daß wir an ihn gläuben / den getreuen Heyland/ der uns bracht hat zu dem rechten Vaterlande. Kyr. Eleison.

Du süsse Liebe schenck uns deine Gunst/ laß uns empfinden der Liebe Brunst/daß wir uns von Hertzen ein ander lieben/und im Friede auff einem Sinne bleiben. Kyr. Eleison.

Du höchster Tröster in aller Noth / hilff daß wir nicht fürchten Schand und Todt/daß in uns die Sinne nicht verzagen/wenn der Todt das Leben wird anklagen. Kyr. Eleison.

Betet nun auch miteinander also:

VAter Unser/der du bist im Himmel/ Geheiliget werde dein Name/ Zukomme uns dein Reich/ Dein Wille geschehe wie im Himmel/ also auch auff Erden/ Unser täglich Brodt gib uns heute / und vergib uns unser Schuld/ als wir vergeben unsern Schuldigern / Führe uns nicht in Versuchung/ sondern erlöse uns von dem Ubel. Denn dein ist das Reich/ die Krafft und die Herrligkeit/ in Ewigkeit! Amen.

Der Text/ welcher zu dieser Inaugurations Predigt/ erwehlet worden ist/ findet sich im Buche der Weisheit am 6, 27/ Und lautet also:

WEnn der Weisen viel seynd/ das ist der Welt Heyl/ darumb lasst euch weisen/ durch mein Wort.

Eingang.

GEliebte und andächtige im HERRN JESU, Wir haben auff zweyerley an diesem Tage zu gedencken/ davon sonsten gar selten auff der Cantzel geprediget wird. Das erste ist die Inauguration und Einweihung. Das ander aber die Universitet, die sol eingeweihet werden. Von beyden wollen wir reden. Und zwar von der Einweihung in dem Eingange. Von den *Universiteten*, was man von solchen halten solle/ aber in der Außführung.

Bey der *Inauguration* haben wir uns sonderlich zu erinneren/ woher der Einweihungen Anfang kommen/ und wenn sie entsprungen/ und was vor sonderliche Einweihungen in dem offenbahrten Worte und andern Scribenten vorgangen? Es seynd die Einweihungen nach ihrem Ursprunge Göttliches Rechtens/ da GOtt der HERR im Alt. Testament gewisse Sachen einzuweihen verordnet hat/ welches hernach aus Freyheit von gottseligen Leuten erwehlet/ die aus vernünfftigen Ursachen/ der von GOtt verordneten Einweihung nachfolgen/ und solche entweder nach den zerstörten oder profanirten und verunreinigten Tempel im Alt. Testam. oder bey Kirchen und andern Sachen im New. Test. aus Christlicher Freyheit verrichten wollen.

Jch sage/ der erste anfang der Einweihung sey Göttlichen Rechtens/ und daß ich nicht etwa vom Sabbath Gen. 2, 3. Exod. 20, 1. sage/ der nach etlicher meynung im Stande der Unschuld am siebenden Tage sol von Gott selbst eingeweihet worden seyn/ so findet sich es/ daß beydes bey offentlichen und privat Gebäuden inaugurationes von Gott verordnet seyn. Von privat Häusern stehet ein Ort Deut. 20, 5. / da GOTT den Jsraeliten dieses hinterbringen lässt: Welcher ein newes Haus gebauet/ und hat es nicht—eingeweihet/ der gehe hin und bleibe in seinem Hause/ auff daß er nicht sterbe im Kriege/ und ein ander weihe es ein. Ein Exempel haben wir an König David/ der nach dem ihm der König Hiram Holtz und Zimmerleute/ ihm ein Haus zu bawen/ gesand 1. Chron. 15, 4. / hat er es auch 2. Sam. 16, 21. Werckstellig gemacht/ und nach den Titul des 30. Psalms es eingeweihet. Die LXX. Dolmetscher haben ihn nach den Worten verstanden/ und wie die Worte lauten (und nicht wie Chald. der mehr als die blossen Worte geben/ gemeynet/ und auff das Haus (Domum sanctitatis) da die Lade des Bundes gestanden 1. Chron. 16, 1. gezielet) geben ψαλμὸς ᾠδῆς τῆ ἐγκαινισμῦ τῆ οἴκε τῆ Δαυίδ.

Jch

Ich wil unterdessen doch nicht eben leugnen / daß obwol das Wort einweihung bey der Solennitet da er die Lade des Bundes in die Hütten / die er über sie bereiten lassen / abgeholet / nicht zu finden / daß es doch nach der Sache eine wahre Einweihung / die 2. Chron. 6, 1. ad 28. nach der länge erzehlet wird / gewesen / weil das was von Salomone, Esra und Maccabæo vorkommet / von David in acht genommen / und also David allen mit seinem Exempel vorgangen ist.

Bey offentlichen Gebäwden ist die Einweihung in Weltlichen und Geistlichen beobachtet worden. Im Weltlichen wird Neh. 12, 27. der Mauren gedacht / zu welcher einweihung Nehemias aus allen Orten die Leviten lies zusammen holen / mit dancken / singen / Cymbeln / Psaltern und Harffen.

Im Geistlichen ist die Hütte des Stiffts / der Tempel Salomonis und der Tempel / so nach der Babylonischen Gefängniß wieder erbawet / zu beobachten. Von Mosis Tabernacul stehet Exod. 18, 44. / daß Gott ihn selbst geheiliget / wiewol er Mosis Dienst dabey gebraucht Ex. 30, 21. / da mit trefflichen Specereyen / Myrrhen / Calmus und Casſia das Reuchwerck und eine Salbe von Oel Lev. 8, 11. muste bereitet werden / und das Gerethe und Hütte mit dem Altar gesalbet worden ist / Num. 7, 1. Von Davids zur Lade des Bundes erbauten Hause habe ich schon gesagt. Wie sorgfältig und kostbar Salomo gantzer 7. Jahr mit seinem Tempelsbaw 1. Reg. 6, 31. gewesen / wie herrlich er es bey der Einweihung / die gantzer 7. Tage gewäret 1. Reg. 8, 65. / lassen hergehen / findet der Leser l. c. Und wird sonderlich der Opffer gedacht / der 22000. Ochsen und 12000. Schaaffe 2. Chron. 7, 6. / und der Priester 2. Chron. 7, 8. die in ihrer Hut gestanden / und der Leviten mit den Seitenspielen des HErrn / die der König David hatte machen lassen / dem HErrn zu dancken / daß seine Barmhertzigkeit ewiglich wäret / mit den Psalmen Davids durch ihre Hand / wie die Priester bliessen mit Drommeten. Was vor Psalmen / und wenn sie gesungen nach der Juden meynung / kan der curiöse Zuhörer bey andern / die ihre meynung / warumb etliche Psalmen Davids Psalmi graduum genennet werden / nachschlagen.

Nach der Babylonischen Gefängniß wird noch einer Einweihung im Büchlein Esra c. 6. 16, 17, 18. gedacht / davon des heiligen Geistes Worte diese nachfolgende seynd: **Die Kinder Israel / die Priester / die Leviten und die andern Kinder der Gefängniß / hielten einweihung des Hauses Gottes mit Frewden / und opfferten auff die — einweihung des Hauses Gottes hundert Kälber / zwey hundert Lämmer / vier hundert Böcke / und zum Sündopffer vor das gantze Israel zwölff Ziegenböcke / nach der Zahl der Stämme Israel / und stelleten die Priester in ihrer Ordnung / und die Leviten in ihre Hut / zu dienen GOTT / der in Israel ist.**

Ausser dem offenbahrten Wort Gottes findet sich eine Namentliche einweihung des Tempels / und geschiehet solcher in Büchern der Maccabeer und beym Josepho meldung. Denn nach dem Antiochus Epiphanes trotzig am Heiligthum sich vergriffen / und eine Verwüstung über die Opffer / das Heiligthumb und Heer (das ist Gottesdienst) Dan. 8, 14. angerichtet / das Geräthe und Schätze geraubet 1. Macc. 1, 23. hat nach der Verheissung Gottes / das nach 2300. Tagen vom Abend gegen Morgen zu rechnen / das Heiligthum solte wieder Dan. 8, 14. (V. ibid. Deodati p. 772.) geweihet werden / Judas Maccabæus 1. Macc. 4. 12. es wieder gereiniget / Und wie Josephus l. 12. A. c. 20. redet / geweihet / welche einweihung / damit sie allezeit in frischem Ge-

dächtnuß möchte bleiben hat man das Fest Encæniorum oder luminum wie es *Josephus l.12.A.c.11.* nennet/geordnet/da wenn dem Talmud zu trawen in einem sonderlichen Titul/ von diesen Festen/ so haben sie 8. Tage Laternen in Häusern angezündet gehabt/und des Tempels Weyhe/aus beliebter Freyheit eingeführet/ welches Fest noch zu Christi Zeiten im schwang gangen und gebräuchlich gewesen/ wie aus dem Evangelisten Johanne c.10,22. offenbahr ist/ und Rupertus gar recht hat/daß dieses Fest auff Judæ Maccabæi dedication (welche Castalio unrecht novalia vertiret) sich referiren/ als welche allein im Winter im Monat Casleu angesetzt. Errant enim *Theodorus Mopsuestiensis* qui Encænia urbis *Cyrill.* in *Catena* templi *Leonotus & Theophyl.* templi Salomonis, *Chrysost. Euthym. Theoderus Heracleotes* templi Zorobabelis intelligunt. Die Worte 1. Macc. 4 von v. 52. an ad v. 60. seyn: **Und am 25. Tage des 9. Monden/der da heist** Casleu **im 148. Jahr/ stunden sie frühe auff/ und opfferten wiederumb nach dem Gesetz auff dem Altar des Brandopffers/ das ist das erste Opffer gewesen/ nach der Zeit/ als die Heyden das Heiligthumb verunreiniget haben/ und ward dieses Opffer wieder angerichtet mit Gesang/ Pfeiffen/ Harffen und Cymbeln. Und alles Volck fiel nieder auff das Angesicht/ beteten an/und lobeten den HErrn im Himmel/ der ihnen Glück und Sieg gegeben hatte. Und hielten das Fest des neuen Altars acht Tage und opfferten darauff Brandopffer und Danckopffer mit Freuden. Und schmückten den Tempel mit güldenen Kräntzen und Schilden und machten newe Thor und Cellen/ Und war sehr grosse Frewde im Volck/ daß die Schande von ihnen genommen war/ das ihnen die Heyden angeleget hatten. Und Judas und seine Brüder und alles Volck Israel beschlossen/daß man Jährlich vom 25. Tage des Monden Casleu 8. Tage des neuen Altars Fest halten solte/mit Freuden und Dancksagung.** Josephi Worte mügen auch hier l.c.p,129. interp. Ruffino gelesen werden: *Quinta v. & vigesima mensis Kasleu, quem Macedonii Apellæon vocant, accenderunt lumina super candelabrum & adoleverunt & holocausta in novo altari obtulerunt. Hæc a. facta sunt post tres annos, eodem die quo mutata est eorum religio ad profanam idolorum consuetudinem. Nam templum destructum ab Antiocho sic tribus annis mansit. Anno enim 145. hæc in templo facta sunt 25. die Apollæi mensis, Olymp. 153. Renovatum verò est in eodem die 25. Apollæi mensis 148. anno Olympiade 154. Desolationem verò templi contigit fieri secundum Danielis prædicationem quam ante 408. annos prædixerat, per quam significavit, quod Macedones illud destruerent. Celebravit a. Judas cum civibus suis pro renovatione templi sacrificia per dies 8. nullum genus deliciorum relinquens sed pretiosissimis dapibus eos pascens Deum a. laudibus & psalmis glorificabat, seseq; mutuò cantibus delectabant. Pro renovatione v. solennium post multum tempus insperata religione receptorum, legem posuerunt, ut posteri per 8. dies hanc renovationem templis celebrarent. Unde ab illo tempore hactenus hanc festivitatem celebramus, vocantes eam lumina, eò quod nobis præter spem hoc splendidum lumen colendæ religionis apparuit.* Nachdem was unter dem alten Bunde biß zun Zeiten Christi und der zerstörung Jerusalems von einweihungen zu finden/ ist vorbracht/ erfordert nun auch die Ordnung/ daß wir/was davon im newen Bunde vorgefallen/mit wenigen berühren. Ob nun wol weder Gott noch Christus/ noch die Apostel befohlen/ daß man unter dem newen Bunde solte etwas einweihen/ jedoch was David/Salomo/Esras/Judas Maccab. zur nachfolge Mosis gethan/das haben aus Christlicher

licher Freyheit die Christliche Könige und Vorsteher der Kirchen auch beliebet / und haben/ sonderlich nach dem die Verfolgungen auffgehöret/und man sicher / offentliche Gottes Häuser und Kirchen gebawet/ sie auch solche Einzuweihen sich gefallen lassen / und wird sonderlich Constantino Magno das Lob geben/daß er in diesem Stücke sich löblich und freygebig verhalten / wie denn aus Eusebio Ruffinus l.9.c.10. jetzo sein Zeugniß in genere davon mag ablegen/ daß unter Constantino M. viel Kirchen eingeweihet. p. 212. Interea festivitates â nostris frequentissimè gerebantur cum omni lætitia & exultatione, per urbes & loca singula Ecclesiarum dedicationibus celebratis. Congregabantur in unum sacerdotes nec pigebat etiam longè positos convenire, quia nullum longum videbatur spatium charitati. Was zu Jerusalem vor eine hochansehnliche Einweihung gehalten / bezeuget eben dieser Ruffin. lib. 10. c. 11. p. 228. Ad dedicationem Hierosolymorum ex omni orbe coire sacerdotes invitabantur. Jch bringe noch ein einiges Exempel von Constantinopel und der weitberühmten Kirchen/ so Sophia genant worden/ deren Einweihung Socrates gedacht/ Und stehen diese Worte in Tripartita l. 5. c. 39. p. 999. Eudoxio porrò constituto Constantinopoli, tunc etiam major Ecclesia, quæ dicitur Sophia, dedicatur consulatu Constantis decimo & Juliani Cæsaris tertio 25. die Februarii mensis.

Von den Kirchen ist die Einweihung zum Beschluß auff die Universiteten komen. Zu welcher Zeit es geschehen/und wer der erste gewesen/ ist nicht leicht zu sagen. Es haben zwar viel vortreffliche Leute von den Academien geschrieben. Und zwar hat A.C. 1580. Jacobus Middendorpius ein Theologus und JCtus mit trefflichen Fleiß drey Bücher von Academien heraus geben/ un wenig vergessen/ das zu solcher materi gehöret/ deme andere hernach leicht haben folgen köñen. Christoph Besoldus ein Doctor und Professor Juris zu Tübingen/ *Zwing. vol. 26. David Döring Bibliothec.* in voce *Academ.* & ib. *Joh. Jac. Speidel in Speculo, Carpzou in Jurisp. Consistor. l. 2. tr. 3. Franc. Junius* in peculari tr. haben auch das ihrige gethan/und mit Lobwürdiger kürtze/ was man von Academien finden mag/ eingeführet / Herr *Lansius, D. Stephani,* auch mit seinen Observationibus diese materi gezieret/ die rühmens würdig seyn. Dieses Fleisses hat sich auch *P. Greg. Tholosan.* und der Meintzische Jesuit *Adamus Contzen* gebraucht/ wie aus seinem *l. 4. Polit. âc. 13. ad fin.* offenbahr ist. H. *D. Hermannus* Conring in diesem Seculo zum Lobe und zur Zierde der Gelehrten in Deutschland / gebohren / hat sein vortrefflich judicium, wie er in andern pflegt/ auch bey diesem Wercke in seinen 6. Dissertationibus sehen lassen/und weñ ich zu judiciren mich unterstehen dürffte / es den andern zuvor gethan. Aber das ich bey einem hätte finden können/ wenn die inaugurationes Academiarum auffkommen/ kan ich nicht sagen. Jch habe auch das Glück selbst nicht gehabt/ daß ich es aus einem Autore mercken können. Es ist vielleicht gläublich/ daß nach dem in Engelland und Franckreich gegen Caroli Magni Zeiten die Hohen Schulen so hoch gestiegen/ daß auch diese Ceremoni mag beliebet worden seyn. Unsert wegen mag nun der Anfang gemacht seyn / wie er wolle / so ist es doch aus guten Christlichen Hertzen geschehen.

Und weil die Academien die zu unserer und vorigen Zeiten eingerichtet / diese Ceremonien und Solennien gehabt/ So haben J. D. solchen löblichen Gebrauch (der auch bey den Heyden sonst üblich/ wie aus Servio ad l. 5. Æn. *Alex ab Alex.* andere mercken) auch belieben wollen. An stat der Salbung wolle der H. Geist die Heiligung verrichten/ wie deñ darumb wir nicht allein beym anfange des Gesangs/ den Vater aller Gnaden und Barmhertzigkeit/ ersucht/ sondern auch in unserm Wunsch und Vater Unser und hernach in einem

sonderlichen Gebet anruffen wollen/und weil durch Christum Luc. 11, 3. Gott uns zusagen lassen/ vielmehr wird der Himlische Vater euch den heiligen Geist geben/ so ihr ihn darumb bittet/so wollen wir auch nicht daran zweiffeln. Es wurden Prediger zu diesen Ceremonien verschrieben/wie aus der Bibel und Kirchen Histori wir beweisen. Wir haben auch ein grosser menge vornehmer Theologen, Superintendenten, Pröbste und andere Diener des Worts beydes in dem Comitat gesehen/und seynd deren noch viel gegenwertig blieben. An der MUSIC hat es nicht mangeln müssen/und haben die Drommeten und Kesselpaucken nicht allein die Strassen und gantze Stadt/sondern auch die Kirche erfüllet. Der Herr Hoff Capelmeister neben seinen H. Cameraden den H. Hoff- und andern Musicanten haben der Leviten Stelle vertreten wollen/und auff etlichen Choren anlaß/GOtt zu loben/ zu dancken und zu der Freude/ damit sonderlich dergleichen Einweihungen glückselig gemacht/Anlaß geben wollen. Es haben Ihre Durchl. J. Durchl. Herr Bruder Hertzog August Friedrich/ J. Fürstl. Gn. der Hertzog von Schleßwig/ Holstein Nordburgischer Lini/ Ihr. Excellentz Herr Graff von Rantzow/ von den vornembsten von Adel/ Herren Amptleute/ General Majeurs, Obersten/ geheime Cammer und Hoff Räthe/ wie auch die Herren Landsassen/ von so viel Städten und Ländern Abgeordnete/ einheimische und außländische mit ihrer gegenwart ihre Frewde bezeuget/und der liebe GOTT mit so schönen angenehmen Wetter/ nach dem vor und hernach es so gestürmet/und übel Wetter gewesen/ gleichsam Glück und ein gut Omen zu der newen Christian Albrechts Universitet geben. Weil das was bey Eusebio lib. 9. c. 10. stehet/ etliche auff die Dedicationes ziehen/ daß viele Orationes von vornehmen gelehrten Leuten seyn gehalten worden/ so wird nach gehaltener Predigt und Morgen im Auditorio diese Convenientz auch Werckstellig gemacht werden/ neben dem das die Privilegia Cæsarea & Ducalia werden außgeantwortet/ und die Sceptra, Sigilla und andere Ornamenta der Kielischen Universitet werden geben werden. Es sey also diese newe Universitet im Namen Gottes des Vaters/ des Sohns und des heiligen Geistes dediciret und eingeweihet. Und ich wil bey dieser Einweihung das andere Stücke/darauff man am heutigen Tage sonderlich gedencken pfleget/als ein Thema vor mich nehmen/und was man von Universiteten halten soll/ kürtzlich außführen/ Und bitte/ der liebe GOtt wolle uns mit seinem guten Geist regieren/ etwas nützliches vorzubringen und anzuhören/ umb Jesu Christi willen. Amen.

Außführung.

WAs nun anlanget unsern vorgenommenen Punct/was man von Universiteten halten solle/ so antwortet der weise Mann in unserm abgelesenen Texte darauff/und spricht: **Weñ der Weisen viel seynd/das ist der Welt Heyl/**&c. Wir nehmen daraus/ daß man die Universiteten achten sol als *Domus Sapientiæ*, Häuser der Weisheit/ darinnen weise und kluge Leute von weisen Lehrern erzogen werden. Es ist die Weisheit eine grosse Gabe Gottes Jac. 1,17/welche wenn sie auff der Seelen und ewiges Gut ihr absehen hat/eine Göttliche 1. C. 2,7. und Himlische Weisheit Jac. 3, 13. genennet wird. Wenn aber dadurch das gemeine Beste befodert wird/ ist sie auch allem Irrdischen vorzuziehen/ wie denn der allerweisester unter sündlichen Menschen/sie allen irrdischen Gütern vorzog/und dahero von Gott 1. Reg. 3,10. darumb gelobet wurde. Im Hausstande ist sie ein anfang und bewahrerin der zeitlichen Nahrung und das alles wol fortgehet. Der Mensch strebet von Natur darnach nach Aristotele l. 1.

Met.

Met.c.1., und kan die gesunde Vernunfft auch nichts höhers erdencken oder höher kommen/ als daß sie der Weisheit möge theilhafftig werden/ wie denn jetzt genandter weiser Heide/solche/daß sie das gröste Gut (summum bonum) sey/l. 10. Eth. & Metaphys. erweiset/und/das man dadurch am meisten Gott ähnliche/meynet/wie auch Platonis meynung ist in Theæteto p. 176. φιλοσοφιάν ὁμοίωσιν τῷ θεῷ εἶναι. Es kommet daher / daß die Menschen von Natur nichts liebers hören/als daß sie mit diesem Titul mögen belegt werden/ wiewol oft ihrer viel gar ungegründet es ihnen beymessen/wie bey jenem Critico gedacht wird / daß wenn man auff dem Theatro der Zimmerleute würde gedencken/daß sie auffstehen solten/ sich nur etliche und zwar gewisse wenige Leute / die solches Handwercks wären/durch ihr auffstehen/es sich würden annehmen/und wenn man Schuster/Schneider/Mahler/ Schmiede/ꝛc. würde ruffen/würden auch nur dieselbe/ so solche Profession belieben/ sich stellen / aber wenn man der Klugen und Weisen würde gedencken/so würde man erfahren/daß alle auffstehen würden/und also solches Tituls theilhafftig/ sich würden vorstellen. Aber es betriegen ihrer sich viel/und werden oft in ihrer Weisheit Narren/ wie Paulus Rom. 1,12. berichtet. Die blosse Natur/wenn ihr nicht geholffen wird/wird gar langsam darzu gelangen. Es gehören Leute darzu/die einen darzu veranlassen/ informiren und führen müssen. Und weil nun auff Universiteten in allen Faculteten diese Weisheit profitiret wird / so kan eine Academi mit fug (Domus Sapientiæ) ein Haus darinne Weisheit gelehret wird genennet werden. Dahero auch die Völcker/die auff Universiteten viel gehalten/unter dem Namen der Weisen (à præstantisſimis sumpta denominatione) seynd gerühmet worden/ weil viel/ wo nicht / die meisten unter ihnen zur Weisheit sich haben bringen lassen. Orient ist deßwegen hoch gehalten worden. Und wie bey ihnen man die ältesten Vestigia der Universiteten, also auch die benennung weiser Leute findet. Dahero wenn der heilige Geist den Hiob wil rühmen/ so wird er wegen seiner Weisheit / wie Lutherus in der RandGlossa es wol erkläret / mit den Orientalischen verglichen גָּדוֹל מִכָּל־בְּנֵי קֶדֶם Und stehet nicht ohne Ursache 1.Reg.4.8.

Pag. 10. l. 20. zueignet) geb. auch die Geom. l. 30. hinden nach l. 38. Wissenschafft.

Pag 11. & alibi Wenn in Latein Ægypt. stehen sol/so pfleget man in Deutschen Egypt. zu schreiben

P. 12. l. 17. Pausan. in Att. l. 19. *quasi ab Academo* davon drunten p. 46. der Spruch aus Pausania *l. 30.* Theates Er. p. 16. *l. 28.* σρω. p. 314. *l. 30.* dicta, quæ docent justitiam cum pia scientia l. 36. dele *tes* in phon.

l. 32. seyn 27. Laert. l. 1. 42. Jac. Martini in Vernunfftspiegel.

p. 13. l. 35. quæpiam p. 16. l. 3. ducuntur l. 19. wachsen l pen. *quia*

p. 17. l. 5. offt habe l. 12. würde die l. 19. Gamaliele l. 26. circten, die

P. 18. l. 19. wurden l. 27. περ' ᾶ l. 42. in gravissimis

p. 19. l. 37. brachte *Taciti* dictum/ *l. 1. annal.* nonnulli huc referunt: Non ad unum omnia referenda. Plures facilius munia Reip. sociatis laboribus exequuntur. Melius quadrat illud quod *Cöminæus habet l. 8. c. 12. p. 579.* Si unus aliquis tam eminenti fuerit, ut ab aliis timeatur, is erit Princeps & Rex ipso rerum effectu. Legitimo autem malè parebitur, ut isti Moderatores ipsius (Caroli IIX.) faciebant, omnes maximè suis rebus consulentes, pessimè autem Regis, qui bonam inde autoritatis partem amisit.

p. 20. l. 19. Manibus non effic. l. 41. ausgelacht von H. *p. 21. l. 2.* sophic.

p. 22. l. 8. daß er solches l. 9. könne außhalten. Was *p. 23. l. 22.* ist/ redet/

p. 24. lin. pen. sustulit Cunradi Rittershusi Lob der Universiteten/ darinnen auch solcher Nutz begriffen wird/ wil ich noch hieher setzen. Academia nihil aliud est quam arx sapientiæ, templum veritatis, scientiarum thesaurus, omnium liberalium artium mercatus, modestiæ & humanitatis palæstra, civilium instrumentorum armamentarium, amicitiæ & virtutum humanarum officina, mirabilium animi voluptatum paradisus, atque fons universæ in hisce terris vitæ beatæ, denique verò etiam aurora quædam communis omnium salutis prænuncia.

l. ult. pro wir sol er stehen.

p. 25. l. 5. Wem mehr Sprüche von der Seelen Cur beliebet beyzufügen/ der lese *Abrenethy in cura animæ p. 5.* da *Isocratis de pace* auch steht Ægrotis animis nullum remedium præter ipsum morbum. *Cic. l. 1. c. 7.* de fin. schreibt/ daß die Lüste der Seelen Kranckheit und zwar schädlicher nach Tusc. 3. seyn/ und auch nicht weniger nach Sen. l 2. de Ira c. 9. zu fliehen. Was zu der Sache sonst gehörig ist aus Origen. in Mat. 14. Chrys. Hier. & Aug. anzumercken. l. 13. bringen. l. 16. wird *Cleanthes apud Stobæum ser. 4. p. 57.* (κλεάνθης ἔφη τοὺς ἀπαιδεύτους μόνῃ τῇ μορφῇ τῶν θηρίων διαφέρειν l. 43.. vor *Socr.* stehet *Aristoteles ap. Diog. Laert. in vita ejus* l. 5. p. 193. *Rogatus* quo differrent, *respondit*, quo viventes à mortuis. p. 26. l. 10. Sonne (wie Arist. auch also redet beym Laert.) l. 40. tügliche.

P. 27. l. 26. *Oratores* bey Plutarcho in Demosthene.

Pag. 28. lin. 10. 80. Jahren (Jason ad l. *quidam cum filium in fine ff. de V. O.* wil 40. Jahr zum Studio Juris haben.) *lin. 13.* Zungen *lin. 13.* Guatz. Riccob.

P. 28. l. 23. bey Sigonio l. 6. de Imper. Occ. Cuspinian. in Juliano Chytr.

l. ult- acquirunt Es ist dahero eine schöne Vermahnung des Käysers bey Niceph. l. 12. c. 23. an seine Söhne: Si tales vos præbituri estis, ut mores vitamque vestram ad disci-

disciplinam & leges componatis, propensus & ipse ero in tradendo ad manus vestras imperio. Sin minus satius vos sic privatos vitam exigere, quam doctrina nulla imbutos, cum periculo imperare *vid. Lips. in Lovan.*

p. 29. l. 27. mangelt, Ein wenig auff eine andere Art applicirec dieses der berühmte Ictus *Cothman. resp. 44. n. 15.* Juvenes se omnia scire persuasi sunt, & ad veram & solidam eruditionem pervenirent, nisi jam eò se pervenisse putarent. Videmus id in novellis Doctoribus, qui primis annis, *Doctoris* titulo superbiunt, & se esse id opinantur, quod esse dicuntur, sed aliquantò post *Licentiati* stationem vix tuentur; tandemque quando gravia negotia tractanda sunt, ad puri putique Baccalaurei locum honestè retinendum, omnem suam sapientiam non sufficere intelligunt.

l. 28. verordnet in Weltlichen *arg. const. omnem de jure docendi rat.* und in geistlichen sieben Jahr *arg. c. cum ex eo de Election. & electi pet. in Sexto.* Menedemus apud *Duarenum de ratione doc. jur.* sagt von denen die sich nach Athen begaben/daß sie erstlich meyneten/sie weren Weise/hernach Philosophi, das ist/Liebhaber der Weißheit/und alsdenn *Rhetores*, endlich aber wurden sie *idioten*. p. 31. l. 7. können / von sich zu geben.

p. 32. l. 24. Ciceronis Worte heissen: Cogitare debes, nullam artem literis sine interprete & sine aliqua exercitatione percipi posse. Einen schönen Ort hat *Socrates* bey *Xenophont. l. 4. ex Euthydemo p. 171.* allegiret, dessen Anfang ich hier setze: Fatuum est arbitrari, non posse quemquam ne in minutissimis etiam artibus præstare, nisi idoneum magistrum nactus sit: at verò ut Rempublicam quis gerat, quæ res omnium maxima est, fortuitò obvenire hominibus. Wie Socrates den Euthydemum außlachte/ der/ daß er von keinen Menschen seine Weißheit erlernet/vorgeben/und wie der närrisch wäre/ der einem Quacksalber sein Leben wolte vertrauen und Hoffnung von einem Lautenisten ihme machte/der öffentlich sagte/er hatte von keinem seine Kunst erlernet/ist l. c. zu sehen. Aug. Spruch de utilit. cred. c. 7. (p. 1. cont. P. K. p. 158.) gehöret auch vielleicht hieher und Hier. præf. in Chron. (p. 123.)

p. 34. l. 1. lehren solten/wenn aber l. 17. Christo. l. 37. Bürun.

P. 35. l. 29. Dienen. l. 30. on gebracht wird.

p. 36. l. 29. M. 23, 8. p. 37. l. 10. Isauro l. 11. res andere in Doct.

p. 38. l. 10. nicht leicht zulaß l. pen. emblemate (weil das Auditorium zum Kiel nunmehr ist von solchen die studiret haben angestellet / und der Zuhörer mir auch wird verzeihen/daß ich was der studirenden Jugend angehet/mit dem das in Schulen ihre Lust gewesen/und also noch ihnen pflegt gefällig zu seyn/vorbringe.)

lin. 29. Taubman: *Doctor* palmare est, sed de palmandus uterq;

Qui *Doctorem* auro vendit emitq; suum
Doctrina & virtus pretium est, quo *Doctor* ematur
Si res argenti est, morio *Doctor* erit.

p. 39. l. 14. μέ]οικον lin. 31. ἐντεῦθεν lin. 27. *Conv.* l. 28. de am. & pulchro (davon einen guten Anfang Leo Hebræus von Joh. Carolo in Latein bracht/und den Granvellæ Anno 1564. zugeschrieben/einen ziemlichen Anfang gemacht in tribus Dialogis de amore.) lin. 31. bewust/und Plato solche selbst *l. 8.* de LL. GOtt und Menschen verhasset einführet *lin. 38.* Anfang nach *Platone in Timeo & in Epist. 8. l. ult.* μέ]εστιν. P. 40. lin. 1.]ε̃ο.

P. 41. l. 35. pro er sol stehen es. P. 42. l. 34. pro *tant. tantum.*

P. 45. l. 25. hominemq; P. 47. l. 6. μαίνειν.

E N D E.


IOHAN ADOLPHUS KIELMAN à Kielmanseck Dominus in Satrupholm et Oldorff Capituli Hamb. Præpositus Sereniss. Ducis Slesv. et Holsat. secretioribus Consilijs Regim. et Cameræ Præses in Trittow Reinbeck et Meorkirch Præfectus nec non aulæ Cancellar.
Nestoris hæc Cimbri Cyneæq potentis imago.
Qui sibi par soli solaq imago sui.
Maximus hic major spectetur ut omnibus Heros.
Consilijs condit nunc Helicona suis.
Mons petit astra. petit cum Principe Præses, et iste
Patronus Musis dicitur, ille pater.
D. G. Morhofius
Hans Straus

(Lit.B.)

ORATIO
Duplex
Legati & Commiſſarii
Sacræ Cæſareæ Majeſtatis
GENEROSISS. atq; EXCELLENTISS. DOMINI,

D. JOHANNIS-ADOLPHI

KIELMANNI, à Kielmans-Ecke,
HÆREDITARII. DOMINI. IN. SATROPHOLM. ET. OBDORFF. CANONICI. QUOD. EST. HAMBURGI. COLLEGII. PRÆPOSITI. PRÆFECTI. IN. REINBECK. TRITTOU. ET. MOORKIRCHEN. SERENISSIMORUM. HOLSATIÆ DUCUM. DIVI FRIDERICI. ET. HODIE. FELICITER. REGENTIS. PRINCIPIS. CHRISTIANI. ALBERTI. CANCELLARII. CAMERALIUM. RATIONUM. AC SANCTIORUM. CONSILIORUM. PRÆSIDIS.
Ad principium Actus Inauguralis, & in ipſo Actu habita, atque magno omnium plauſu excepta.
KILONIÆ
ANNO DC. LXV. d. V. Octob.

QUOD DEUS TER OPT: MAX:

Felix, faustumq; esse jubeat

SERENISSIME CIMBRORUM DUX,

REVERENDISSIMI CELSISSIMI

PRINCIPES,

DOMINI CLEMENTISSIMI,

ILLUSTRISSIME COMES,

Illuſtres & Generoſi

tum Regii, tum Ducalis Conſilii,

Dn. Subvicarie, Senatores

Nec non in hisce Ducatibus Conſiliarii, & Præfecti provinciales, omni honoris & amoris cultu proſequendi,

Vosque Cæteri

Tum Equeſtris, tum Academici, nec non civici ordinis

Viri Strenui, Generoſi,

Itemq; reverenda dignitate & omni Eruditionis genere

Nobilisſimi & Præſtantisſimi

Patroni, Fautores & Amici pl. honorandi. &c.

ILluxiſſe tandem auſpicatum, nec non mille dudum votis deſideratum ſpecioſum illum diem, qvo ad majorem felicitatis patriæ cumulum, complicato ignorantiæ & tenebrarum ſipario, promovendis impoſterum literarum ſtudiis, non tam amplius de publico qvodam Lyceo feliciter aperiendo, conſilium capiendum, qvam diſpiciendum potius, qva ratione bene conſtitutum, & à Sacra Cæſarea Majeſtate multivariis iisdemque pulcherrimis privilegiis cumulatisſimè donatum, nec non à Principe noſtro Sereniſſimo, amplisſimis proventibus munificentisſimè dotatum, præſtituto hoc tem-

tempore, ſolenni pompa riteque conſecretur; id mehercle eſt, cur orbis Slesvico-Holſaticus ex animo ſibi gratuletur, inque ſinu gaudeat.

Quandoquidem verò juſſu & authoritate ejus, cujus inter Miniſtros & cultores cenſu quidem ac gradu nonnullis impari, at devotisſimo animi & obſequentiſſimo adfectus cultu, vix cuiquam ſecundo, mihi Holſato, more ſi non Rhetorum, at Holſatico, hoc eſt, oratione magis Germana quàm comta, apud Sereniſſimum Cimbriæ Principem, Holſatorum ocellum, certe decus & columen Patriæ noſtræ, nec non ſuæ Serenitatis tum Fratrem germanum, tum Agnatum charisſimum, DOMINOS Noſtros Clementiſſimos, Vosque omnium Ordinum honoratiſſimos Cives, Viros non minus Illuſtriſſimos, Illuſtres & Generoſos, quàm ex antiqua ubique gentium decantata Holſatorum fide candidos & ſinceros, nec non in corona hominum ex omnibus Germaniæ partibus ſelectiſſimorum, in omni Encyclopædiæ genere verſatiſſimorum, tum docentium, tum diſcentium, ad majorem hujus publici actus ſolennitatem, quædam impræſentiarum ex conſuetudine verba faciendi necesſitas impoſita eſt; Veſtrarum, ut reor enixeque à vobis contendo, partium erit, hocce meum ſtudium & ſuperioribus obſecundandi & egregio inſerviendi publico, pro ea, quæ in vobis eſt humanitate, facilis audientiæ benevolentia comprobetis, & ſublevetis. Proſilienti igitur mihi à carceribus in ipſum circum, arcemque hujus negotii primo quaſi pedatu invadenti perſuaſisſimum eſt, neminem veſtrum facile inficias iturum, quin Sol, illa patuli mundi publica fax, regimenque dierum, totius terrarum orbis & oculus rectè dicatur, & revera etiam exiſtat. Absque hoc enim foret, ut nec quadripartitæ tempeſtatum vicisſitudines, nec recurrentes anni ætates benè diſtinguerentur, nec etiam fructus mortalium uſibus & necesſitatibus inſervientes, gyrato licet circa axes ſuos cœlo, accommodo natura tempore proferret. Quemadmodum verò Sol omnia fœcundat, omnia videt, fovet, & ut multa paucis comprehendam, calore ſuo nativo, & admirabili influxu omnia recreat, ita extra omnem dubietatis aleam ponendum, Sapientiam, non quæ ſcientiæ tantum aliisqve mentis habitibus contra-diſtinguitur, ſed notitiam habet, tam divinarum, qvàm humanarum rerum, ad inſtar Solis, qvidqvid cyclicus orbis habet, foventis & ſuſtentantis, omnium

actionum & consiliorum reginam, rerumque omnium, sive complexu cœli, sive ambitu terræ contineantur, perspicacem speculatricem esse, suoqve merito generis humani oculum solemque appellari. Nam ut omnia sunt obscura & indiscreta, sole super terram auratos suos radios haut emittente; ita in sublunari hoc orbe inter nos Adamigenos hac præsertim præceptrice destitutos omnia inordinata & confusa forent. Hæc qvippe est, qua, intellectu nostro, tristi primorum parentum lapsu, mirum quantum deturpato, & in rebus cum merè naturalibus, tum per revelationem singularem patefactis, instar vespertilionis cœcutiente, à Deo ter Opt. Max. nihil pretiosius, nihil florentius, nihil mellitius, imò divinius generi humano datum est. Ex hujus disciplina tanquam ex equo Trojano prodeunt, qvi magno cum fructu operantur sacris, qui aurea qvadam catena cœlestibus terrestria, atque hæc istis copulant, qui ex perenni Sacræ Scripturæ latice aqvam æternæ vitæ scaturientem feliciter hauriunt, omnibus & singulis propinant, hisque rivulis sub persecutionum ac calamitatum mole, æstuantem Ecclesiam irrigant refocillantque, hincque sacræ Trojæ murus armaque dicantur. Huic etiam acceptum feramus necesse est, quidqvid, Justitia moderatrice, tuendæ hominum societati inter se proficuum, depellendis verò averruncandis & eliminandis deperditorum & propudiosorum hominum, fanda nefanda patrantium, decipulis, fraudibus, injuriis, conveniens unqvam excogitatum est. Hac etenim è medio sublata, neqve domus ulla, neqve civitas, neqve ullum imperium, imò nec ipsa rerum universitas vel firmiter stare, vel etiam punctum temporis tutò aut tranquillè conservari posset: ut non immeritò propter individuum harum nexum de hac omnium præstantissima, juxtaqve Philosophum hespero magis & lucifero admirabili virtute pronunties, qvod de amicitia Cicero, Solem ex mundo tollere, qvi tollat justitiam: cujus tanta est authoritas, ut legibus magis quàm armis à violentia & injuriis defendamur: ipsaque hæc sine justitia nemo piè capessere aut tractare possit. Nec ex hoc sapientiæ sacrario excludendi sunt, sive castrenses, sive archiatri sint, seu in civitatibus vel rure degant, qui tuendæ hominum sanitati, qvi conservandæ & recuperandæ eidem fidelem impendunt operam: quibus cum tempore maximè necessario, vel Reipub. pestilentia laboranti suppetias tulissent, aut medicinam privatim feliciter fecissent, magni nominis Imperatores, summa honorum & bonorum

præ-

præmia, nec tamen à bonis invidenda, concesserunt. Eadem ratione neutiquam silentio prætereundi, qvi in penitissima sapientiæ adyta viam nobis præmuniunt, qui eloquii Veneres dicendique regulas præscribunt, de verbis & rebus ita nos informantes, ut ex rerum cognitione oratio, verborum copia & elegantia benè expolita benè ornata, redundare & eff orescere queat: neqve illi, qui cœlorum insuper motus, itinera stellarum, erraticos planetarum decursus, nec non solis lunæque labores ingeniosè depingunt, atqve studiosè observant: qui deniqve nimborum, fulminum, tempestatumque causas, corporum cœlestium magnitudines & intercapedines, &, quod hisce potius est, non improbabiliter docent, qvomodo sidera, & in universum omnia corpora cœlestia impetu suo vadant, & præter terram, quæ aëre suspensa, nutibus suis conglobata, paribusque examinata ponderibus, sola stat, cætera continua velocitate decurrant, & quemadmodum luna solem prætereat, tardiorque velociorem post se relinquat, cum tamen illa ab hoc lumen, quo renidet, modo accipiat, modo averso obtutu perdat, qui terra marique abdita ita in apricum producunt, ut nulla ab eis pars, cœlo, mari, terra, prætermissa videatur. Supersedeo in latissimum & patentissimum sapientiæ omnigenæqve eruditionis campum hunc longiùs exspatiari, aut quæsitis adfectatisque verborum blandimentis, rem non famæ studio, sed in se & suo pretio commendabilem incrustando dubiam reddere, cum omnibus & singulis, inprimis qvibus pectus lotum aceto est, obvium sit ad conservandam humanæ societatis compagem, sapientia nos potius, qvam aqva & igne opus habere: id quod etiam per omnes seculorum decursus probè intellexerunt tùm multo rerum usu subacti Viri togati, tum ore truci vultuque minaci homines sagati; qvam plurimi, inqvam, Imperatores, Reges, Principes, aliaqve multarum palmarum decora ingenia: quibus seu bonas artes, seu cætera doctis benignior arrisit Apollo. Verum enimverò ne conquirendis adducendisque exemplis, præsertim autumno jam adulto, vel in Græciam, vel in alia adhuc longius dissita loca, cum temporis forsitan & navis dispendio, nobis transfretandum sit, nunc vitandi hujus periculi & brevitatis causa pedem intra pomœria Germaniæ locorumqve ei adjacentium figemus, per indicem solùm & sine longiori nominum recitatione allegaturi, qvanto cum zelo aperiendis publicis Scholis ac promovendis literarum

ſtudiis invigilaverint tum Imperatores Germani, qvos inter qvam plurimos, nomine Carolos, tum primum tum quartum, præprimis verò ſeculo noſtrum proxime antecedente Carolum quintum, immortale illud faſtigaliſſimæ domus Auſtriacæ decus, nunc felicisſimæ recordationis, cum ſuis ex illa familia in Imperio ſequacibus, præ aliis nunc recenſuiſſe atque laudaſſe omnino fas eſt: tum in boreali hac mundi plaga Reges olim & Duces noſtri Glorioſisſimi; Chriſtianos dico, Fridericos, Johannes & Adolphos, felicisſimo certè Martis & Artis conjugio inclytos, omniqve elogio ſuperiores. Inter omnes enim, qui in patrio ſolò non planè peregrini & hoſpites, vel etiam rerum à decesſoribus noſtris geſtarum admodum rudes & ignari ſunt, conſtare arbitror, jam laudatorum Magnatum auſpiciis, nec non indefatigabili illorum induſtria, accedente imprimis & dirigente divini Numinis gratia, effectum eſſe, ut non tantùm vaſti ignorantiæ torrentes, caliginoſis illis temporibus, ob ignaviam præcipuè & abdomini ferè unicè addictorum monachorum torpedinem, nec non frequentem barbararum gentium aut bellorum civilium illuviem, totam penè Europam inundantes, poſitis obicibus obturarentur, ſeculaqve iſta ejusmodi ſordibus purgarentur; ſed ut etiam efflorefcenti humanioris literaturæ auroræ mox illuſtrius tempus affulgeret, illorum impenſis ſumptibusqve plures per Germaniam majorum gentium Scholæ, præſertim poſt Concilium Conſtantienſe pullularent, quàm in univerſa reliqua Europa forſan per digitos numerabantur Academiæ. Hanc adeò præclarè poſitam operam glorioſior adhuc excepit eventus, ut, cum Majores noſtri, neſcio quo novercali odio à literis non tantùm abhorrerent, ſed earum cultores quoque Theonino dente arroderent; jam Germani noſtri eorumqve accolæ, admiſſa paulatim ſalutari hac, & ad emolliendos animos commodiſſima inſtitutione, Græcis eruditione, humanitate Aſiaticis, religione Hebræis, militari disciplina Romanis aliisqve penè omnibus populis, doctrina & virtute ſemper pares, & non rarò ſint ſuperiores.

Nec ſubſtitit laudatiſſimorum Heroum ardor in Scholis Regiis tantummodo excitandis vel conſtituendis, easqve celebrioribus locis, tanquam literarum mercatus, includendis. Verùm illis etiam ipſis non ſorduit, exquiſitam optimarum artium cognitionem alacriter imbibere, ſicqve felici quaſi conſortio

cum

cum ſumma poteſtate jungere gloriam ſapientiæ, nonnullis Aquilam in Muſarum hortis magna animi cum voluptate paſcentibus, aliis amore addiſcendorum ſtudiorum, indidemque aucupandi encomii, vel Scholaſtici, vel ut illa tum ætas amavit loqui, Scholaſticiſſimi, utriusque tum militiæ communis elogii, ad loca hujusmodi Muſis ſacra, ac ſi cum Jaſone ad Colchos ituri, ac aureum vellus petituri eſſent, ingenti ſumptu, nec minori cum moleſtia, confluentibus. Teſtantur id & vetera, & recentia monumenta: cumq; pleni hisce ſint libri, pleni hiſtoricorum annales, haut difficile esſet, ſi temporis, qva includor, anguſtia, id permitteret, aliquot Centurias Imperatorum, Regum, Ducum, Archipræſulum & Præſulum, ſicque tam palmarum quam infularum Candidatorum Principum, gloriæ eſca illectorum, quaſique Argois equis victuram ad famam properantium, honorum titulos, ſcilicet Doctorum, Licentiatorum, Magiſtrorum, Baccalaureorum, publicè prenſando, per partes & ſuis nominibus recenſere, niſi de hac re alii edecumatæ eruditionis, ſummæque authoritatis Viri, quibus mea etiam major ineſt ingenii vis & dicendi facultas, in inſtanti hoc, ut opinor publico actu, ſplendidiùs & copioſiùs eſſent dicturi. Ideoqve cum non tam orationis copia conqvirenda, quàm Veſtra, Clementiſſimi Principes, cæterique faventiſſimi Auditores, ſatietas mihi ſit refugienda, hiſce diducendis diutiùs non immoraturus, aliis hanc lampadem tradam. Sed quærat quis, quid? cum tot tantaque felicitatis flumina, ex nectareo hoc ſapientiæ mari, in genus humanum, prono quaſi alveo, & fluxu nunquam intermittente, nunquam curſum ſiſtente, ipſa invidia teſte, profluere videantur; quî fiat, quod literarum culturæ, tanquam plebejo cuidam & nugatorio negotio, à multis tantoperè detrahatur, imò liberalibus hisce artibus, eorumque cultoribus, à maxima terræ filiorum parte bellum qvaſi indicatur? Neque enim hi verentur, plenis buccis ad ravim usqve crocitare, lucubrationibus hiſce, utpote è triviis & Circulis anquiſitis, erectiora non tantùm, & quibuscunque luculentis facinoribus aggrediendis apta ingenia deprimi, corpora illorum ſedentaria hac vita debilitari, & ad labores obtorpeſcere, ſed animos quoqve eorundem vana quadam delectatione emollitos adeò effœminari, ut, cum pro tutanda patria, vel etiam dilatandis ejus pomœriis, hujusmodi benenatis civibus omni modo incumbat, corpus ſub pellibus indurandum hoſti objicere, in caſtris verſari, arma tractare, vibrare haſtas, bombardas exonera-

re,

re, gladios ſtringere, &, ut breviter dicam, utriusqve militiæ, tàm terreſtris, quàm maritimæ, munia & partes non noluiſſe obire, illi diſcupiant verborum potius eſſe magiſtri, fabularum interpretes, &, ut uno abſolvam verbo, apicum ſyllabarumque architecti, in pulvere ſcholaſtico laudari. Sed, puto, cogentur hi ipſi obtrectatores, alienæque famæ ſugillatores, invitis licet dentibus, concedere, ſaltem pacatis tranquillisque temporum momentis Remp. in partibus ipſis credendis, hujus, ut illi falſò objectant, deſidioſi generis hominum opella magno ſuo bono perfruiſci poſſe, dum norunt jura civibus præſcribere, dum callent diſſidia ex æquo & bono componere, verba ad populum facere, ex aliis alia colligere, præterita cum præſentibus, atqve hæc cum futuris prudenter connectere, at furente Bellona, ubi maxima merces armorum eſt, habentqve præcipuam certamina laudem, deliteſcere literas, quaſi metu perterritas, & inter tubarum lituorumque clangorem, armorumque ſtrepitus, unica, ut ipſi putant, regnorum præſidia, earum vel nullum, vel perexigui pretii uſum eſſe crepant; fortitudinis enim bellicæ objectum cum ſit periculum, literati verò animum ſabuloſa præceptorum mole depreſſum gerant; & otio umbratico inoleverint, impoſſibile judicant chartularios & ad lucernam pallentes homines rebus arduis ac periculorum plenis perficiundis præſenti animo manuq; prompta ſe accingere poſſe, & quæ hujus furfuris plura eructant. Verum enimverò ſi cuiquam tantum liberalis otii ſupereſſet, ut inconditos hos ac planè caninos allatratus critico velit ungue excutere, obtrectationemque hanc integris metiri ſenſibus, meo judicio ita in proclivi erit, ut imber quando pluit, tenebriones hosce ſive fricti ciceris nucisque venditores ſint, ſive glorioſi Bellonæ pulli, certè quovis erinaceo ſpinoſiores, non aliqua inaurata ſtatua, ſed commiſeratione, non refutatione, ſed effuſo cachinno, imò dignos eſſe, quibus occipitio inciſo cucurbitula admoveatur. Præterquam enim, quod omnes omnium ætatum præſtantiſſimi Viri hujusmodi maledicta, utpote à recta ratione & tot exemplis dudum exſibilata infra iram ſuam habuerunt; neque verò ad horum naſutulorum urnam ullatenus ſpectat, albo an nigro lapillo literarum pretium notandum veniat: quibus iccircò non immeritò in omnium ore natans veriverbium regeritur, artem pejores non habere oſores, qvàm ſui ignorantes; ſiquidem hi dum doctorum ſimilitudinem ſe adſequi poſſe deſperant, illorum ſimultatem adfectare, eosque mordaci

cavil-

cavillo verberare consveverunt: quibus si optimè consultum velis, remittendi sanè sunt hi blaterones, &, si verum licet fari, verberones ad tabulam Cebetis, ut in ea tanquam in speculo, quomodo fraudis poculo inebriati inter errorem & ignorantiam fluctuent, semetipsos noscendos discant: aut, si hocquoque collyrium respuant, navigent Anticyras, ubi malè sanis hisce censoribus

-- *Danda est hellebori multò pars maxima* --

Cæterùm ne extra instituti mei sphæram progressus longiùs aberrem, missos hos facio; neque enim mihi animus est, vel horrendo hoc crimine omnes & singulos, quorum mens Gorgoneis non fuit uncta vadis involvendi, vel omnes promiscuè illiteratos à publicis publicarum rerum administrationibus prorsus arcendi; cum quotidiana testetur experientia, hos non raró tum domi tum foris & Patriæ & superioribus egregiam navasse operam, pluribusque haut leviter doctrina tinctis & rerum usu & opere præstitisse: sed hoc, licet summo digito indicasse tantum propositum mihi fuit, sicuti non omnes illiteratos à tractatione publicarum rerum excludimus, ita nec omnes literas doctos absque discrimine ad quaslibet functiones admittendos esse. Nostris namque castris exire jubemus, qui propterea in bene aucta atque lauta parte se constitutos arbitrantur, quod nova subtilitatum plaustra, nova argutiarum crepitacula ab ipso etiam Crasso, nunqvam alias risisse viso, deridenda in medium proferre allaborant. Huic familiæ nomen dederunt, qui febriculosam pridianæ fœturæ sectantur scientiam, vel arenas metiendo, vel ex iis funiculos texendo, quique infelici horridarum quæstionum lolio, quibus tamen non raró frugiferas rerum segetes in herba suffocant, inclarescere satagunt, certè ad instar aranearum, telas fabricantium esse videntur, qvæ tenuitate fili operisque admirabiles quidem, sed quoad usum frivolæ & inanes sunt: hos, inquam, novatores & nugatores procul abesse, sacrisqve abstinere nostris etiam atqve etiam discupimus. Sed hæc hactenus. Addam etiam uno atqve altero verbulo aliud angve pejus & cane, idcirco omni tempore vitandum genus literas profitentium, à natura verò ita comparatorum, ut si sibi relinqvantur, addiscendis bonis literis tantum abest, ut meliores evadant, ut etiam ima summis, sacra profanis, veris falsa miscere pro prudentia habeant: atqve hoc vitiorum semine tanqvam familiari morbo qvodam inqvinati coopertiqve, nuda ad malum propensione non contenti, sed accedente voluntatis per actionem expletione,

& laxatis cupiditatum fibulis, portenta malorum facili nisu parturiant, moreque ventorum, qva data porta ruant, nec non pestilenti halitu & publico & privo statui lethifero omnes, quas pertingere possunt terras, perflant. Ab hisce certe, qvibus, ut diximus, natura potius noverca qvàm parens est, nec non qvi ita conducunt scientias, ut pignori obligent cerebri seu judicii dexteritatem, vel maximè in Rep. cavendum esse seriò suademus. Ex hisce præmissis satis superque patescere arbitror, nec qvemvis agrum avari voto agricolæ semper respondere, nec ex quovis ligno, licet in speciem affabrè dedolato & exasciato, fieri Mercurium, sed ubi quid consummati sperare velis, necessum esse, ut natura, quæ habiles, doctrina, quæ scientes & faciles, & adsuefactio, quæ promptos reddit homines, omnino concurrant, sibique mutuas invicem præstent operas. Quæ cum ita sint, qvis sat dignis ad sidera evehet laudibus laudabile, & in omne ævum, ut speramus, duraturum Serenissimi Principis nostri, DOMINI CHRISTIANI ALBERTI, magni Parentis, magnorumque Avorum non degeneris progeniei propositum? qui statim, ubi impetuosi maris fluctibus regiminis cimbulam committere debuit, nihil prius nihil antiquius habuit, qvàm ut ceu in cæteris omnibus, ita in excitanda præcipuè & ornanda hac Academia, Divi Parentis, utpote primi Authoris & Fundatoris, at qvanti? certè omnia laudum encomia exsuperantis Principis vestigia premeret, quodqve ille pio conatu inchoaverat, injuria verò temporum ut & morte præventus ad umbilicum perducere non poterat, hic patrissans Filius, atavis editus Regibus & Electoribus, omnibus numeris perfectum elegantissimè absolveret, nec non tot tantisque insuper habitis, quibuscum ob funestam nuperi belli devastationem & desolationem conflictabatur, difficultatibus regiminis sui auguratò suscepti primitias, Deo, Ecclesiæ, ac subditorum saluti consecraret, hacq; ratione juxta symbolum suum palàm testatum faceret, se per aspera ad astra tendere, palmæque similem esse, nullis solitum deprimi oneribus, sed sub qvacunqve mole lætiorem adsurgere, & qvaqva versum patulos diffundere ramos. Si verò is Pater Patriæ audit & salutatur, qvi in eo totus est, ut subditos suos locupletes & omni rerum abundantia affluentes reddat: si in subditorum amore ac deliciis habetur, qvi ærarium, tanqvàm omnis potentiæ civilis compendium, etiam genium defraudando suum splendenti luto impleat: Si Fabii exemplo civium clypeus, vel Marcelli, eorumdem gladius dicatur, qvi provinciam,

am, ſibi à Deo concreditam pro ſubditorum ſecuritate vel neceſſariis caſtellis ac munimentis contra hoſtilem firmet ac tueatur impetum, vel etiam cum oppugnantibus manus conferat, qvidnam, Auditores, putatis mereri laudis & gloriæ, Sereniſſimum Principem noſtrum CHRISTIANUM ALBERTUM? Omnes theſauri, omnes divitiæ, opesqve, omnia armamenta, licet in Cyclopum officina cudantur, nullius pretii, nullius opis ſunt, niſi prudentia & virtute, qvæ à bonis literis bonam partem originem ducunt, regantur, ſtatuminentur & fulciantur; certè terreſtre Numen inter homines dici meretur, cujusqve nomen publicis æternaturæ immortalitatis faſtis inſeratur. Reperti olim ſunt, & forſitan absqve Diogenis lucerna inter etiam Magnates adhuc qvosdam reperire facilè eſſet, qvi ſic tandem benè ſubduxiſſe rationes ſuas putant, ſi ſive feris ſive cicuribus ſemper pernicioſiſſimè mordentibus, quos in aulis ſuis ſæpe non ignoranter alunt, calumniatoribus dico nec non adulatoribus, talenta decem, coquo minas decem, Conſiliario fumum, ſcorto talentum, Philoſopho triobulum adſignaverint. Aliis moratioribus ſat fuit, calculum ita poſuiſſe, vitamque transegiſſe; ſi benè merentibus, dum viverent, proſpexiſſent: at hic noſter Princeps voti ſui ſummam non conſequitur, niſi benè merendi ardorem etiam in ætates, imò in ſecula protendat. Chinenſis populus eo arrogantiæ deveniſſe ſcribitur, ut in comparatione omnium populorum gentiumque ſibi duos oculos affinxerit, Europæis unum conceſſerit, cæteros verò ad unum omnes planè cœcutire arbitretur, non quod uber omnis fertilitatis ſe ſolum poſſidere putet; omnis enim illic regio & hominum frequentia, & rerum abundantia, præcipuis regnorum viribus, lætatur: ſed qvod natio iſta cæteris omnibus hominibus & ingenii acumine & myſtica literarum ſubtilitate ſuam gentem multùm anteſtare ſibi abblandiatur. Hanc prærogativæ ſeu affectatæ proëdriæ jactantiam licet caſſa vix nuce mihi emptitem, illam tamen ab illis excogitatam ſimilitudinem ſi præſenti negotio applicemus, ad cumulum beneficiorum à Principe noſtro Clementiſſimo nobis præſtitorum, accedere poſſe nullus dubito. Quemadmodum enim intuitu communis noſtræ Patriæ, Germaniam dico, ejus ſuperior pars, ob celebritatem multarum Academiarum duobus fulgere, inferior verò propter earundem paucitatem uno tantum gaudere oculo dici poteſt; ita in confeſſo eſt, Holſatiam hac face deſtitutam multa caligine aliqvandiu obductam in literaria Republ. neqve votum neqve ſeſſionem

habuisse, idcircò ejus cives ex hac emersuros coactos fuisse, ignem lumenqve suum de alieno igne ac lumine accendere: qvem dum cupidiùs sæpè qvam cautiùs instar Promethei consectati sunt, in patriam reduces Pandoræ Pyxidem non rarò secum attulerunt, ex qva omnis generis morbi maliqve mores provolantes patriam infecerunt. Ex qvo conjectu facile est, mancipi nexu Serenissimo Principi in lucem sapientiæ nos protrahenti ocelloqve gloriæ nunqvam caligantis donare desideranti nos esse obstrictos. Certè si totus mens, si totus lingua essem, hisce omnibus exactè æstimandis atqve deprædicandis non sufficerem: cumqve ipsa temporis angustia excludat, præstetq; tacere, qvàm pauca de his meritis dicere, hujus muneris dignè obeundi necessitas in aliud & qvidem commodius tempus rejicienda erit. Nos interim intimis animi suspiriis Deum Ter Opt. Max. veneramur & obtestamur, ut adeò munificum, adeô benignum, omnibus, cujuscunqve sint subselli, sive intra qvatuor decimos sive infrà numeres subditis suis bene cupientem Patrem Patriæ, Principem ac Dominum nostrum Clementissimum diu mortalium cætui interesse, totqve annorum qvod subditorum fieri velit. Largiatur ille cœli terræqve arbiter, ut Sua Serenissima Celsitudo, qvam in individuo non potest, in specie tamen & Posteris ad ultimum effœti mundi terminum, immortalitatem conservet. Sit interim donec & alia votis accesserit, Suæ Serenitati loco sponsæ hæc illa ipsa à nobis nunquam satis laudanda sapientia nostra, quæ in domum sponsi prò dote adferat aureum perpetuæ felicitatis & gloriæ splendorem. Faxit Deus ut sub bonis optimi nostri Principis auspiciis, obliterata omni exantlatarum calamitatum memoria, nec non decacuminatis omnibus adversitatibus mellitissima nostra Patria, belli motibus ad internecionèm usque sat sæpè sat diu conquassata, sicut incepit vernare, ita tota imposterum floreat, perenniqúe beatitudinis autumno gaudeat atque lætetur.

Nunc meus jam sudat equus ad metas, quapropter ulteriori sive proloquio sive multiloquio hic finem hic terminum statuo.

(Lit.

(Lit. C.)

Serenisſimi, Celſiſſimique Principes, Domini Clementiſsimi.

Honoratiſſimi omnium Ordinum Auditores.

SUpereſt, ut operi, cujus gratia huc nos præcipuè attulimus, me accingam, munereque à Sereniſſimo, Potentiſſimo ac Invictiſſimo Principe ac Domino, Domino LEOPOLDO, Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Domino noſtro Clementiſſimo, ex ſpeciali Imperiali gratia mihi injuncto, perque manus Sereniſſimi Noſtri Principis mihi tradito, pro meo modulo, ea qua par eſt dexteritate & obſervantia defungar. Quod igitur clam nemine eſſe puto, quomodo altè memorati, Imperii Romano-Germanici clavum nunc feliciter tenentis Imperatoris noſtri nunquam non devenerandus Divus Parens, FERDINANDUS ejus nominis Tertius, Romanorum olim Imperator feliciſſimæ memoriæ, ad humillimas preces Sereniſſimi FRIDERICI, optimi, dum vivebat, Principis, de Patria ac Domo ſua, ſi quis aliàs benè meriti, obque egregias & rarisſimas tùm animi tùm corporis dotes, ſuper omnem laudem, ſuper omnem invidiam poſiti, Domini olim Noſtri Clementiſſimi, jam glorioſæ recordationis, Suæ Serenitati in quodam ſuorum Ducatuum, præſertim Imperii ſceptra obſervante Hoſſatico, poteſtatem erigendi Academiam conceſſerit, eandemque Cæſareis privilegiis munitam inſigniverit, id nunc pluribus non perſeqvar.

Ut tamen ipſe tenor prælaudatorum Cæſareorum privilegiorum omnibus & ſingulis ſolenni facta promulgatione innoteſcat, eadem juſſu altememoratæ Sacræ Cæſ. Majeſtatis, & conſenſu Suæ Serenisſimæ Celſitudinis in hoc publico actu uno contextu jàm vobis prælegentur. Cum igitur tui muneris ſit, Cl. Dn. Dn. Jügerthe, Serenisſimi Principis noſtri Secretarie intime, huic rei operam miniſtrare, ut ex Cæſareo

DD hoc

hoc Diplomate Academiæ noſtræ Privilegia publicè recites, conſcenſaque inferiori hac cathedra clara & perſpicua idipſum voce expedias, rogito.

Intellexiſtis, Auditores faventisſimi, Cæſarei diplomatis ſententiam, privilegia ac beneficia, quæ cum ita ampla & favorabilia ſint, & ſimul dignitatem Comitis Cæſarei Palatii contineant, ut ampliori vix forma in orbe Chriſtiano ulli Imperii ſtatuum ſint communicata ſeu indulta, meritò Sacræ Cæſareæ Majeſtati, pro prolixa hac prolixi Cæſarei adfectus gratia, iterum prolixisſimas ac devotisſimas gratias publicè agimus.

Quemadmodum verò nec navis ſine nauclero, nec curſus ſine temone, nec corpus ſine capite, æquabili in lecto decurrere, vel ad momentum firmiter ſubſiſtere poteſt; ita etiam juxta Cæſarei Diplomatis præſcriptum Serenisſimo Cimbrorum Principi, utpote poſt Deum egregii hujus operis Conſummatori placuit, ut, reſervato ſibi ſuisque ſucceſſoribus Ducibus regnantibus Magnificentisſimi Rectoris titulo ac dignitate, Magnifici ProRectoris munia, vices ac honores in nova hac Albertino-Holſatica Academia nunc primitus, faxit Deus ſub felici ſidere ſuſtineat admodum Reverendus & Amplisſimus Vir Dn. Petrus Muſæus, SS. Theologiæ Doctor, antehàc in Illuſtri Julia & Rintelenſi ordinarius, nunc in hac inclyta Univerſitate Facultatis Theologiæ primarius Profeſſor. Ne igitur gravêre, Vir admodum Reverende Dn. Doctor Muſæe, hunc thronum ſeu hanc cathedram adſcendere, quæqve Serenisſimi Principis noſtri in te ornando mens ſit, ulterius auſcultare.

Quod igitur Deus Ter Opt. Max: iterum bene vertat, juſſu & authoritate tum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, tum Serenisſimæ Suæ Celſitudinis, Ego ad hunc actum conſtitutus Imperialis Legatus & Commiſsarius Te, Dne. Petre Muſæe, Te, inqvam, primum hujus Academiæ Pro-Rectorem Magnificum conſtituo, conſtitutumqve hîc palàm renuntio, atqve proclamo, nec non fidei, integritati, prudentiæ & candori tuo literariæ hujus Reipubl: regimen committo, ac ſedulò commendo, divinum & inenarrabile Numen animitùs invocans, ut hanc novi ProRectoris renuntiationem ad majorem

rem novæ hujus Academiæ inqve ea degentium efflorescentiam firmam ratamqve esse velit. Cum itaqve tanti corporis moles, tua, Vir Magnifice, prudentia, tua industria, vigilantia & alacritate firmanda, constituenda & conservanda sit, utiqve omni ope, omni studio annitendum tibi erit, ut hanc quam de tua præstantia ac virtute omnes concepimus opinionem, laudabili actionum progressu suffulcias augeasqve: &, quemadmodum ille canit,

Viri corona sunt liberi, turres civitatis,
Equi sunt decus campi, navigia maris.

ita hujus efflorescentis Academiæ, te clavum dextrè tenente, corona ac decus sint Viri Juvenes, moribus & doctrina benè exculti, bene perpoliti, qui perpetua quasi fame & siti excolendæ virtutis & doctrinæ teneantur, inque exercitio non fucatæ, sed veræ ac edecumatæ pietatis & eruditionis, itemq; ludorum equestrium, sibi naturalem quasi pastum & cibum, quo conserventur & reficiantur, saturentur ac pingvescant, repositum esse seriò credant. Cedat ergò uti hujus Academiæ fundatio, ita qvoqve hæcce Prorectoratus declaratio in divini Numinis gloriam, Serenissimi Principis nostri æternaturam laudem, & patriæ dulcissimæ omniumque benè natorum juge emolumentum & incrementum, nec non hujus Academiæ & Civitatis magis quotidie magisque adsurgentem felicitatem accommodum. Ut verò, quæ restant, ritè porrò & decenter peragantur, mei prætereà officii esse arbitror, ut juxta laudabilem & religiosam in hujusmodi actibus observatam solennitatem, publica collatæ jurisdictionis ac dignitatis symbola T. Magn. utpote primo & summo Academiæ Magistratui publicè tradenda curem.

Primùm igitur, Magnifice Domine ProRector, te purpurea hac Epomide orno atque circumdo, qua Imperatores ac Pontifices Romani hunc Magistratum Academicum ad majorem illius authoritatem & reverentiam repræsentandam, & ab exiguis honoribus tantò luculentiùs secernendam, ex singulari gratia ornandum duxerunt.

Deinde porrigo hîc Tuæ Magnificentiæ Sceptra argentea, Academicæ Jurisdictionis à summo omnium dignitatum honorumque culmine, S. Cæsarea Majestate, proficiscentis

insignia: quibus monitus Justitiam qua par est sanctitate administres, jura & privilegia hujus Lycei tuearis, injurias omnemqve nocituram labem omni animi contentione avertas, & omninò diligenter provideas, ne quid Resp. hæc Academica capiat detrimenti.

Præterea exhibeo Magnificentiæ Tuæ privilegia á Sacra Cæsarea Majestate huic Academiæ concessa, itemque literas Donationis, nec non statuta & Leges à Serenissimo Principe eidem datas, scriptisque hisce Diplomatibus comprehensas, ut tantorum beneficiorum ac munificentiæ reverentem gratissimamque habeant memoriam Academici Cives, Legumque authoritate sanctè observata, doctrina cœlestis absque ulla corruptela, & invariatione, nec non cæteræ artes & disciplinæ accuratè doceantur, earumque fructus ad seros nepotes transmittantur. Tuæ quoque Magnificentiæ erit, pro ea, qua jam pollet authoritate, prospicienter ac sedulò præcavere, ne studiosa pubes (cum juvenilis hæc ætas multò facilius irretiri possit, qvàm aviculæ, quæ recens è nidulis suis provolarunt) à nigra, ut dixit Pythagoras, cauda, id est, sodalibus improbis & impuris inficiatur, horumque contagio, veluti inter morbidam pecudem eodem prato palantem fieri adsolet, *Uvaq; livorem vicina ducit ab uva,*

Pars sincera lue adfecta corrumpatur. Nocturnæ discursationes vel circumdeambulationes nullatenus permittendæ, utpote mulierculis vesperi nupturientibus ad hoc accommodæ, ut doctis dolis & fœmineis illecebris, haud satis providos in nassam propudiosæ vitæ trahant, ne parentes nimiùm suæ spei tribuentes, pro impigris, otio luxuve marcidos, pro literatis rudes, pro sapientibus deliros ac fatuos, pro elegantibus agrestes & sordidos, tandem pro honorum munerumque candidatis opum depopulatores ineptosque domum recipiant filios.

Cum verò omnis bene constituta societas & Respublica, Prudentiæ moderamine temperanda, siquidem & moraliter & civiliter impossibile sit, ut in arduo virtutis itinere, ubi non æquis semper passibus ad honoris culmen grassatur, nemo unquam cespitet aut exorbitet, ideo Claves tum Consistorii & Archivi, tum custodiæ & carceris Tuæ Magnificen-

tiæ,

tiæ, cujus eſt condere & promere, offero, ut indicto pro re nata concilio, convocatisque uniuscujuslibet Facultatis Decanis aliisque Profeſſoribus, utpote Academiæ Conſiliariis (rerum quippe humanarum auguſtiſſimum eſt, matura ſæpius conſultatione uti) rem Academicam ejusque ſalutem bene ponderatis in ſenaculo conſiliis juves, diſciplinam ſartam tectam conſerves, ſententias, vel ſecundum rectam legum normam, vel Lesbiam æquitatis regulam attemperes, bonos defendas & tuearis, malos verò & degeneres condigna afficias pœna: tum ut iis qvoqve recondantur & recludantur majoris momenti documenta, aliaque ad Academiam pertinentia jura ac monumenta.

Colophonem publico huic actui imponet traditio ſigillorum tam hujus Univerſitatis, ut corporis, qvàm cujuslibet in ea facultatis, uti membrorum, non tantùm eò fine, ut fluxa, quam maxima hominum pars gerit, fides ſigillaritii impreſſione corroboretur, ſed quia annulus ut plurimum amoris & connubialis fidei ſequeſter eſt, ita Magnificentia Tua certò ſtatuat, hanc Academiam ſuæ præcipuè fidei eſſe concreditam, ideoque illam tanquam deſponſatam conjugem maritali adfectu & cura fovere, complecti, & quantum in ſe eſt, omni ope ejus commodum dignitatemque promovere & extollere debere. Atq; hæc de ritibus & inſignibus hujus Academiæ quaſi per ſaturam dixiſſe ſufficiat.

Reliquum eſt, ut ad vos, hujus Academiæ Patres conſcriptos, ad vos Albo Academiæ vel inſcripta vel inſcribenda membra, nec non ad Magiſtratum & reliquos hujus civitatis incolas, conſilio & authoritate Sereniſſimi noſtri Ducis hoſpitio hanc Academiam excipientes, tribus verbis, quæ in bona cauſa ſufficere dicuntur, mea ſe convertat oratio. Præprimis Sereniſſimus meus Princeps divinam in eo exoſculatur providentiam, quod Vos, Viri celeberrimi & clariſſimi maximamque partem in celebrioribus Germaniæ Academiis, publicis cum ſumma laude muneribus defuncti, ad primam Suæ Serenitatis vocationem, multiplici vulgi rumore poſthabito, veſtri ſtatim copiam facere, hucque bonis, ut ſperamus, avibus advolare neutiquam dubitaviſtis. Equidem ut veſtræ virtuti & obſequendi ſtudio hoc apponitur, ita gratiſſi-

mo id agnoſcit animo Sua Serenitas: qvam exinde etiam ſpes pulcherrima tenet, fore, ut quas in nova hac Academia quilibet docendi partes, vel jam nactus eſt, vel poſthac adipiſcetur, eosdem non minus ſtrenuè ſuſtinere, quàm morum honeſtate docendiq; dexteritate magis magisq; exornare omnem operam ſit daturus. Hæc illa expeditiſſima via erit, hoc illud adæquatum indubiè medium, quo Veſter, Honoratisſimi Domini Profeſſores, & honos & authoritas non vulgari indies auctu incrementa capiat, ſed & omnium bonorum de veſtra eruditione & candore conceptæ expectationi abundè ſatisfiat: Quandoquidem verò hujus Academiæ utilitas & fructus omnes diſciplinæ cupidos, præcipuè horum Principatuum indigenas manet, idcircò qvemqvam veſtrûm animi pendere veto, quin omnes & ſinguli, quibus

De meliore luto finxit præcordia Titan,

& inter illos, qvi eqveſtris vel honeſtioris loci ſunt, agmine quaſi facto, pignora chariſſima, filios ſuos, de propriis in veſtras manus, in veſtram diſciplinam, & inſpectionem ſint tradituri & transmiſſuri, ſcilicet bene edocti, unicum & lemniscata corolla dignum fuiſſe præſidium conſervatæ hactenus, nulli nationum ceſſuræ, Slesvico Holſaticæ Nobilitatis, quod literis ſimul & armis, arte & Marte, pilo & ſtylo, toga & ſago, ferro & calamo, verbis denique itemq; herbis, & lapidibus, ex qvorum utroqve Cæſar erat Cæſar, tum à primis unguiculis, tum ut poſtera tulit ætas, & apud ſuos & exteros inclareſcere ſemper graviter & ſtrenuè deſudarunt. Hisce laude & gloria plenis auſibus nullo à vobis conamine convenientius poteſt reſponderi, quam ſi omnes & ſingulos literarum ſvavitate vel leviter affectos alliciatis, ſpe verò allectos non fruſtremini: alieniores verò á Muſis quaſi poppyſmo, ſicut amant periti equites caballos ferociores, mulcendo & palpando adducatis, omnes verò adductos omniſciæ cognitionis nectare ita inebrietis, ut Eccleſiæ & patriæ præſidio, nec tantum laborantibus ſubſidio, ſed & aliis nutantibus exemplo eſſe poſſint; Sapientem quippe noſſe decet, licet una tantum via ad culmen honoris faſtigiumque ſapientiæ ducat, quod tamen non uno ſemper & ubiqve obſervato gradu ad eam eatur.

Nunc vos, Nobiliſſimi & Præſtantiſſimi Studioſi, decora hu-

hujus Academiæ ingenia, Vos, inqvam, ad summa quæque natos adolescentes tangit sermo meus. Non vos præterit, qvo animo quove omine à parentibus vestris, liberalibus initiari sitis studiis: Vos non fugit, qva intentione ad hunc locum, tanquam promptuarium omnium reconditiorum studiorum & virtutis officinam ablegati: non ut Glycerium ametis seu Veneris gratiam ambiatis, non ut intendatis rogum, & provideatis coqui obsonium, ut si non totos, saltem dimidiatos hilariter comburatis dies, opipareq; epulemini, multo minùs ut animum inducatis, non esse flagitium scortari, potare, fores effringere, elidere fenestras, implere urbem inconditis clamoribus, sicq; vosmetipsos flagitiis bene multis reddere insignes; siquidem Sua Serenitas hujusmodi excessibus non tantùm graviter succensebit, sed eosdem ad exemplum usque, ut pœna unius sit metus multorum, ultricibus legibus ac pœnis vindicabit, sed ut patriæ aliquando, qua nihil dulcius, decori & honori, ut Regibus & Ducibus vestris, quibus nihil augustius, consilio & auxilio, vel etiam parentibus & sanguine junctis, aut vobismetipsis & civibus, quibuscum indissolubili charitatis glutinamento natura vos innodavit, solatio & adjumento esse possitis. In hoc diversarum professionum atrio observatu facile erit, quomodo præteritum corrigendum, quomodo præsens regendum, disponendumque futurum. In hoc literarum otio addiscitur, quomodo & satis & bene hujus lucis usura frui queamus. Nam diu vivere, fati opus est; satis & bene, animi. Ut verò honestissima, licet brevis, longissimæ vitæ præstat: sic quoque bene vixisse illum dicimus, non qui omnibus vitæ humanæ stipendiis defunctus est, sed qui annos suos ita transmittit, ne ante mortem periret, sed etiam memoria bene actæ vitæ post mortem superesset. Certè si, ut decet, adfectus vestros sequestrare, nec cerebrosis & commentitiis opinionibus plusculum tribuere velitis, nostra assertio tam clara, quàm in speculo facies erit, propudiosum istud dissolutioris vitæ genus arenoso atque adeò ruinoso niti fundamento, nec ullis rectæ rationis pedamentis ejus in præcipitium pendulas crepidines firmari, sed facili potius motu & aura corruere posse. Virtuti verò insudare, de publica & communi re bene mereri, bonorumque omnium spei abunde satisfacere, id laudi ducitur, o-

peraturque ut pro opera pretium appareat; Virtutis enim gloria merces. Non sic generis tantum vestri nobilitas & ingenuitas, sed vestra etiam studiis evecta propria virtus ad Reip. gubernacula vos admovebit, juxtaque Reges & Principes collocabit, prisco & antiquo more, quo virtutis ut plurimum opus agebant nummi, deinceps multum valere jusso. Summa itaq; ope & alacri studio (nam segnes in Minervæ castris nec palma nec laurea, victoriæ signis, potientur) quod cepistis cum Hercule Xenophonteo iter ingredi, persequi, &, ubi via se findit in ambas relicto voluptatis specioso tramite, virtutis semitam planè regiam, & ad gloriæ arcem ducentem sobrii siccique terere ne pigremini.

At properandum est, ne nimis longo sermone, Auditores clementissimi ac faventissimi, patientiam plus justo vestram demorari videar, perpaucis tantùm vos hujus Civitatis Rectores, amplissimum dico Senatum, omnesque honestioris notæ urbicolas compellabo, nec laudem vobis debitam invidebo. Vobis è primis hujus Academiæ incunabulis non tantùm cordi & curæ fuit, hanc vestræ fidei commissam Civitatem, Musis hospitium, passis ut dicitur ulnis offerre, verum etiam Collegia Facultatum vestro & Universitatis ære maximam partem adaptare & adornare: quod quò magis facitis, eò minùs vos fecisse pœniteat, me Expromissore credatis, hanc eximiam vestram, quam publico bono navastis operam nullo, quamvis aliarum rerum edace, tempore, etiam apud invidiosam posteritatem obfuscatum iri unquam. Sit etiam hoc, quod restat, unicum vobis imposterum cordi & curæ, ut erga novos hujus Academiæ hospites & alumnos, seu præsentes seu futuros, vos faciles præbeatis, illos ea qua decet humanitate suscipiatis, & siquando (cum hæc ætatula facili negotio innato quodam juvenili calore transversum agi possit) inter ipsos reperiantur, qui potius juveniliter lascivire, imò vitulari, & è lira bonæ mentis aberrare, quàm omnibus animi nervis animum adjungere studiis satagunt, non statim adversus eos excandescatis, ita ut quemlibet animi motum vultus & præceps vindictæ cupiditas detegat, multò minùs ob unius aut alterius gesticulatorios, omnium Studiosorum, cui ordini & ipsi olim nomen dedistis, motes vellicetis, vel invidioso scommate perfodiatis, sed potiùs quantum in vobis est, ut in viam redeant, omni ope animique æquitate allaboretis. Nec etiam Magnificus Dominus ProRector, cæterique Domini Professores pravis illorum ausibus & enormibus attentatis ullatenus indormient, sed potiùs cavebunt, ne cives à Studiosis ullo probro afficiantur, ullave injuria aut molestia temere provocentur. Sic mutuo invicem adfectu & benevolentia coalescentibus commoda, ex communi hoc commodo, recensque nata consuetudine indies repullulantia ex æquo cedent, & hilari exporrectâq; fronte vobis ex hoc copiæ cornu nihil non bonorum ac felicitatis eximere licebit. Hoc ego voveo, & omnes bomecum.

Deus qui fons est omnis sapientiæ, omniumq; entium supereminens principium, pro divina & immensa sua benignitate cætera secundet, suaque gratia, nascentem Academiam beatissimo cœli rore irrigatam foveat, fœcundet, prosperet. DIXI.


PETRUS MUSÆUS. S.S. THEOL. DOCTOR, IN ACADEMIA KILONIENSI PROFESSOR PRIMARIUS ET P.T. PRO_RECTOR
En tibi Musæum satis est dixisse, sub ista
Fronte quod in docto discitur orbe latet
Musæ in Musæo spirant Musæus in istis
Vel genitum Musis, vel genuisse puta
f. D. G. Morhofius

(Lit. D.)

ORATIO
MAGNIFICI PRORECTORIS,
Viri admodum Reverendi & Clarissimi
DN. PETRI MUSÆI,
S. Theologiæ Doctoris ac Professoris primarii, hodiè Facultatis suæ quoque Decani.

KILONI,
Anno cIↃ IↃcLXV.

S. ROM. CÆSAREÆ MAJESTATIS

GENEROSISSIME EXCELLENTISSIMEQVE LEGATE ET COMMISSARIE,

AUGUSTE PATRIÆ PATER ACADEMIÆQVE FUNDATOR,

SERENISSIMI, REVERENDISSIMI, CELSISSIMIQVE

PRINCIPES,

DOMINI CLEMENTISSIMI,
ILLUSTRISSIME COMES,
PERILLUSTRES AC GENEROSI
tàm Regii quàm Ducalis consilii
PROCERES & SENATORES,
inque his Ducatibus
CONSILIARII & PRÆFECTI PROVINCIALES,
GENEROSI EQVITES,
Reliquique tam Academici quàm Civici ordinis auditores pro sua quisque dignitate honoratissimi.

Vestramne

VEstramne pietatem loquar, an meam improbem inertiam, quòd cùm ſpectaculo publicæ felicitatis hodiè gaudeatis omnes ac lætemini, ego triſtis attonitusque fari ad Vos, imò ne fari quidem, ſed balbutire incipiam? Audio, partem rupto ſilentio in vota & omina, in laudes gratesque laxare ora. Alios video geſtu nutuve, aut penè tripudio, ſuffragia, plauſus triumphosque agitare: omnes tam Cimbros quàm ex alio quaſi orbe advenas, convenasque ex pluribus ac disjunctiſſimis oris, benè precandi gratulandique officiis inter ſe certare. Nonne ruborem mihi exprimat hæc Veſtra, imò ridentis & ſerenitate ſuâ quaſi applaudentis ipſius Cœli pietas, paria nec facienti, nec fortè facturo? Si tantùm præcurrerent officia veſtra meæ deſidiæ, ſatis præreptæ gratiæ damno eſſem punitus: at cum veſtra certatim calentia vota, ac calidè certantia omina, necdum dormientem excitant; cum adhuc ad tot exempla, tot inter incentiva, quaſi aut langvidus aut iners cunctator, conniveo: prævaricationis meritò damnabor. Cui enim potiùs, quàm mihi, quem hæc feſtivitas ſuo ingenio propiùs admovit? quo niſi flagrantiſſimo ſtudio Zeloque? quando denique magis, quàm nunc æmulandæ gratulantium voces frontesque erant, cùm aliis ſedentibus ſolus ſurrexi in tam ſplendido conſeſſu oraturus? Et quid aliud, quàm hodierni felicitatem diei commentaturus? At cunctantem in limine, verecundantem conſcientiâ virium, hæſitantemque tanta ſubitò inceſſit, invaleſcens cum oratione, conſternatio, ut, antequàm arcem cauſæ invadam, non modò inopem verborum, præſtrictâ mentis acie, ſed excuſsâ dicendi fiduciâ, penè elinguem me fecerit. Et qvantulum abeſt, ut non ſtatim preſſo ore obmuteſcam? Etenim quæ ſingula terrorem poterant incutere, homini præſertim mei ordinis, cui in umbra & otio eſt exacta ætas: eadem mihi hîc ſe objiciunt universa. Jam Sereniſſimorum Principum ſplendor & majeſtas; jam conjecti in me venerabiles aliorum vultꝰ, & melleæ eloquentiæ ora, nec niſi terſis ſermonibus adſvetæ aures; jam beneficii, pro quo gratiæ ſunt agendæ, magnitudo; &, quæ laudanda eſt, proximi à Deo Datoris bonitas, longeque humanum

modum supergressa, ac verè divina virtus; adhæc insolentia loci, argumenti, frequentia ac celebritas auditorum, & sexcenta alia, nonne eloquentissimum quemque, nedum me, quem infantiæ damnavit natura, percellant, & sacro quodam horrore concutiant? Auget trepidantis metum, quòd serò admodùm, ac nudius demùm quartus, fessus longi itineris molestiâ, in hanc urbem sum ingressus; tantò ad dicendum imparatior, quantò brevior, quantumvis ne brevis illa quidem, quæ intercessit, ad meditandum mihi fuit mora; cum pauci illi dies apparandæ festivitatis & aliis in antecessum curis conderentur. Quò minùs exspectanda à me est oratio, quæ peculiari illecebrâ, & propriâ quadam venere ducat animos, ac moretur. Si autem summo quoque, omnibusque reverentiæ signis, quàm fieri poterat, enixissimè colendo Numini, adorantium preces, non tàm exquisitis verborum lenociniis, quàm castæ devotæque mentis simplicitate se approbant: meam quantumvis splendidissimo hoc auditorio indignam, non adeò ingratam fore orationem confido, quin, desperatâ facundiæ gratiâ, gratiam tamen & pietatis inveniat & obsequii; apud Vos cumprimis, *Serenissimi Celsissimique Duces*; qui nihil tantoperè, quàm & simplicem obsequiorum reverentiam, & in gratiis agendis expromtam, in precibus votisque effusam à me pietatem exspectatis. Utrâque si explesse officium boni civis videbor; etiam dum malè, benè me dixisse putabo. Sin minus; conatibus meis gratiam, veniam autem vitiis eò magis promitto, quò & Vestra in bonum civem propensior voluntas, & mea vobis excusatior infantia est. Si deniq;, ut ingenuâ imbecillitatis confessione defungar, nihil in me sit, quo indulgentiam Vestram promerear: Sacris tamen hujus non nefasti, sed inter fastos festosve maxumi diei, argumentoque, de quo dicturus sum, dum dixero, auribus animisque faveatis oro. Erat ea Holsatiæ, ea florentissimæ regionis felicitas, ut quaquà circumferres oculos, non tantùm nihil ad consummatam ejus gloriam deesse, sed nec præter perpetuitatem addi quicquam posse videretur: cum quæ fausto nobis sidere illuxit, hæc ipsa docuit dies, unum tamen defuisse, unum adstrui ejus decoribus potuisse. Si quidnam esset, olim quæsivisses, inter adeò secundantia patriæ fata, vix intelligi poterat, Infelix quidem erat tempestas, cum tota Cimbrica regio bellorum impotentiâ & direptione longè lateque, quasi nunquam eluctatura, certè non ex facili respiratura vastabatur, summis imisque mistis: sed suo robore,

suaque

ſuaque ſe virtute ſuſtentans, nec infenſantibus Superis, feliciter tandem eluctata eſt; poſitoque jam Martis furore, mirum quàm citò, non reſpiraverit ſolùm, ſed etiam in florem redierit. Erat non modò jam in ipſis provinciis ſuperba quies; ſed & cum exteris, quàm bella pax? quàm honeſta? non emta pretio, non exorata, non victis imperata; ſed ſvavitate, ſecuritate, aliisque bonis ſuis cenſa, ſelecta, anteque armorum bellique dubiam aleam habita: quanquam in bellum & arma, quod Deus averruncet, & ô quam citò tranſitura, ſi quis hoſtis inſultaret, aut ſi qua vicinarum gentium inſolentia, livorque laceſſeret. Neque enim hoſtes ſuos timet Cimbrica gens, quaſi viribus diffiſa; ſed fortitudine ſuâ, ut ipſa timeatur, efficit; moderatione, ut pugnatura, niſi oppugnata, non videatur. Quæ, ſuis quantumvis opibus ſat armata defenſaque, regnorum ſive connubio ſive cognatione ſive fœdere junctorum auxiliis, ſicubi indigeret, non deſtitueretur. Ita & pacis dulcedine, & neceſſariæ defenſionis fiduciâ, refocillata Holſatia, cum aliis quoque omnis generis naturæ fortunæque opibus abundaret, ſatis ſibi beata videbatur; ſtabatque jam eo felicitatis gradu, in quem plures Romani imperii provinciæ nequicquam enituntur; enixuras ſe plurimæ deſperant. Imperitabat illi, non vi, non fortè aut caſu, ſed continuâ purpuræ ſceptrique ſucceſſione, datus quaſi ab ipſo Numine, eoque Numini ſimilior, Optimus Princeps. Erant diverſorum inter ſe Ordinum conjunctiſſimæ mentes, & ſuus cuique honor, ſua cuique libertas. Non divitiis, non ſplendore, non magnificentiâ, non fortitudine cuiquam ordini ſecundæ Nobilium illuſtres proſapiæ; nec minus tamen ſua literatis conſtabat dignitas, ſuaque officia. Erat ſuus commerciis vigor, ſua fides: ſolum ipſum & paſcuis fœcundum & frugum ferax, nec agricolarum, niſi planè adverſo cœlo iratòve mari, ſpes unquam deſtituens: puræ religionis ſtudium, Deique contentiſſima veneratio: devota in Principem civium obſequia, hujus in civium ſalutem propenſiſſima voluntas: ac denique omnia ad miraculum magna, ad invidiam maxuma. In tantâ rerum omnium, quæ vel beant rempublicam vel fovent vel ornant, tàm affluentiâ quàm magnitudine, nihil crederes deſiderari potuiſſe; nihil etiam à plerisque deſiderabatur: cum noviſſimè ſaltem elegantioribus deſideratum fuit optimarum artium ac literarum emporium: non quòd Muſæ tam opimâ ſede excluſæ pulſæque penitus negligerentur; affatim enim commonſtrabant inſtitutæ in uſum adoleſcen-

tiæ complures diverſis in locis ſcholæ, quanta cum primis cura aſſerendæ literarum gloriæ impenderetur; ſed quòd auguſtior deeſſet locus, in quo altiora ſtudia, quæ Academica vocamus, excolerentur. Non erat, ubi ſacri Codicis receſſus, ac divini cultûs momenta, pro mortalitatis capacitate, ſcrutari altiùs, ac penitiùs intrare daretur: non, ubi Juriſprudentiæ legumque numeroſa, & ſæpè involuta ſcita, liceret evoluta habere, & explorata; non, ubi juventus cauſas cujusque morbi explicatas, corporis humani partes anatome demonſtratas, medendi experimenta ſecretaq; detecta addiſceret; non denique, ubi in Philoſophiæ latebras & anfractus, abſtruſiorisque ſapientiæ adyta, perruptis difficultatibus, ſe penetraret. Adeò non negligi quidem, ſed tamen negligentiùs, quàm alibi, poſt tot felicitatis momenta, unas literas haberi, non iniqua eſſe querela videbatur. Non calculos jam ſubducam, quanto ſteterit, quæſiviſſe hactenus in alieno ſolo, quod aliis domi conceſſum eſt: hoc enim fortaſſe adſpernarentur, quos benignior fortuna inauravit. Illud autem quàm periculoſæ plenum aleæ, nihilo tamen vel honeſtius vel utilius vel ad famam accommodatius erat, abſterſuros ignorantiam, ingeniique cultum ſibi comparaturos, aliò proficiſci oportuiſſe, unde metuendum erat, ne alieno more ſtudiisque imbuti, non tantum non meliorem, ſed ne ſuum quidem, quem intuliſſent, animum in patriam referrent? Cui & aliis malis; ſive aliquando evenerint Holſatiæ, ſive evenire potuerint; TU, SERENISSIME CIMBRORUM DUX, tam egregiè medicinam feciſti, ut poſthac nihil tale, niſi iis, formidandum ſit, quibus aliena, quam quæ domi naſcuntur, licet non meliora, ſæpè deteriora, magis tamen placent. Invitatæ ſcilicet excitæque variis ex Germaniæ ſedibus & quaſi Parnaſſis Muſæ ſunt, optimæque artes & literæ; non ut peregrinantium more hoſpitarentur, multò vel brevi poſt receſſuræ; ſed ut familiaritatem quaſi cum Cimbris inituræ, manſuræque, civitate donarentur. Quam gratæ, cum appellerent? quam liberaliter exceptæ, hoſpites? Mox cives, gratiores; gratiſſimę, jam domeſticę ac contubernales; in medio & celeberrimo Holſatiæ tractu, quo contubernio lætantur, quaſi ſtellæ in cœlo collocatæ, & quaſi inter ſtellas præcipua ſidera; unde cominus eminusque emicantibus radiis poſſint debeantq; quàm plurimis ſe diſpenſare, ruditatis atq; ignorantiæ tenebras novâ quadam luce colluſtrare, langventesq; ad literarum humanitatem animos, quaſi ſangvine & calore humanitatis, ipſoq; ad humanius

nius

niùs vivendum excitante ſpiritu,animare,vegetare, fovere.Quod cum primùm eſſe in exſpectatione diceretur,plerique non crediderunt eſſe futurum: nunc cùm id factum videant, admirantur: ſeu quòd TU, DOMINE, Martis magis quàm Artis gloriæ, ſagis quàm togis, cruentis ſub dio, quam domi umbraticis certaminibus, & ut multa paucis comprehendam, Heroicis, excelſis, humanaque ope & conſtantiâ majoribus eſſe natus videbare; ſeu quòd ad ingenium votumque Tuum Cimbri pugnis & laboribus ſub frigido Jove, quàm deſidioſis literarum delinimentis, vel naturâ aptiores, vel magis eſſe adſveti putabantur. Ego verò non tam miror, quod factum, quàm an ulla ſatis prædicatio digna ſit, ambigo; & magisne prædicem, quòd TU, floris Cimbrorum Decus, non faſtidiveris inferre his terris Athenas? an quod illatas tam promtè prolixeque Cimbri exceperint? Hi hoc obſequio ſuo reverentiæ ſtudium ac pietatis calorem; TU TUO illo auſpicio bonitatem ac ſapientiam; utrique utroque favorem erga bonas artes & amorem erga literas demonſtrâſtis. Nihil tale non ſupra laudem, ſed illud etiam ſupra admirationem eſt, TIBI cum TUIS Cimbris (vereor, ne improbè dicam) æmulationem quaſi fuiſſe, benè merendi de Muſis, votaque invicem occupandi. Illi amplexari, fovere, oſculari, antequam TU induxiſſes: TU inducere, antequam illi tam liberaliter habituri crederentur. TUAMne illi voluntatem proſpexerunt, ut prævenirent adeò liberali obſequio? an TU illorum obſequendi pietatem, ut ſvavi viciſſim imperio, non velut in eos, qui cogi deberent, utereris? Quanquam nunquam TUIS, ut cogendis, ne dum ut mancipiis imperas; ſed ut Civibus Princeps, ut Pater liberis, ſpontè ad obſequii gloriam accinctis. Gravitate, ut timeare, apud omnes obtines; beneficentiâ & amore, ut ab omnibus redamére. Plusque apud TUOS TUI lenitas imperii, & obvia opportunaque humanitas, quàm apud alios aliorum inconſulta valet ſeveritas. Hinc tanta TUIS invicem & contentio obſequiorum & æmulatio, ut præcipienda priùs faciant, certè facere priùs velint, quàm facienda præcipias; aliique alios certatim prævertentes, nullâ re magis, quàm hac ipsâ devotione, probari cupiant. Magisne ob id extollam laudibus Cimbriam TUAM, DOMINE, an adeò moderati ſucceſſus imperii mirer? Corpus illa TIBI eſt; TU, illi mens & anima; TU, illi Numen; illa, TIBI orbis quaſi & univerſitas. Quicquid illa, illa TUA nunquam ſatis laudanda gens Cimbrica,

fortiter ac præclarè agit; quicquid laudis, famæ, fastigii, vel acquirit factis, vel jam partis honoribus adstruit: ut mens in corpore, ut in universo Deus; sic in illâ TUA providè prospexit dispensavitque Bonitas, cujus per omnes artus se insinuans genius totam imperii molem entheo robore agitat. Itaque cum Musas TUO AUSPICIO his terris seu inferendas, seu illatas, Cimbri intelligerent: tantum abest, ut commodum illis abnuerint hospitium, ut post hoc comiter oblatum præbitumque, etiam domum ipsam & certum larem, amœnissimam Kilonii urbem, Ducalis Holsatiæ metropolin, prolixâ humanitate obtulerint. Adeoque quod TE auctorem appellat, opus, TUÆ quoq;, Holsatorum Magne Dux, imputatur Holsatiæ, tam jure quodam, quàm TUA moderatione, si modò sicut moderationi, ita & juri constat ratio. At quando Holsatia non id ultrà sibi vendicat, nec vendicare potest, quàm pietate, reverentiâ, obsequio; TUUM verò & præsidio & auctoritate & auspicio est: quantum differt, TUUMne an Holsatiæ opus dicatur? Imò quia TUA hæc quoque est; quicquid hujus est, TUUM sit necessum est: neque quicquam magis TUUM, quàm dum hujus esse dixero. Cæterum TIBIne soli ejus beneficii gloriam, an cujus magna & similima es soboles, magno quoque Parenti TUO, & huicne an TIBI magis imputem, gratulerque? Constat enim ibitque in secula, quantum eâ in re non laborârit tantùm, sed etiam desudârit, MAGNI FRIDERICI improba cura; quem Cimbrica gens non minori affectu Principem, quàm Tu Patrem, imò Patrem quoque experta est; nunc autem DIVUM habet immortalitas. Prior ille, & quia nemo ante ipsum, primus, primus (inquam) tam præclarum consilium, non ambitione sed publici boni amore incitatus, animo agitavit; nec cunctanter, sed ut qui jam facturus erat. Ideoque privilegia, quæ requirebantur, & jura ac diplomata Cæsarea, ut impetraret, maturè operam dedit. Nec morâ impetravit, tam suis meritis, quam Divi Cæsaris indulgentiâ. Statim enim, & offerentis potius, quàm vel recusantis vel cunctantis more, magni Principis votis annuit maxumus & invictissimus Imperator FERDINANDVS III. cui eo nomine immortalis gratia à nobis, ab omnibus gloria debetur. Eoque magis, & major, quod non parcè, sed liberalissimè, & quantacunque capere potest Academicus ordo, huic Academiæ dedit privilegia; daturus etiam majora, si majorum fuisset capax; aut si ulla Academia, sive intra sive extra Germaniam, majora sub e-

xemplo suggessisset: majora sanè, quàm vel votis fingi, vel spe præsumi à quoquam potuerunt: ut ausim contendere, nostram Academiam nulli eâ quidem gloriâ cessurã. Nihil jam restare videbatur, quàm ut exequeretur Princeps incœpta: & totus jam in contentione erat, cum impedimenta alia ex aliis, hisq; superatis, si non magis, semper dura & obstantia aliqua conspicabatur. Nulla autem cœptis inimiciora erant, quàm quæ his terris subitò ingruerent bella, non unius, sed plurium hostium impetu, multipliciumque armorum horrore; non fortè erro, si addam, quorundam quoq;, aliàs non hostium, vacillante fide, & languente amicitiâ. Ingemiscunt, qui viderunt, nec cùm sciant, verbis exprimere possunt, in quantam atrocitatem, crescentibus indies odiis, ea bella evaluerint; in quas clades, in quæ funera, rapinas & vastitates, & si quid funestius iis Martis truculentia inferre potest, eruperint. Si, quanta fuisse narrantur, fuerunt (fuisse autem ecquis dubitet?) majoribus damnis, horroribus, furiis nata, nec ullus orbis bella vidit, nec ætas. At DIVUS FRIDERICUS agmina malorum, non tam corporis, quàm animi, & ô quàm præsenti infractoque robore excepit? quàm patienter tulit non fugienda? non vincenda viribus, quàm sapienter consilio & humanitate vicit? Et quod supra omnia est, quàm immotus & inflexibilis, mediosque inter bellorum tumultus, quantâ fiduciâ, id quod de erigendâ Academiâ ceperat, pressit consilium? Obstinatum enim erat, non prius, seu Martis proterviæ, seu seculi, quàm fato cedere; sique negaretur facti, gloriam propositi occupare, usque dum meliore fortunâ factum sequeretur. At nondum conquieverat contumax belli furor, cum suprema fata (illisne belli armorumq; horroribus, an in levamen illorum favore Dei accelerata?) ipsum etiam Magni Principis consilium interceperunt: si interceptum dici potest, quod ille è terris in cœlum intulit, unà cum spe venturi temporis, quo quod jam fieri non posset, olim fieret. Infeliciorne jam Divus Princeps, quòd tam egregia incæpta, cùm vellet, consummare non potuit? an æquiora fata, quòd, cui laudem & consilii & auspicii, adeptorumque tam illustrium privilegiorum famam concessissent, huic negaverint consummandi gloriam, ne nullam TIBI benè merendi obligandique materiam relinquerent? An neque æquiora fata, quòd tardando opus

magis implicuerint? neque Divus Parens infelicior, cùm quod ipse non posset, per TE posteà non fecit infeliciùs, quàm si ipse fecisset? Postquam Ille inter Divos in cœlo, TU in terris inter homines, & immortalitate Ille gaudet, TU adhuc mortalitate es constrictus: nihil jam VOBIS invicem est commercii, nisi quòd ille TIBI Pater fuit, TU illi Filius. Cum autem essetis, quod esse desiistis: Quanta invicem non modò consiliorum societas, sed & necessitudo contubernii? O quibus votis, quantâ curâ & religione Divus Parens, cûm cœlo esset recipiendus, præclaræ destinationis momenta TIBI commendavit? Non secus, ac sacris oraculis celebratus Rex David, cum destinatum Deo templum, morte itidem interceptus, ædificare non posset, in studium & gloriam hujus religionis Salomonem filium substituit. Quàm verò TU, cùm Divi voluntatem percepisses, idem planè voluisti, quod ille? neque enim, ut non idem velles, vel pietas TUA vel causa ipsa sinebat. Et quantâ veritate atque asseveratione, seu ut voluntatem piam piè morientis probares, seu ut reverentiam ipsi haberes obsequii, idem TE velle, idem TE facturum, demonstrasti? ut denique, cum vix DIVO justa fecisses, cum vix imperii rationes intra suas regulas ordinemque recollegisses, de implenda, non dicam fide TUA, quia hoc minus est, sed Divi Parentis voluntate, cujus TIBI sanctum erat nomen, cœpisti cogitare? Potuitne verò ille scire, quid post fata sua esset futurum? an spe & votis præsumpsit, quod esse futurum, certò scire non potuit? Certum VOBIS invicem erat, quid uterque velletis. Non quid ille vellet, TU nesciebas, neque quid TU, ipse. Fiduciam quoq; ille TIBI, ut tanto Filio tantus Parens, ultimi officii, an obsequii? amoris, an honoris? habuit. Esse autem futurum, quod uterque volebatis, quomodo certò VOBIS promitteretis, bellis præsertim tum omnia inundantibus, cùm incerta fatorum, iniqua temporum, ludibria fortunæ, & infesta seculi molimina, quasi sub exemplo conspiceretis? Quosdam morituros, recordor, supra mortalitatem, antequam eam finiant, attolli, ut vaticinantibus similes, abstrusissima præsagiant. Aut Divos ac cœlites esse credas, antequam sunt; aut ante scientiâ immortalium, quàm immortalitate donatos; aut singulari Numinis afflatu edoctos. Divóne Parenti, jam in cœlum recipiendo, simile quid contigit, ut

non

non tantùm Bonitatis Tuæ fiduciâ, quàm non esses cunctaturus voluntatem suam implere, sed etiam occultâ quadam divinatione præsumserit, quàm & fata, & infesta seculi, & alia quantovis nisu obstantia, voluntati Tuæ essent cessura? Quicquid autem tandem sit, magno delibutus gaudio, Maxumus Princeps, decessit, quasi certus prosperrimi, quamlibet tardati, succesſûs. In mortalitatem, si liceret, vel hoc uno die crederemus rediturum, qui aliâs nunquam rediret: ut cum mortalibus immortalis, quod olim futurum, nunc felicissimè factum, magis lætaretur. Non itaque amplius quærendum est, sitne TUUM, an Divi Parentis opus, quod eadem intentione, pari curâ, nec minori conatu, dispari quantumvis eventu, promovistis: nisi quòd currenti TIBI ille acriores stimulos addidit. Magisne verò reverentia erga Patrem, TE, ut idem atque ipse velles, movit, an in bonum publicum intenta bonitas? Utrique constat, sed fallor, nisi majus huic, quam illi, pondus. Pium est, revereri Patrem; viventem, omnibus obsequiis; defunctum, studio implendæ ultimæ voluntatis. At si hæc una fuit causa, cur post fata Divi Parentis, adeò arduum, & Holsatiæ inauditum opus, tanto sumtu aggredereris: prope est, ut mirer, non aliam fuisse. Quantò laudabilius est, quod consilia, cœpta, & omnia studia TUA loquuntur, Te pariter ac Divum Parentem, boni publici amore, innatæque bonitatis genio, ad tam grandia molimina fuisse impulsum; etiamsi abfuisset illa, Patris amori honoriq; debita, devotaque pietas? Illud autem, nescio, magisne bonorum precibus votisq;, quibus quamlibet recusantia fata obsecundant, an rerum futurarum ab se provido benignoq; Numine, sit impetratum, ut, cùm sideribus & cœlo inferretur DIVUS FRIDERICUS, TE reliquerit Filium ac successorem; in quo, qui aliâs maximè desiderandus erat, minùs desiderari posset. TE enim qui vident, quid aliud vident, quàm, non dicam vultus orisque, sed animi, morum, virtutumque tanti Parentis vivum exemplar? Seu talem ac tantum Te genuit, naturaque futuræ industriæ officia occupavit: seu virtutis & bonitatis in TE igniculos transfudit, quorum æstu ad magna incalesceres surgeresque. Non errant fortè, qui collatione Divi Parentis, TE esse alterum eundem credunt. Illumne enim, an TE laudent, qui alterum laudare volunt; nihil referre putârim; quia uterque, OPTIMUS PRINCEPS.

In tantâ animorum morumque similitudine, non mirum, idem VOBIS propositum erigendæ Academiæ, pares conatus, nec minorem contentionem fuisse. Manet ergo & sua utrique, & par omnino gloria: neque interest, uter id, quod æquè voluistis, fecerit; dum Parens ille, Tu Filius, & invicem similimi. Interest autem fortè pietatis Tuæ, quid & quantum Divo Parenti tribuas, & ne huic Te æques. Quamobrem, licet solus Dei auspicio perfeceris, quod ille sibi proposuerat, & quod benè cœperat, benè absolveris: ad laudem tamen moderationis TUÆ pertinet, ut illi quoque perfecti absolutique operis gloriam vindices, quasi non facturus, nisi proposuisset, nisi cœpisset; quanquam si neque cœpisset, neque proposuisset, tamen facturus eras, incitatus bonitate TUA, incensusque publici boni flagrantissimo amore. O non iniquam, ô piam inæqualitatem, & manifestum modestiæ exemplum! Dum æquales meritis, TE & Patrem, filiali reverentiâ distingvis, honorisque Tibi parum sumis, illi ut plurimum tribuatur; non aliâ de causâ, quàm quia Pater ille, Tu Filius. Cum interim hodierni facinoris præstantiam ac magnitudinem propiùs intueor, ac mecum expendo; licet, dum à VOBIS, ab homine consultatum & cœptum, ab homine absolutum perfectumque esse, non queam diffiteri; in humanis tamen, an divinis revereri debeam, equidem falsus an incertus hæreo. Si divinum, aut plusquàm humanum, ac pene divinum est, quod, cum nihil esset, ex quo fieri posset, neque futurum mortalium quisquam sperare potuerit, tamen factum est: prope est, ut exclamem: O quam divinum, quod hodiè natum est, & æternitatis monumentis inscribendum, decus! Ubi enim nunquam fuerat, nihilque, ne calx quidem & cæmenta, ad construendum erant congesta, neque futurum speravit orbis, neque sperare potuit: ibi TU, DOMINE, Divusque Parens, & cujus, nisi Dei ex nihilo quid facientis specie? non qualecunque literarum & artium domicilium, sed ipsum Helicona Parnassumque, omnium Musarum sedem, locavistis. Musas Poëtæ olim Deas, & sanctas finxerunt: multo magis sanctum divinumq; dixerim, quod illis domicilium, & studium, quo dicatum est. Si quò quid difficilius, eò divinius est: tantò divinius sit necessum est, quod hodiè inauguramus opus, quantò fuit difficilius. Quot & quanta, cum viveret Divus Parens, cum tristia belli spectacula passim cerneren-

rentur? quanta, poſt fata ipſius, ſeu novercantis fortunæ, ſeu ringentis calumniæ, ſeu tabeſcentis invidiæ tela, obſtiterunt? Inter dura adeò, & obſtantia multa, humanumne eſt, opus non hæſiſſe impeditum? Cum omnes jam ſufflaminatum clamabant, & penitus diremtum. Poterat tardari differrique: & dilatum tardatumque eſt: at prorſus inhiberi non poterat. Seu Deus, ſeu Divorum quis adfuit: non abfuit cœleſtium fatorum favor, & Cœlitum omnium plauſus: Cum tot inter impedimenta ferbuit magis conſilium, quàm elanguit. At quod maximum, miraculoque propius, quàm humanis eventis eſt, cum in rem præſentem erat ventum, proceſſit, evenitque felicius, quàm orbis putabat. Et quis tandem, ſeu magnitudine rei, ſeu pietate admonitus, non piè reverenterque credat, altiori quàm humano ſpiritu, certè divino, TE Divumque Parentem ductos fuiſſe, cum Ille faciendum deſtinaret tam præclarum opus, TU poſteà deſtinatum faceres? Hominem ſe ille non minùs, quàm hominibus præeſſe, ſed eò minùs humano agebat more, quòd hominem ſe eſſe meminerat. Tantò enim à ſe longiùs, & propiùs ad Deum attollebatur, quantò ſæpiùs, quantillus præ Deo eſſet homo, recordabatur, & quantulum, quamlibet potentiſſimus Rex vel Princeps, ab ſe poſſet. Neque enim unquam plus à Deo, quàm cum nihil ex ſe; & cum nihil ex terris, omnia è cœlo ſperabat. Incipiebat jam poſſe multùm, non multa ab ſe potens, Princeps; & quod non poſſet, cum poſſe vellet, poterat, ſi in Deo vellet, ſique voluiſſe ac potuiſſe expediret; tantò major ope divinâ, quantò ſuâ minor; quantoque humanæ imbecillitatis conſcientiâ imbellior, tantò Numinis fiduciâ ad præclara meditanda agendaque alacrior, magisque accinctus. Nihilo ſecius, dum homo erat, non potuit perficere, quod, quaſi iam jam facturus, pervicaciter deſtinaverat: nunc demùm cum ſideribus intextus, atque inter Divos relatus eſt, è cœlo videt impletum, quod cœlo intulerat, conſilium. Fallor, an rectè auguror? Exemtus fuit mortalitate & rebus humanis; ſeu, ne poſt divina illa incœpta, quicquam humanum ac mortale cœptaret; ſeu, quò diviniùs id & ſanctius haberent poſteri, quod negatum homini in terris, Divo in cœlis conceſſum fuiſſet. Meliorne verò TU, Auguſte Princeps, an aliàs Deo carior es, ut, quod Divus Parens deſtinaverat faciendum, TU feceris, dum homo es; ille non priùs viderit factum, quàm Divus eſt? Aut præſumſiſti facinore divino DIVI titulum, quem olim civi ſuo vaſta dabit æternitas; aut quod nomen illud ſonat, reverà es, antequàm es; aut dum

divinum occupas opus, ſupra hominem vehi, Divoſque æmulari videris. Quæretur olim inter homines, non quis hominum, ſed num Divus quis, num ipſe Deus fecerit. Nec ſtatim putare cum animo poſſum, diviniuſne TUUM factum, an Divi Parentis ſit conſilium atque incœptum. Non Numen uni magis, quàm alteri, adfuit vel abfuit: neutri etiam extra cœli commercium conſtabat ratio. Natum in terris conſilium, non priùs erat efficax, quàm in cœlum importaretur: Neque prius TU illud exequi poteras, quàm de cœlo felices & admirandi ſucceſſus afflarentur. Annon tamen eò deſtinatione cœptiſque divinior ipſe ex voto eventus eſt, quò difficilior, & ob id multis deſperatior, pluraque fatorum, aſpera ſatis & reluctantia, efficaciùs eluſit? Seponamus autem tantiſper Dei auſpicia, dum intelligamus, quantum ac quale ſit hodiernum facinus, ſi humanâ, Tuaque, ac Divi Parentis auctoritate, cenſeatur. At nemo non id plurimi æſtimabit, quod à tantis Cimbrorum Ducibus conſultatum effectumque eſt. Admonet enim nos virtutum Veſtrarum faſtigium, ut nihil mediocre, nedum vulgare, à Veſtris auſpiciis credamus oriri poſſe. Aut humano culmine majora ſunt, quæ tantorum Principum nomine & auctoritate habemus condecorata, aut ſuprà quàm cogitari dicique poteſt, magna & admiranda. Non eſt, cur à Natalium ſplendore, aut à Majorum gloriâ, elogia VOBIS aliqua accerſantur; VESTRAq;, quaſi ab ſe non ſatis honorata nomina, alienis titulis, ſicut Lunæ defectus fulgoribus ſolis, colluſtrentur. Neq; decent VOS adulterinæ illæ laudes, quæ in divitiis quantũvis ingentibus collocantur, quarum hoc eſt ingenium, fortunæ potiùs, quã noſtro ſubeſſe arbitrio, & parere. Valeant, quantum poſſunt, ea quidem encomia, cum ii laudantur, in quibus ipſis nihil, aut non multum, quod laudare poſſis, niſi aliunde petatur, occurrit. In VOBIS autem ipſis, omni laude majus faſtigium, naturáne expreſſit, an finxit induſtria? utriuſq; certè, quaſi conſpiratâ, nec parcâ dilargitione, diſpenſatæ cumulatæque in VOBIS opes cernuntur. Quanquam cùm prima ad virtutem via ſit generoſa erectaque indoles, velut hæreditario quodam jure à majoribus in minores, à patribus in filios depacta; & ea ad augendum naturæ decus, maiorum gloriâ, quaſi ſtimulo aliquo, non parum incitetur: in tantum horum quoque nativa, & adſcita decora, veſtris intexenda laudibus ſunt, in quantum illa generatione, hæc exemplo in VOS transfuſa, veſtræ genium naturæ, virtutiſque imaginem repræſentant, & tales omnino promittunt, quales qui Vos genue-

nuerunt, ingenio, moribus, factisque erant. Si Vestra illustris prosapia ad priscum quoddam Celsissimorum Ducum genus originem suam referret; tum suo hoc splendore posset esse contenta, nec majores natales vel appeteret, vel aliis invideret. Nunc verò ex antiquissima & Regia stirpe, cujus purpuræ sceptrisque proximum à se locum esse voluit Numen, Vestræ nomina familiæ, & stemmatum flexuras, derivant altrices æternitatis historiæ, non obscuris nec sublestæ fidei, sed planis certisque documentis. Replicans temporum memoriam hæreo & obstupesco, atque identidem me, an audierim, an viderim simile quid, interrogo; cum doceor, quâ Heroum serie, & optimorum Principum successione, quantaq; factorum cujusq; gloriâ, stirps illa vestra à prima origine processerit: quàm variis imperii finiumque prolatorum successibus Majores subinde increverint: quàm denique variâ dignitate, potentiâ, Majestate præfulserint. Quæ si dignè & ordine, non ornanda dicam, sed enarranda mihi essent: tempus & vox & spiritus verbaque ipsa me prius, quàm dicendi materia, deficerent. At nec longè ut eamus est opus. TUOS Divique Parentis regios natales satis comprobat Divorum, Atavi & Abavi, CHRISTIANI & FRIDERICI, utriusque hujus nominis primi, augusta & recens memoria. Quos cum magnos Principes dedisset generosior & avitæ laudis æmula natura: eos subitò supra Principes fortuna, an sua virtus? certè virtus magis, quam fortuna evexit, sceptrisque ac purpurâ potentissimi Daniæ regni auxit. Qui verò hos ætate præcurrerunt, etsi & in iis Reges augusti nominis fuere, quorum manes revereri fas est: in nonnullis tamen, ut variæ omnium rerum vices sunt, regia à regio primo genere ducta Majestas non tam exspiraverat, quàm diremta ad tempus delitescebat. Æquo autem variantium fatorum arbitrio, cum in prælaudatis gloriosæ memoriæ DIVIS, tum in aliis retrò proximis, ad priscum dignitatis culmen reducta subinde, ac renovata, auspicatò refloruit. Documentum regii sanguinis stemmatisque, omni invidiosâ dubitatione luculentius, est adamantino fixum nexu jus, quo hæreditas regni Norwegiæ inde à Majoribus ad Slesvico-Holsatiæ Duces devoluta est, seramque ad posteritatem transmittetur. Omnes illi, sive reges, sive regalis purpuræ auspiciique hæredes, famam meritis, rebusque publicè gestis gloriam, consecuti sunt majorem, quàm ut eorum unquam perire possit memoria. Recordor jam, quot regna de imperio, quot de priscâ gloriâ Principatus, Ducatus, aliique famosi ordinis dominatus, quantum perdiderint; quot inclina-

natas, & nisi lapsas, labantes respublicas, imò lapsas quoque prostratasque, seu fata dederint, seu secula; quot seu lege mortalitatis emortuæ, seu ævi injuriâ eversæ, nec unquam vel renascendæ vel redintegrandæ, stirpes, domus, generumque antiquissimorum propagines, pessum iverint. TUORUM, DOMINE, Divique Parentis majorum, ab antiquissimis temporibus, propria fuit gloria, nihil de flore roboreque imperii remisisse, nihil amisisse; infesta hostium tela, insidias, machinasque elusisse; domumque Slesvico-Holsaticam non modò sartam tectamque, sed & penè invictam præstitisse, sed & pluribus, ac diversis accessionibus, incrementisque, mirè amplificâsse. Ab Universitate ad partes meritorum cujusque divagari, cum longum, tum eò minùs opportunum reor, quòd si majorum facta nimium extollantur, Vestra vel negligi vel parvi præ illis æstimari videantur. Neque pauca illa aliâ fini delibavi, quàm ut ex Majorum immortali nomine, & Divi Parentis gloria, & TUA, Domine, conjectetur. De Illius meritis meritò mea conticescit oratio, mensque simplici contenta devotione, quicquid in ipso universus orbis stupet, prono cultu reverentiaque adorat. Si quis mehercle unquam fuit exemplar boni Principis, ille fuit: & si cujus non potuit suis coloribus pingi virtus, illius non potuit, nec unquam poterit, ne quidem si eloquentissimus Romuli Nepotum omnes facundiæ suæ nervos, viresque expromeret. Nihil tam erat difficile, quin celeri & excelso atque ad omnia capaci ingenio morigeraretur. Non se virtutibus, sed virtutes sibi devinxerat, ut qui major ipsis virtutibus erat, neq; tã ornandus ab illis, quàm illas ornaturus. Literas coluerat à puero, nec perfunctoriè, sed velut qui nihil aliud, quã literas scire voluisset: at virtutes quoq; & Principe & bono cive dignas sic excoluerat, tanquã nisi sciret parere, imperare non posset. Utrasque cum non minori profectu, quàm proficiendi ardore, conjungeret, pari fastigio absolvit: ut, meliorne an doctior esset, dubitari potuerit, cum primum gubernaculis imperii admoveretur. Adeò & eruditionis & virtutis momenta miro concentu in ipsum omnia confluxerant. Non, ne nimium dicam, vereor, sed ne parum: nimium autem fortè viventi dicerem, qui in tanto virtutum fastigio tantâ erat modestiâ, ut laudari nollet. Laudentur, ajebat, qui laudanda non fecerunt, ut fecisse videantur; aut qui non quia laudanda sunt, fecerunt, sed ut laudentur: mihi aut nulla, aut una vera laus probatur, laudem meruisse. Nunc verò cum nulla Divo audiendi molestia, prædicandi nobis est libertas, imò ne pietas violetur, necessitudo.

Quan-

Quanquam ut ad modeſtiam viventis ſubmittatur oratio, dicam, quod intra gloriam Divi Principis eſt, Principem fuiſſe PIUM PRUDENTEMque, dum mortalibus mortalis præeſſet. At talis dum fuit, omnia fuit: omnia virtutum nomina, dum illa duo, verè ſuſtinuit. Pietas enim, quaſi regina pediſſequas, omnes virtutes continet imperio, langventesque incitat ſubinde & incendit; ſed conſultrice, ſed Duce, & quaſi ocello, recti decorique ſcientia, illâ ipsâ, quæ vulgò prudentia laudatur. Tantum autem ab utraque virtute potuit, quantum & voto, ut poſſet, & ſtudio, ut aſſeqveretur, à teneris enixꝰ eſt; ſtudii non incertior, quàm voti ſui. Pietatis erat totus, non ſine multorum rubore, quos cum maximè decuiſſet pietas, maximè defecit: quique aliis debuiſſent prælucere, his ipſe fuit pietatis exemplar, eoq; illuſtrius, quò efficacius homines exemplo, & ſui quidem Regis vel Principis, docentur. Quò magis etiam à pueritia non tinctus literis, ſed imbutus, longoque rerum uſu & experientiâ, jam provectior ætate, fuit ſubactus: eò prudentior erat, ſcientiorque, tàm eorum, quæ Principem, & Chriſtianum quidem decent, ut ipſe ex decoro hujusmodi eſſet, quàm quæ bonos cives, ut hos faceret. Ita egregii virtutum paris, pietatis ac prudentiæ, ſvavi contubernio, commercioque, omnes Boni Principis numeros obibat; pietate ad omnes virtutes incitatus; omnes prudentiâ ſolertiaque moderans: ut ita ſi tantum in his, non poſſit eſſe dubium, quantum in cæteris profecerit. Quàm ubique, quod in virtute difficillimum eſt, modum ſervabat? Quo temperamento virtutes diſſociabiles ſociaverat? Seu puniret, dignam Principe clementiam non exceſſit; ſeu ignoſceret, à juſtâ ſeveritate non deflexit: ſui quidem ſemper ſimilis; ſed nunc ſeverior, nunc indulgentior: prout quemque vel proterviâ malum, vel imprudentiâ lapſum cerneret: nunquam, ne in hoſtes quidem crudelis. Strictum jus, ac juſtitiæ rigorem, legesque duriores æquitate temperans, neque iniqvus erat, neque injuſtus. Modò præſentior ad pericula, & magis ſe offerens; modò cunctator magis, ut qui cauturus, ſi cavere magis expediret. Non lætior ſecundis, quàm adverſorum patientior. In ſummâ liberalitate non profuſus: liberaliſſimus in frugalitate: nunquam, nec privatim, nec publicè, parcus ac tenax. In otio non otioſus: non delicatus in delitiis. Sine aliorum contemtu, ſine ſui admiratione, ſine ullo faſtu magnanimus. Quò major imò Princeps, eò parcior ſui æſtimator: nec minùs tamen ſecurus magnitudinis ſuæ, cum ſe ſubmitteret, ut qui uno Principis, nedum tanti nomine, humilitatis periculum evaſerat. Pompâ magnificentiaque, ut

Princeps; ut quilibet alius, moderatione animi; utriusque temperamento, ut bonus, ut optimus Princeps, incessit, imperavit, verbis simul factisque visus, adhærentibus lateri suo, Cimbris omnibus probatus. Continens voluptatum, divitiarum contemtor: non parvi, non humani, non inhonori cujusdam honoris, sed famæ, sed immortalitatis appetens, virtutisque fiduciâ & mansuræ & augescentis gloriæ certus. Ad benefaciendum exteris juxtà atque indigenis obvius, tantoq; similior Numini, cujus bonitate orbis impletur, quantò liberalitatis suæ fontem manare voluit latiùs. Denique in quo salus civium, ac Principis gloria vertitur, nunquam sui, semper publici commodi, & quàm poterat esse, acerrimus sectator, curiosus simul, & multùm providens, tanquam Deo rationem redditurus. Seu belli, seu pacis, seu fœderum, seu alia non minoris momenti agitaret consilia: quàm ibi solers & acutus? quàm cautus circumspectusque? Ut labantem, Numinis instar præsens ac manifestus, sustinuit rempublicam, & aliquando benè extinctam, spiritu bonitatis suæ refovit? Ut casibus prospexit futuris, venientibus occursavit, præsentibus intercessit, ipsisque fatis viam pro re natâ clausit vel fecit? Jam si ad meritorum ejus partes & exempla respiciam, stupeo abyssum, & propè ingressus resilio, seu tempori, seu Vestræ, Auditores, patientiæ, seu meæ dicendi inopiæ, seu cunctis diffisus. Nihil enim turpius reor, quàm magni Principis merita vel carptim ac breviter perstringere, vel aliâs exili sermone ita deterere, ut minora, quàm sunt, videantur. Quantò rectiùs illibata cogitationibus Vestris ea reservantur, ut tanta, quanta sunt, nisi majora, arbitremini? Quanquam vix tanta potestis arbitrari, quin majora fuerint. Quorsum autem hæc omnia? Ut, quantò major est Princeps, cujus auspicio cœptatum est, tantò pluris æstimetis hujus diei decus, ac duraturum in annos monumentum. Non autem minoris est, si ex Tuâ, Regum Sangvis, dignatione pensetur, cujus auctoritate & prudentiâ consummatum est. Non in laudibus TUIS pono, quòd duo potentissima regna, cognatione alterum, alterum affinitate, conjuncta habeas. Est quidem & hoc magnum, ac Regiis TUIS natalibus conveniens decus, subsidiique ac roboris fiduciam, si quando lacessereris, contra hostium audaciam, addit ac fovet. At inter fortunæ decora est, quæ admiranda potiùs, cùm multa & ingentia, quàm laudanda sunt. Quantò prædicatione dignius est augustum illud Virtutum TUARUM spectaculum, quod post generosam excelsamque indolem, quam cum Regio sangvine accepisti, post tot in medullis & visceribus TUIS defi-

xos

xos avitæ virtutis igniculos, denique post tot Divi Parentis Majorumque exempla, quibus ad æmulationem provocabare, TUÆ nunquam satis laudandæ industriæ debemus? Non una atque altera virtus, quanquam unâ etiam excelluisse, honestum & laudabile est, sed omnes, quasi in Majestatis TUÆ quodam solio, certatim ad fastigium contendentes, cernuntur. Et quod miramur, cum quædam virtutes ingenio dissimili ac penè contrario esse videantur, prudentiâ adeò eas temperas miscesque, ut non tantùm non obstent sibi invicem, sed etiam miro officiorum concentu concordiaque opitulentur. Nihil fortitudini TUÆ decedit, dum, quod providentiæ est, caves pericula, aut quasi connivens ad illa cunctaris; nihil justæ ac necessariæ severitati, si quando clementiam exerces; nihil justitiæ, cùm ex æquo bonoque magis, quàm ex scripto jure, judicas; nihil magnificentiæ, si quando simplicitatem Principe dignam admisces; nihil magnanimitati, cùm quasi omni honore major, honorem etiam maximum negligis; nihil munificentiæ, cùm luxum frugalitate restringis; nihil gravitati, si quando es hilarior; nihil denique Majestati, cum supplicantium pudori humanitate præcurris. Habet hoc magnorum Principum virtus, ut adversis rectiùs, quàm secundis rebus probetur, atque inclarescat. Tua virtus, DOMINE, idem periculum, eoque majori difficultate, quòd sub incunabula imperii, adiit. Nondum deferbuerat belli furor, nutabatque imperium instabili pondere, quasi jam ruiturum super caput, cum festinata Divi Parentis fata recusantem ad ejus gubernacula protraxerunt. Videbas hinc inde illatas genti Tuæ clades, vastitates, variasque contumelias: eoque multorum lamenta, ac gemitus, tantùm non ipse illacrumans, tristis audiebas. Videbas desolata prædia, exustos pagos, orbata fana, spoliata oppida; mox ipsam urbem, in quam circumstantia pericula TE compulerant, non oppugnatam quidem machinis, at copiis cinctam, obsessam, & quasi inclusam: denique, ut rebus semel turbidis fit, alia ex aliis funesta spectacula. Quid hîc faceres? An armis & infesto robore obluctareris? At propositâ pacis spe, incertis belli auxiliis, dubioque eventu, nolebas, fortitudine quantumvis nemini secundus: si tamen obsessores urbem oppugnassent, repugnare obstinaveras, quantum viribus hinc inde collectis valuisses. An redimeres? at quo pretio? fortè non pecuniâ, sed vel libertatis jacturâ, vel cessâ parte imperii, vel alio Reipublicæ nunquam satis pœnitendo damno. Maluisti ergo generoso atque infracto animo ferre, quàm pati, ut quicquam sive de juribus ac libertate Cimbrorum, sive finibus im-

perii, ſive de Majeſtate Domus Sleſvico-Holſaticæ, ſive de priſcâ antiquorum gloriâ delibaretur. Quantæ patientiæ quæ exempla, fiduciæ quæ ac quanta argumenta, quanta documenta invicti atque immobilis animi ibitum dediſti? Cæterùm dum laudem TUARUM mare quoddam video, in portu non abs re cunctor, nec jam quidem intrare audeo; ſeu vetat brevius tam amplâ materiâ tempus; ſeu qui me dicendi, & alios audiendi cepit langvor; ſeu denique TUA, DOMINE, non patitur modeſtia, cui quo ſvavius eſt laudanda facere, eò eſt oneroſius, quæ feceris, audire laudata: tanquam audiendo perdas, quam faciendo laudem merueris. Sed & antequam hiſtoriam TIBI TUAM TUORUMque factorum texamus, exſpectandum eſt tempus, dum plurima ſint, quæ noſtra in TE admiretur, laudetque pietas. Si tantum enim dedit Principem juventa: quantum provectior dabit ætas, poſtque longum rerum uſum, experientiamque, quem cana (utinam ſera, longæva, terque felix!) ſenectus? Adhoc quò pluris æſtimantur, ac magis creduntur, magnorum Heroum res geſtæ, cum ab annis robur quaſi acquiſiverunt, & quò præteritorum curioſior eſt futura, quàm noſtra præſentium ætas: eò minus hujus ætatis arbitror, ſeu ſequioris occupare officium, ſeu antequam adoleverint, gloriam & fidem factis, quaſi immaturam, quærere. Erit, ubi ſera poſteritas hunc TIBI honorem habebit, tantò fide majori, ac minori invidia, quantò longius ab adulandi non neceſſitate tantum, ſed etiam ſuſpicione abeſſe videbitur. Sufficit jam, & TUÆ modeſtiæ, & noſtræ pietati, id quod hoc die TUA ac DIVI Patris auctoritate poſitum eſt monumentum, non minoris eſſe, quia TUUM, quàm quia Divi Patris eſt, cum hic non minorem TE, quàm ipſe erat, & filium, & ſucceſſorem reliquerit. Nunc ſi ſuo momento, literarum honore, & publicis privatiſq; emolumentis ponderetur: vereor, ut dignè ſatis prædicari poſſit, præſertim lapſo jam tempore, ac langventibus animis. Et verò illud his defraudare elogiis, quia ingrati eſſe hominis videbatur, vetat pietas, hoc cum primis die, quo fundamenta & auſpicia ejus auſpicatò locantur. Sæpè tacitâ mentis agitatione circumſpexi, quodnam meritorum in his terris maximum, & publicè privatimque utiliſſimum, denique Principe foret digniſſimum: cum intereà comparanti mihi inter ſe univerſa, quæ magnos Heroas ſummoſque Principes decent, non præſtabilius nec divinius occurrit, quàm hoc ipſum, quod Muſis ſacrum eſt, opus. Quo de Eccleſiâ, de Republicâ, deque privatis ſubditorum commodis melius, quàm ullo alio munere; tum optimè de Temetipſo mereris; poſtremò

Cui

cui devota esse omnia nostra debent, sic Dei honori litas, ut dubitem, num ulla Deo gratior esse victima possit. Nonnulla magnorum Principum opera ad splendorem & magnificentiam, alia ad voluptatem comparata sunt: sed neque hæc æternitatem nominis promittunt, neque illa publicè conducunt. Sunt, quæ Principem, sed non bonum, ostentant. Sunt, quæ muniunt patriam ab hostium injuriis; sed non ab invalescentibus vitiis, non à barbarie, non à profano Numinis neglectu. Hæc quam promittunt utilitatem, non præstant; illa, quam præstant privatim, publicè perdunt. Illa militiæ quidem, sed non domi; hæc domi prosunt, sed non militiæ. Postremò pleraque, quæ adeò æstimata sunt seculo, mortalitatis & humanæ fragilitatis confinio læduntur. At quod hodiè perficis opus, immortalis gloriæ Princeps, non unâ ratione bonum ac utile, sed publicis privatisque commodis natum, non perfidum, non fallax, laude ingens, præstans honore, famâ perpetuum, omnibus denique bonis cumulatum est. Quamobrem in summis maxumum, atque in maxumis summum esse, facilè mihi persuadeo; nescio, an & VOBIS, Auditores; imò VOBIS quoque, nisi, cùm ad gratias agendas pietate impellar, huic nimiùm indulgere, aut cùm Academiæ gloria propiùs ad me pertineat, nimiùm illi favere videar: Sed videar sanè, dum hunc erga Academiam favorem, & illam pietatem meam VOBIS commendem: Sit tantisper vel alterius vel utriusque error, dum habeam aliquos, qui pari affectu errori meo album calculum adjiciant; aliis autem, datâ inquirendi occasione, errorem olim, nisi jam, illum meum probem. Nihil turpius est homini, quàm si nomine quidem, non etiam re; aut si naturâ, non moribus sit homo. Quid hoc aliùd est, quàm hominem ex homine tollere, & beluam facere? Nullâ autem magis re *homines*, quàm *humanitate* sumus, quâ etiam maximè à beluis abscedimus. Si quem enim inhumanum, ferum, efferum esse viderimus, hunc ne hominem quidem, dum est, esse putamus: omnes, quasi beluam, fugimus & abominamur. Ubi verò, nisi in scholis, ad humanitatem erudimur? Quomodo, nisi doctrinâ & assuetudine, exuimus feritatem, & in mores homine dignos formamur? quâ de causa bonæ artes ac literæ, quòd & deceant hominem & maximè faciant, humaniores meritissimò dici consueverunt. Si qua ergo sunt fulcimenta reipublicæ, Ecclesiæ incrementa, ornamenta patriæ, omnia à literis, & harum gloriæ dicatis scholis, proficiscuntur. Jam inde pacis adjumenta, & belli remedia; jam in rebus adversis auxilia, in dubiis consilia; jam prudentia, virtus, virtu-

tisque exempla. Nullum verum decus, nisi à literis, nulla gloria, nulla sincera voluptas. Tolle scholas literasque: nec erit rerum præclarè gestarum memoria, nec magnorum Heroum fama durabit. Postremò quicquam vel honestè expedit, vel decenter ornat, vel sincerè delectat, vel ullum ad felicitatem momentum affert; id omne literarum honori, & dexteritati scholarum deberi, nemo est, qui sustineat dubitare. Tum demum verò, quanti sit hodiernum beneficium, magis intelligetur, cum comparatum aliis fuerit. Quibus autem potiùs, quàm factis Majorum TUORUM, quos æmularis, ò ingens Majorum Decus, quosque in manibus suis revereris, id comparem? Multa illi præclarè, nec mirum, si plura, quàm TIBI per ætatem licuit, fecerunt: plures enim annos, cumque his plus experientiæ, fortè etiam crebriores rerum gerendarum opportunitates erant adepti. Ambigo autem, an quicquam eo, fecerint præclarius, quod TU hodiè præclarissimè. Imperatoribus ac Regibus nulla major, nec ipsis dignior cura unquam fuit, quâm gloriam imperii augere, ut, se esse verè AUGUSTOS, ipso facto comprobarent. Quantum verò est, quòd Divus Atavus TUUS, ille quondam potentissimus Rex Daniæ, CHRISTIANUS I. cujus non sine digna veneratione hîc nobis redit memoria, Holsatiam insignibus ac privilegiis Ducalibus auxit? Nisi pluribus, hoc uno facinore docuit, se non minus AUGUSTUM meritis, quàm nomine & religione CHRISTIANUM esse. Non segnius TU, AUGUSTE PATRIÆ PATER, (quo enim magis nomine, quàm hoc, jam mihi compellandus es?) in augendam Cimbriam Tuam incubuisti. Et nescio sanè, annon magis studiorum humanitate, ac literarum gloriâ auxeris, quàm ille Ducali fastigio. Cùm adhuc inter Comitatus Principem locum tenebat Holsatia, nihilo erat infelicior: æquè populorum fortitudine & vigore, æquè soli fertilitate & domi natis divitiis, æque finium spatiis felix & auspicata terra: nunc ad Ducale fastigium evecta, etsi multùm sanè, non tamen nisi jure & gloriâ major est. Et quod cumprimis gloriosum, non pretio, nec favore, sed suis, ac Divi Regis sui meritis, ad culmen illud pervenit. At postquam literarum honore aucta est: interroget quisque semetipsum, annon multò sit beatior Cimbria, quàm fuit. Certè beatius est, pluribus, quàm paucis prodesse. Et verò neque Ducalis Dignationis insignia, neque conjuncta jura, neque alia Holsatiæ bona, latiùs vel juvant vel ornant, quàm provinciarum tractus, ac reipublicæ fines patent. At scholæ illustres, quæ ob id Universitates dici meruerunt, in universum hominum genus

nus æquâ proclivitate se effundunt, ac dispensant: cujusque nationis juvenes excipiunt, erudiunt, formant, doctioresque in patriam, ad serviendum publico, remittunt: ut ita quaquà dispersum est genus humanum, & quà intelligi vel concipi potest eruditio, earum gloria pertingat. Et quis non de fundatâ hodie Academiâ parem utilitatem, pares fructus, non TUÆ tantùm, PRINCEPS, Holsatiæ, terrisque conterminis, sed universæ Germaniæ, sed ipsi terrarum orbi promittat? Quis non famam tanti facinoris perennaturam in secula, & quaquà humanitas, literæ, studia coluntur, peregrinando invalituram prospiciat? Arduum erat, nec humanum consilium: cùm Divus Abavus, FRIDERICUS I, Regii sceptri gloriâ suprà nobis celebratissimus, de reducenda in has terras intemeratæ veritatis luce cogitavit: nec priùs potuit quiescere, quàm dissipata Papalium corruptelarum densissima nox foret, & reddita nativo splendori veritas, solis omnia collustrantis specie, ubique refulgeret, ubique viam æternæ salutis recluderet, commonstraret. Tantò magis isthoc quidem facto, non dicam, æternitati, sed cœlo se Divus Rex asseruit, quantò pluris, & Deo gratius est, animarum quàm corporum, quàm bonorum incrementa, æternæ quàm temporariæ salutis momenta dispensâsse. At cum hodiè, Serenissime Cimbrorum Dux, consenescentibus literis florem juventutis, neque in secundis tertiisvé, sed circa ima ferè subsistentibus studiis, reddidisti fastigium: prope est, ut exclamem, tantum TE præ felicissimæ memoriæ Abavo fecisse. Ille de Ecclesia solum; quanquam sic satis benè; Tu verò, dum de literis, etiam de Ecclesia, & eò melius mereris, quantò certius est, literarum cultu, ac scholarum subsidio, Ecclesiam conservari. Quod si enim, quasi exoleta, illarum gloria periret, & ruditas atq; ignorantia passim invalesceret: ô quàm citò nutaret Ecclesia, sicut domus fundamentis convulsa; & nisi corrueret, tamen erroribus illaqueata, in tenebras fortè non leviores, quàm quibus emersa est, recideret? Divinæ itaque veritatis, atque ipsius Ecclesiæ das fulcimenta, dum hodie locas Athenæum, in quo momenta veræ ac puræ religionis, tum oraculis cœlestibus stabiliantur, tum à gliscentibus corruptelis, erroribus, hæresibusque mature vindicentur. Quod quantò est præclarius, quàm si, neglectis literis, soli Ecclesiæ attenderes? Si quid unquam inter fortia ac Martia prædicandum fuit certamina: omni prædicatione majus est, ibitque in secula, quòd Divus Proavus, Serenissimus quondam Dux, ADOLPHUS, bellicosos Ditmarsos, quos nec hastarum nec ensium, nec ex æneis tor-

mentis bombardisve exploſorum ignium glandiumque terrere potuit pavor, invictâ manu debellavit, adjecit ſuæ Holſatiæ, ſuoque imperio, jam ad omnia obſequia devotos, ſubjecit. TU, Fortium Heroum Flos, non hodie intuliſti arma in hanc civitatem, quaſi populos immorigeros & præfractos domiturus: quoniam nullos, & id in felicitatis Tuæ parte eſt, quòd nullos habes: eò enim melius eſt obſequium, quò pluris conſtat, qui de rebellantibus agitur, triumphus; quanquam domandi quoque, ſi quos haberes, indomitos, & triumphandi, haud abeſſet animus. Quantò autem & tutius & gratius eſt, TE hodiè præ armis bonas artes ac literas, ipſasque manſvetiores Muſas invexiſſe; quibus non corpora barbarorum & immanium vinci; at animi, efferique mores, emolliri vincique poſſunt? Neque verò ſatis ſcio, majorne ſtridentium armorum, an blandientium Muſarum vis ſit: quandoquidem his qui cedunt, volentes & deſiderantes; illis nulli, niſi inviti, repugnantesque vincuntur. Neque inoleſcentibus Muſis, arma exoleſcunt, ſed ſicubi expediunda ſint, tantò erunt feliciora, quantò literarum præſidio tutius proceſſura. Quid enim bellum ſine conſiliis? Quæ conſilia ſine prudentiâ? Ubi denique prudentia, præſertim militaris, ſine literarum hiſtoriarumque ſtudio, quæ bellorum initia & progreſſus, varias vices, diverſosque exitus, antiquis exemplis illuſtrant? Eſt ſua bellicæ fortitudini laus, ſed tunc potiſſima, cum laceſſentium vel vindicanda vel propulſanda eſt injuria: at literis & manſvetioribus Muſis ſemper ſuum conſtat decus, ſuaque utilitas; ſeu pacata ſit res publica; ſeu bellis omnia miſcentibus inquietetur. Quò majorem, Maxime Heros, gloriam mereris, dum utrique, & Marti, & Apollini, ſuum aſſeris robur, ſuumque honorem; æqvus & gravis militiæ æſtimator; ſed literarum nunquam contemtor, noviſſimè etiam Stator, & præſidium: ut adeò dubitare jam ſubeat, plurisne militiam, an literas æſtimes. Neque apud Majores Tuos, qui adeò ſagatis virtutibus præfulgebant, omnis militiæ, nullus literis fuit honor. Ut taceam enim ſcholas, quæ ſemper & paſſim fuerunt: non tantùm ſuum erga ſtudia amorem comprobavit, ſed & magnum ad literarum decus attulit adjumentum, Divus Avus, Sereniſſimus quondam Dux, JOHAN ADOLPHUS; dum Bibliothecam, tam numero librorum quàm delectu celeberrimam, in ſua Gottorpienſi arce, magno ſumtu ac pretio collegit. Hanc, parum TIBI eſt, DOMINE, Tuis non minoribus impendiis multum auxiſſe, & in dies augere: proſpexiſti quoque, ne deſint, qui Bibliothecâ (neque enim deerit uſuris) utantur. Fallor, an

futurum

futuram Academiam Divus Avus augurio quasi quodam prospexit, an fato fuit compulsus ad erigendum monumentum, quod olim ejus usibus deserviret? Certè auspicatis cœptis TUIS prælusit, quasi non locaturus Bibliothecam, nisi TU aliquando Academiam locares. Quantò verò est beatius, Academiam, quàm Bibliothecam habere; tantò Tu, DOMINE, es felicior, quòd utramque habeas; TUO alteram; alteram Divi Avi auspicio. Atque adeò hactenus Majoribus TUIS, nisi ætate & experientiâ, virtute certè & gloriâ non cedis. Major ut prædiceris, non sinit TUA moderatio; ne quidem, ut æqualis: minor verò etsi TIBI ipsi in oculis & judicio TUO sis, ne tamen nobis videare, obstat TUI apud nos admiratio. Sis sanè minor in plurimis: si virtutum contentione æqualis, & unius hodierni operis gloriâ major es; non potes haberi minor. Divi Parentis factis factum hodiernum TUUM non verè comparatur, quia non ita est TUUM, quin quoque illius. At facta illius inter se conferenti, dubito, an ullum possit videri præstantius, quàm hodiernum. Quantum est, quod Slesvicensem Domum in omnes potestatis gradus, & Majestatis apices, adauxit, ut, si quisquam Majorum, ipse AUGUSTUS dici meruerit? Cùm absoluti jura imperii, Dominationis insignia, & supremæ jurisdictionis titulos ei adstruxit. Jam itaque Slesvicensibus TVIS, DOMINE, non, ut rationem redditurus, sed Tuopte arbitrio imperas: dummodò imperio ita apud TE constet ratio, ut Deo probare possis. Eoque eminentior TIBI cessit Majestas, & propius ad Deum accedis, quò minus alienâ, & magis voluntate TUA agis. Indulge autem mihi, PRINCEPS, ut præ illo etiam facinore hodiernum laudem. Sitne enim dignius, an verò cum sit gratius mihi, esse etiam dignius videatur, arbitrandum relinquo: dum liceat mihi hodiè pietatis meæ esse, cujus est votum, ut dignissimum videatur. Multum, fateor, est, inque Principe beatissimum, à nemine cogi posse: at vera demum est libertas, ignorantiæ, & ruditatis, ac vitiorum vinculis solutum, sibi ipsi prospicere, aliis autem præesse posse. Hujus felicitatis hodiè nobis amplissimam spem fecisti, dum literarum & disciplinarum studia, quibus abstergitur ignorantiæ labes, & impotentia animi, ferociaq; expugnatur, hîc quasi habitare, & coli frequentariq; jussisti. Quod si ipse Divus Parens, quadam Dei indulgentiâ, his sacris interesset: magis hodiernum beneficium, quam omnia sua merita factaq; laudaret. Neq; inter TUA, DOMINE, facta, vel ornamenta, vel delitias, & quæcunq; Aulæ sive consueta decora, sive TUÆ Serenitati propria fastigia, quantùvis pretiosa, magnifica, admiranda, quicquam putârim esse, quod ipse hodierno operi æquare, nedum præfer-

re poſſis, veliſque. Non poſſum optimum arbitrari Principis opus, cujus nomine non ſtatim, qui fecit, optimus Princeps eſſe intelligatur. At pleraque, quæ luxurianti ſeculo ſunt in delitiis, non magis boni quàm mali ſibi vendicant Principes, ſeu faciendo, ſeu posſidendo: ſæpè adeò mali æmulantur, ut bonos, imò optimos gloriâ vincant. Tùm adeò quædam perfida ſunt, ut, ſi præſertim alium dominum ſortiantur, nemini minorem, quàm auctori ſuo, gratiam referant: obliviſcuntur quaſi hujus, dum alius uſibus deſerviunt. Alio, ac meliore ingenio literæ ſunt: non amant, niſi bonos; neque niſi à bonis amantur: quærunt bonos; à bonis quæruntur: posſidentibus ſe, tantò minus perfidæ ſunt, quantò plus cum virtute habent commercii: ab hac ſumunt initium, hac adoleſcunt, hac ſtant, in hanc deſinunt. Itaque quod boni Principis proprium, & TUA BONITATE, OPTIME PRINCEPS, dignum eſt, facis, dum inter Regiminis TUI tot momenta, literarum quoque, nec deſultoriè, ſed ut Stator, ut Nutritius, ut Pater, curam agis: & quò melius de his mereberis, eò magis gratas reperies: æſtimant enim beneficia TUA, penſitantq; quanti ſit, Se, quaſi exilio olim punitas, nunc recipi, ac pene extinctas liberalisſimis impediis refoveri. Sed quæ TIBI ab illis gratia? Quâ nec major, nec bonitate TUA dignior eſt, memoria beneficii, ac laus benefacientis, lata, diuturna. Parum TIBI jam eſt, Holſatiæ TUÆ terriſq; finitimis optimum videri: parum, huic ætati innotuiſſe: extero quoque orbi TE laudant literæ, venturiſque ſeculis laudabunt. Neq; poteſt jam laus TUA cohiberi, ne ab ipſa quidem invidiâ, quin iisdem, quibus literæ, ſpatiis peregrinetur, & unà cum illarum monumentis in momenta æternitatis progrediatur. Cum enim omnia mortalitate ſint damnata, TE tamen, quaſi hac lege exemtum, futuræ famæ & immortalitatis præſumtio magis, quàm præſentium temporum laus delectat. Neque alio Majores TUI, quam literarum ſubſidio, caducam mortalitatem exceſſerunt. Marmora, aurumque & argentum ſatis quidē, quanquam non ſine oblivionis vel negligentiæ periculo, ora vultumque exprimunt: at virtutes & merita, nec expresſiùs, neque tutiùs, quàm literarum monumentis inſcribuntur; quæ, quò parabiliori conſtant materia, eò plura, & latiùs loquuntur, minuſque pereundi periculo ſubjacent. Hoc uno, ſed haud paulò es felicior, quòd cum Majorum TUORUM merita pinxerint alienæ, TUA nunc domeſticæ, & Civitate donatæ literæ, Muſæque pingant, tantò rectiùs laudaturæ, quantò propiùs & magis iis fruuntur.

Admodum ergo ſimus ingrati, niſi in grates & laudes, in vota & omina, quicquid in nobis ſive linguæ ſive mentis eſt, conſpiratâ

con-

contentione expromamus. Non is equidem ſum, qui tam ſplendidum auditorium ad debita pietatis officia admoneam: neque ſi vellem, efficaciùs monere poſſem, quàm feci totâ hac oratione, cum cauſas reddidi. Video autem omnes jam ab ſe, & magis meipſo, incitatos, ferventeſque, ut in ruborem dari poſſim, quòd paria pari calore necdum fecerim, nec faciam. Cui autem potius, & cuinam majores gratias, quàm TIBI, ÆTERNE DEUS, qui nobis hujus felicitatis es auctor, agamus? Parum eſt, quod TIBI pro iſthoc beneficio nos ad quantæcunq; gratiæ laudumq; hoſtiam devovemus: tum magis grati erimus, cum dignos tanto munere nos præſtiterimus: Sed cum ne hoc quidem poſſimus, ſine TUO auxilio; dignitatem quoque nobis, & muneri TUO adde perpetuitatem. Nulla autē nobis extra Principem noſtrum, nulla Principi extra TE ſalus. Serva itaq; illum nepotibus ac pronepotibus noſtris, & poſt ſera, quibus cœlo redonabitur, fata, da ſucceſſorem, quem genuerit, quem formaverit, quem ſui ſimilem reliquerit, in quo minus deſiderari poſſit, & in quo non minus, quàm in ipſo, beata ſit Cimbria, ac Cimbrica Academia. Ne verò in præſentibus defixi, abſentûm merita negligamus, agnoſcimus quoque & fatemur, gratias nos immortales debere Auguſtis Romanorum Imperatoribus, FERDINANDO III, qui nunc inter Divos agit, & LEOPOLDO PRIMO, qui hodiè Germaniæ Decus & Præſidium eſt. Ingens utriuſque beneficium: dedit ille privilegia, ſine quibus hîc non poterat eſſe Academia; nunc autem tanto eſt felicior, quanto illuſtriora dedit: hic, illo lætis ſucceſſibus mortalitate prærepto, quaſi de integro dans, ſuffragio ſuo non tantum ea auxit, ſed & per quem publicarentur, in gloriam ſuam ſubſtituit. Hunc itaq; Auguſtum Cæſarem in TE, Excellentiſſime Commiſſarie, abſentem quaſi præſentem veneramur: ab hoc, per TE, eadem accepimus beneficia, & eadem auctoritate, quæ & quâ ipſe præſens dediſſet. Singulariſſimè autem me obſtrictum ſentio & fateor, cui ſceptra & inſignia Regiminis Academici, antehâc hîc nunquam viſa, inſolenti pompâ, primùm tradidiſti. Supra omnia verò ſunt, quæ præceſſerunt, merita TUA, cum in Rempublicam, tum in novam Academiam, quibus nemini, niſi Sereniſſimo Cimbrorum Duci, & ejus Divo Parenti, Academiæ Fundatoribus, cedis; ſed ita tamen, ut poſt ipſos TIBI prima gloria debeatur. Quantum ad hoc Muſis ſacrum negotium contuleris, verba ſatis digna, quibus id exprimam, reperire non poſſum, nec ſi reperirem, tempus ultrà me loqui ſineret. Mirantur & ſtupent, Tuamque prudentiam magis, an conſtantiam laudent, ambigunt, qui recordantur, per quot difficultates & impedimenta e-

lu-

luctandum TIBI fuerit. Nunc audiebas, sat Academiarum esse in vicinis & remotioribus locis, & videri earum multitudine Germaniam laborare: nunc, utilius collocari posse tam amplos sumtus, præsertim post infelicia Holsatiæ fata. Aliàs Studia & Studiosorum mores culpabantur: aliàs lites inter Equestris & Civici Ordinis Studiosos timebantur. Non fortius contra Hydram Lernæam Hercules, quàm TU, Acerrime Literarum Vindex, contra illa omnia visus es pugnare: adeò, ut, dum illa, fata ipsa debellâsse videare. Hâc gloriâ jam cœlo & immortalitati vindicatus es, literis nunquam & nusquam TUA merita tacentibus: Sed precamur, quàm diutissimè mortalium commoda, salvus & incolumis, juves dispensesque, nec prius cœlum TE poscat, quam merita TUA terræ capacitatem excedant. Nunc ad TE, Serenissime Cimbrorum Dux, & ad Divum Parentem, à quibus exorsa est, redit oratio mea: ut, in quibus initium feci, in iisdem finem gratiarum agendarum faciam: quanquam prolixius gratias agere non possum, quàm egi totâ hac oratione, dum beneficia Vestra, non laudavi quidem, at narravi. Sufficit moderationi Vestræ, si omnes inter mortales, qui hodiernæ felicitati favent, nulli magis, quàm VOBIS, obligatos nos esse, agnoscamus & fateamur. Alii, cum VOBIS obstinatum esset, habere Academiam, contulerunt, quod poterant: Vestrum verò erat auspicium; à VOBIS liberalissimi sumtus, & publici spectaculi decora; penes VOS denique totius negocii auctoritas & arbitrium. Ad TUAM autem indulgentiam, Auguste Patriæ Pater, ego præ cæteris, quos in novum hunc Parnassum recepisti, pertinere videor, quòd, cum ipse sis Magnificentissimus ac perpetuus Academiæ Rector, quem titulum humillimè ac devotè grator, me tamen Prorectorem, in proximum Semestre, & quod honoratius est, primum esse, primumque in tam splendido consessu renunciari volueris. Equidem hanc provinciam, licet alibi aliquoties mihi administratam, tantò difficiliorem fore prospicio, quantò operosioris est operæ, nascentem Academiam, ut adolescat, quàm adultiorem, ut sarta tectaque conservetur, juvare. Quicquid interim vel cultûs ingenii vel virium in me animi est, TUIS, DOMINE, obsequiis, & Academiæ incrementis devoveo; meritisq; TUIS æqualia bona precor: quanquam, quæ potius precer, ambigo: mereris enim, quicquid supra cunctam mortalium sortem est. Sit primum, sit ultimum, & virtutis TVÆ præmium, & pietatis meæ votum, ut MORTALIS NIHIL MORTALE SENTIAS. Annue, ter Sancte Deus, & quod acclamam9, FELICITER! dictum ac factum jube.

Post illa Secretarius, jussu Dn. ProRectoris, leges Academicas recitavit, quas aliâs typis impressas hic omisimus.

ODÆ
Concertantes
Quas
Variis Vocibus & inſtrumentis in Actu
Inaugurationis, luſit Muſicorum
Chorus.

Compoſitione

Serenisſimi ac Celſisſimi Principis,

Capellæ Magiſtri

AUGUSTINI PFLEGERI.

Idcircò huic Operi inſertæ, & literis,
E. F. G. H. I. K. diſtinctæ, quod earum
ſuavitas peregrinam quoque mereatur
gratiam: atque præſenti rerum
Deſcriptione, frequens inter-
cedat mentio, & me-
moria.

(.lit. E.)


Hymnus
in
FERDINANDUM III. CÆSAREM GLORIOSISSIMUM.


Plaude Musa Ferdinando, plaude Musa Cæsari,
Age grates, cane laudes, quate chordas,
Meritorum memor, ô Diva, priorum,
Et aprico glomera jubila cœlo,
Ut & ipsis venerandum resonet nomen in astris.
Plaude Musa Ferdinando, plaude Musa Cæsari!
Cape laurus vidui germina Pindi,
Sacra plectris & amicis sacra sceptris,
Virides rore sacro perplue ramos,
Positas sacra adole nunc humilis thura per aras.
Plaude Musa Ferdinando, plaude Musa Cæsari!
Modo noster chorus illum celebrabit,
Quod egenis tribuens c[illegible]ia Musis
Spatiosis bene protexer[illegible] alis,
Modo cuncti sacrosanctum trepidâ voce salutant.
Vivat inter astra Cæsar, vivat ejus gloria!
Sibi sanctum memorat *Cimbria* Nomen,
Et in ipso pretiosum notat auro,
Age divos, Pater, huc exere vultus.
Novus istis Helicon, Te Duce, nunc nascitur oris.
Vivat inter astra Cæsar, vivat ejus gloria!
Ita junctis precibus dicimus omnes.
Tibi laudes recinemus, Tibi grates,
Sua donec numerabit Polus astra,
Et hiulcos glomerabit Thetis interflua fluctus.
Regnet inter astra Cæsar, duret ejus gloria!
Tibi celsas tribuet Fama quadrigas,
Neque terris bene claudenda nec astris,
Quot amicos fovet hîc Pindus alumnos,
Totidem nunc tibi linguas, totidem solvimus ora:
Plaude Musa Ferdinando, plaude Musa Cæsari!

à 10. 2. Can: Alt: Ten: Baſſ: 5. Viol:





à 10.
Viol. 1.
Viol. 2.
Viol. 3.
Viol. 4.
Viol. 5.
Cant. 1.
Cant. 2.
Plau de Musa FERDINANDO, plaude Mu sa CÆSARI
Alt:
Plaude Musa FERDI-
Ten:
Bass:
Plau de
Bass: Cont:



ANDO,plau de MuſaCÆSA RI
Plau de Mu ſa FERDINANDO,plaude Muſa CÆSARI
Mu ſa FERDINANDO plaude MuſaCÆSA RI


Plaude
Plaude
Plaude
Plaude
Plaude Musa *Ferdinando* plaude Musa *Caesa ri*
sequi:

.2. Violini: è Basso.




à 2. Can:



Mo do nosterCho rus il lũce lebrabit quod egenis tri bu ens tiaMusis spa ti-
Modo noster Cho rus il lum celebrabit, quod egenis tribu aso ti a Musis spa ti-
osis, be neprotexerit a lis modo cuncti sa cro sanctum trepi da
be ne prote xerit a lis, mo docuu cti sacro sanctum trepi da
vo ce salutant.
vo ce salu tant.
sequit:

à 10.



Viol. 1.
Viol. 2.
Viol. 3.
Viol. 4.
Viol. 5.
Cant. 1.
Cant. 2.
Vi vat in ter a ſtra CÆSAR, vi vat ejus glo ri a
Alt:
Vi vat inter a ſtra
Ten:
Baſſ:
Vi vat
Baſſ: Cont:



Vivat inter aſtra &c. ut ſupra. ſequit


Vivat
Vivat
Vivat
Vivat
Vi vat inter a stra Cæsar vivat ejus glo ri a
ſequit:

à 3. Alt. Ten. Bass:






Vivat inter astra Cæsar &c. ut supra. sequit:

D


â 2. Can:



I ta jun ctis pre ci bus di cimus omnes ti bi lau des re ci ne mus, tibi gra tes
I ta jun ctis pre ci bus di cimus omnes ti bi lau des re cine mus tibi grate
6 4
ſuado nec nu mera bit Po lus a ſtra & hiulcos glo me ra bit Thetis inter flu a fluctus.
ſu ado nec numera bit Polus a ſtra & hiulcos glomerabit Thetis interflu a flu ctus.
ſequi

à 10.




Viol. 1.
Viol. 2.
Viol. 3.
Viol. 4.
Viol. 5.
Cant. 1.
Cant. 2.
Re gnet in ter a ſtra CÆSAR, duret ejus glo ri a
Alt:
Regnet inter a ſtra
Ten:
Baſſ:
Re gnet
Baſſ: Cont:


Cæ ſar du ret e jus glo ri a
Regnet in ter a ſtra Cæſar duret ejus glo ri a
in ter a ſtra Cæ ſar du ret e jus glo ri a


Regnet
Regnet
Regnet
Regnet
Regnet inter a stra Cæsar duret ejus glori a

E sequit:

à 3. 2, Viol: Baſſ:



Plaude Muſa &c. ut ſupra. Fini

(.lit. F.)

Hymnus
in
LEOPOLDUM CÆSAREM INVICTISSIMUM.

Magne Cæſar, ſumme Princeps,
Seculi ruentis Atlas,
Qui ſacris ſublimis alis,
Te per omnem pandis orbem,
Te fides ſonent canoræ,
Te tubæ canant ſonoræ,
Cane ſummum, cane Clio, Leopoldum.

Funde rivos gratiarum,
Sparge largiore vultu,
Luminis fulgur ſereni,
Et ſacris benigne noſtris
Adde lumen, adde Numen:
Nam tuo ſtant illa nutu.
Cane ſummum, cane Clio, Leopoldum,

Exules reducis artes,
Et pias foves Camœnas,
Sedibus locans quietis.
Noſtra, TE favente, Tellus
Excipit, fovetq; Muſas,
Voce nunc ſonemus altâ:
Cane ſummum, cane Clio, Leopoldum.

Chriſtiani Rector orbis,
Corporis mens alta tanti,
Nos tuo nutrimur ore;
Nos tuo movemur orbe,
Nos tuis latemus alis,
Nos tuis tenemur ulnis
Cane ſummum, cane Clio, Leopoldum.

Te


Te vigente cuncta florent,
Te favente cuncta gaudent,
Te fovente cuncta fervent;
Te jubente cuncta parent,
Quicquid eſt noſtræ ſalutis,
Hâc ſalute ſtat supremâ.


Cane ſummum, cane Clio, Leopoldum.

Sit tuum perenne Nomen,
Perq; gyros ſeculorum,
Per remotos ſerpat orbes,
Et per omne creſcat ævum,
Teq; Cæſarum ſacratis
Adde ſerò ſidus aſtris!


Cane ſummnm, cane Clio, Leopoldum.

à 7. 2. Violin: 2. Can: A. T. B.
Tenore ſolo.




7.
iol. 1.
Capella.
iol. 2.
ant. 1.
Ca ne summũ cane Clio Ca ne *Leopoldum* cane summũ cane
ant. 2.
Cane summũ cane Clio ca ne *Leopoldum* cane summũ cane
lt.
Cane summũ cane
en.
Cane summũ cane Clio cane *Leopol dum* -
Cane summum
aſſ:
Cane summũ cane Cli o cane *Le o poldum* ca ne summum
aſſ: Contin:
Capella.


F


Clio cane *Leopoldum* cane *Le o pol dum*, :/: :/:
Clio cane *Le o poldum* :/: :/: :/:
Cli o eane *Le o pol dum* :/: :/: :/:
cane Clio *Leopol dum* :/: :/: :/:
cane Clio *Le o poldum* :/: :/: :/:

2. Can:



Funderi vos gra ti a rum ſpar ge lar gi o re vul tu lu mi nis
Fun de rivos gra ti a rum ſparge lar gi o re vul tu lu mi nis
ful gur ſe re ni Et ſa cris be nigne no ſtris adde lumen ad de Numen
ful gur ſe reni Et ſa cris be ni gne no ſtris adde lumen adde Numen
Nam tuo ſtant il la nutu ſtant il la nu tu Cane ſummũ cane Cli o cane
Nã tu o ſtant il la nutu ſtant il la nu tu. Cane ſummũ cane Clio ca ne
Capella ut ſupra.
Le o pol dum cane ſummum.
Capella ut ſupra
Leo poldum cane ſummum.
Capella ut ſupra.

à 3. 2. Violin: Bass:





Ca ne ſummum ca ne Cli o ca ne Le o pol dum ca ne
Capella ut ſupra
Capella ut ſupra
Capella ut ſupra
Le o pol dum ca ne Le o pol dum :/: cane ſummum.
Capella ut ſupra

Tenore solo.


Chri sti a ni Rector Orbis corporis mēs alta tanti Nos tu o nutrimur ore nos tuo movemur or
be nos tu is la te mus alis nos tu is te ne mur ulnis ca ne sūmū cane Clio cane
Le o poldum
Ca ne sum me ca ne Cli o ca ne Le o
Cane sūmū cane Clio ca ne
Cane sūmū cane Clio ca ne
pol dum ca ne Le o pol dum


Capella ut ſupra
Le o poldum ca neLeo pol dum cane ſummum cane
Capella ut ſupra
Le o pol dum ca neLeo pol dum caneſummum cane.
Capella ut ſupra
anto ſolo.
Te vigen tecunctá florent Te favente cũcta gaudẽt Te fovẽte cũcta fervent, Te jubente cũcta pa-
rent quic quid eſt no ſtræ ſa lu tis hâc ſa lute ſtat ſu premâ ſtat ſu pre-
mâ ſtat ſupremâ ſtat ſuprema


Cane ſummũ ca ne Clio
Cane ſummũ cane Clio
Cane sũmũ cane Clio ca ne ca


ca ne Leo pol dum
ca ne Leo poldum.
ne eane Le o pol dum.
Capella ut ſupra.
Capella ut ſupra
Capella ut ſupra.
3. Viol. Baſſ:
Sit tu um pe ren ne no men perque gy ros ſe cu-


lo rum per remo tos ſer pat or bes & per omne cre-
ſcat æ vũTequeCæ ſa rum ſa cra tis ad de ſero ſy dus aſtris ad de ſe
ro ſy dus a ſtris Cane ſummum cane Cli o ca ne


Cane sũmũ caneClio ca ne *Leopoldum* cane ſummũ cane
Cane sũmũ cane Cli o ca ne *Le o pol dum* cane ſummum
Le o pol dum Cane ſummũ caneCli o cane *Le opoldum* Cane ſummum
Capella, ut ſupra.

FINIS.

(. lit. G.)

Hymnus
in
FRIDERICUM PRINCIPEM
GLORIOSÆ MEMORIÆ.

FRIDERICE, qui per aſtra,
Et poli patentis orbes
Ambulas æternus hoſpes,
Quem ſenectus nulla carpit,
Huc ſerenos, Dive, vultus
In tuos reflecte *Cimbros*.

Mille vota Friderico, mille plauſus fundimus.

Quæ tot expetita votis,
Et tuo decreta juſſu,
Gloriæ litans perenni
Feſta Natus ſancit ingens,
Euge! ſi quæ cura noſtri,
Huc ſerenos verte vultus.

Mille vota Friderico, mille plauſus fundimus.

Ecce totus hiſcit æther,
Et piis gratatur auſis
Ipſa nunc Themis revertens,
Se perenni veſtit auro.
Siderum ſtrepunt choreæ,
Sibilantque dulce carmen.

Mille vota Friderico, mille plauſus fundimus.

Mille gliſcunt ecce! vota,
Fauſta nunc precantur omnes,
Læta plaudit hinc juventa,
Pars ſonantes inde chordas
Erudito carpit ungue,
Mutuasque dant Camœnas.

Mille vota Friderico, mille plauſus fundimus.


Eſte nunc procul profani,
Hinc abeſte nubiloſæ
Ætheris minantis umbræ,
Ite Muſicæ cohortes,
Ite Civium coronæ,
Ite fronde laureatâ,

Mille vota Friderico, mille plauſus fundite.

à 8. 3. Viol: 5. Voc.





Simphonia à 3. Viol.




ſequit.

Tenoresolo cum Violis.





Huc ſerenos Dive vultus in tu os re flecte Cim bros.
76 6 4 4
Mille vota Fri de ri co mille plauſ9 fundimus mil le vo ta mil le plauſ9 mille mil le plau ſus
Mille vo ta Fri de rico mille plauſus fundimus mil le vo ta mille plauſus mil le plauſus


fundimus mil le vota Fri de rico mille plauſus fundimus mil le vota mille plauſus ſun di mus.
fundimus mille
Mille
Mille
Mille
Capell.

3. 2. Viol. è Baſſ:





no ſtri Eu ge Eu ge huc ſe renos ver te vultus
76
Mille vota ut ſupra
Ecce totus hiſcit æther & piis gra-
Mille vot: ut ſupra.
Ecce totus hiſcit æther &piis gra-
Millevot: ut ſupra.
Huc ſe renos verte vultus
Mille vot: ut ſupra.
à 2. Can:
ta tur au ſis ip ſa nũc Themis rever tens ſe peren ni veſ
tur au ſis ip ſa nũc Themis rever tens ſe peren ni veſtit



2. Viol. 2. Cant: Baſſ:




chordas e ru di to carpit ungue car
pit ungue
pars sonan tes in de chordas e rudi to car
pit ungue
pars sonantes in de chordas e ru dito car
pit un gue
pars sonantes in de chordas e ru di to car
pit



Mille ut supra sequit;

à 2. Can:


E ste nũc procul profani hinc abe ste nu bi losæ æ theris mi nan tis umbr
Este nũc procul profani hinc abeste nu bi lo sæ æ theris minan tis um bræ
6 76
I te Mu sicæ co hortes i te ci vium co ronæ i te fronde lau re atâ mille vota *Fri de*
I te Mu sicæ co hortes i te civium co ro næ i te fronde laure a ta mille vota *Fri de*
ri co mille plausus fun di te mille vota *Fri de ri co*;
ut supra.
rico mille plaus9 fun di te mille vota *Fri de rico.*
ut supra.
ut supra.

FINIS.

(lit.H.)

Hymnus
in
CHRISTIANUM ALBERTUM
DUCEM SERENISSIMUM.

MAgne Magni Nate Patris
Cimbriæ Dux Magne, salve;
Magne CHRISTIANE salve,
Summe nostri Phœbe Pindi,
Te Chorus noster Parentem,
Te salutat ille Regem
Mille, Musa, Christiano, mille necte laureas.

Laude Princeps major omni,
Omne Tu punctum tulisti.
Quæ tot expetita votis,
Illa Tu nunc unus imples.
Te Chorus &c.

Regna Tu nobis beata,
Sceptra condis & tiaras,
Regiaque gestientes
Purpura cingis camœnas.
Te Chorus &c.

Ecce nunc ebullientes
Castall fontis canales!
Dum tuos Apollo montes
Luce perpluis serenâ.
Te Chorus &c.


Triga plaudit Gratiarum
Ter trium cœtus sororum
Fontes ecce Pegasei
Mille nunc propinat haustus.
Te Chorus &c.

Mille nnnc Thalia crenas
Nomini tuo fatigat,
Mille dedolat tabellas,
Mille Clio plectra pulsat.
Te Chorus &c.

Quo-

Quotquot his foventur umbris,
Quotquot his vefcuntur auris
Quotquot his rigantur undis
Mille concinunt triumphos
Te Chorus &c.
Vive CHRISTIANE Princeps,
Dulce magni fidus orbis
Te mori vetant Camœnæ
Te canant feri nepotes.
Te Chorus primum Parentem,
Te falutat ille Regem.
Mille nectant Chriftiano fecla mille laureas.


à 9. 2. Violin: 2. Viol. da Gamba. & 5. Voc.



à 3. 2. V. da Gamb: cum Ten:




no ſtriPhœbe Pin di Te Cho rus no ſter Pa ren tem te ſa-
lu tatil leRe gem mil le Mu ſa *Chriſti* *a* *no* mil le mil le ne-
cte laure as *Chri ſti* *a* *no* mil le mille ne cte lau re as.



Tutti.
Te chorꝰ noſter Parẽtẽ te ſalu tatil le Regem mil le Muſa Chriſti a no mille ne & te laure-
Te Chorus &c.
Te Chorus &c.
Te Chorus &c.
Te Chorus &c.
Te Chorus &c.
Tutti.


à 2 Ten: & Viola da Gamba.
Lau de Prin ceps ma jor omni
as mille necte laurè as,
omne tu punctum tu pun ctum tu li sti
quæ tot ex pe ti ta vo tis




Te Chorus ut ſupra,

à 3. 2, Violini è Baſſo.






Re giaque gestien tes purpu racin gis camœ nas.
Regiaque gesti en tes pur pu racingis camœ-
nunc cingis ca moe nas
à 2. Cant.
Ec ce nũc ebulli entes ca sta-
Ec ce nũcebullientes ca sta-




Te Chorus &c, ut supra.


à 3. A.T.B.





cœ tus ſo ro rum ter trium cœtus ſoro-
ro rum cœ tus ſo ro rum ter trium cœtus ſororum ſo ro-
Ter tri um cœtus ſo ro rum ter trium cœtus ſo rorum ſoro-
rũ fontis ecce Pe gaſe i mil le nunc pro pi nat hau-
rũ fontis ecce Pe ga ſe i mil le nunc pro pi nat mil le nunc pro pinat hau-
tũ fontis ecce Pe ga ſe i mil le nunc pro pi nat hauſtus propinat hau-
ſtus mil le nunc propi nat hau ſtus.
ſtus mille nunc propinat pro pinat hau ſtus.
ſtus mille nuuc propi nat pro pi nat han ſtus.
Te Chorus &c. ut ſupra.

à 5. Cant. sol. cum 4. Viol.





mil le Clio plectra pulsat
mil le Clio plectra pul sat.


mil lemille mil le Cli o plectra pulſat.

à 2. Cant.


Quotquot his ſo ven tur umbris,quotquot his veſcũtur auris quotquot his r igantur undis mil le
Quotquot his ſo ventur umbris quotquot his veſcũtur auris quotquot his rigãtur undis
concinunt triumphos
:/:
mil le con cinunt triumphos cõ:



Ten. è Viola da Gamba.
Vi ve CHRISTI A NE Princeps dul ce ma gni
si dus or bis te mo ri ve tant ca mœnæ
te ca nent te ca nent se ri ne po tes.
Te Chorus &c. ut supra.

FINIS.


(Lit. I.)

FERDINAND Fürst aller Fürsten und Herren/
Mehrer und Schützer der Christlichen Welt.
Atropos kan Euren Ruhm nicht versperren/
Ob sie den seeligen Cörper schon hält.
Grosser Herr Vater ihr lebet im Sohne/
Welchem diß alles zun Füssen sich legt/
Welcher den Lorber und güldene Crone/
Neben den Lasten des Reiches nun trägt/
Welcher die Cimbrische Musen erhebet/
Und mit so trefflichen Freyheiten ziert.
Grosser Monarche/wachßt/ blühet / und lebet/
Lebet/und blühet/glückseelig regiert/
Stützet/ und schützet mit gnädigen Händen /
Unseres Helicon wachsende Bluhm.
Wir wollen alle Mühe fleissig anwenden /
GOTT und dem LEOPOLD Ewig zum Ruhm.


5. 4. Viol. Canto solo.





mphonia à 4. Viol.






Ferdinand Ferdinand Fürst aller Fürstē vñ Herrē/Mehrer und Schützer der Christlichen Welt
A tropos kā Euren Ruhm nit/versperrē/ob sie denseligen Cörper schō hält. Grosser H. Vater jr lebet in
Sohne/welchē diß alles zū Füssen sich legt/welcher dē Lorber uñ güldene Crone neben dē Kasten deß



Reiches nũ trägst
Welcher die Cimbrischen Musen er-



bet / uud mit so treff lichen Freyheiten ziert.


Grosser Monarche/wachßt/blühet un̄ lebet/
:/:
Lebet und blühet glückse lig regiert


Lebet uñ blühet glückselig regiert
:/:
glückse lig re giert/
stützet nũ schützet mit gnä digen Händen/unseres Helicons


wachſende Blum
ſtützet uñ ſchützet mit gnädigẽ händẽ unſeres Helicõs wachſende
Blum
ſtü tzet und ſchü tzet mit gnä di gen Händen


unseres Helicons wach sende Blum.
Wir wollen
al le Müh fleissig anwen den GOtt uñ dẽ Le opold e- wig zum Ruhm.


wir wollē al le'/ wir wollen al lē Müh fleissig an wenden
:/:
Piano
P.
:/:
GOTT uñ dem LEOPOLD ewig zum Ruhm.
piano


GOTT und dem LEOPOLD ewig zum Ruhm.

(Lit. K.)


Mächtiger FRIDERICH außbund der Helden/
Dessen Ruhm ewig die Fama wird melden/
Sehet von fernen/ wo bey den Sternen/
Eure hochselige Seele nun wohnt/
Wo der Astreen, Schwert ist zu sehen/
Daß einem jeden nach rechten belohnt.

Sehet o glücklicher Hertzog von oben/
Was an euch billich war jemals zu loben/
Jetzt an den Reben/ den uns gegeben/
Eures Geblütes Hochfürstlicher Stamm/
Sehet im schwange/ was so gar lange/
Euch in Gedancken und vornehmen kam.


Aller der Römer und Griechen Camœnen/
Aller Welt Sprachen und Künste Sirenen
Lassen sich schauen/ eilen zu bauen/
Recht ein beständiges ewiges Hauß/
Wo sonst Dione, sambt ihrem Sohne/
Siehet zum Fenstern und Dächeren aus.


Kleinot der Fürsten diß trefflich beginnen/
Würd euch unstärblichen Nahmen gewinnen/
Sitten und Leben/ rühmlich erheben/
Alle Welt wünscht und verlanget alhier/
Daß alle Zeiten/ Ewig außbreiten/ (Zier.
CHRISTIAN ALBRECHTS Hochpreißliche


à 5. 2. Violin, 2. Viol. da Gamba, & Cant. solo.




à 5. Viol.





Cant. ſol.
Mächtiger Friderich außbund der Helden/ deſ ſen Ruhm ewig die fa ma wird mel den
ſe het von fernen wo bey dē ſternē Eure hochſeli ge See le nūn wohnt/wo dʼ Aſtreen ſchwert iſt zu ſe hen/
daß einem jeden nach rechten belohnt.
Viola da Gamba ſol.



Cant. sol.
6
4
Se het ô glücklicher
6
4
Hertzog von oben was an Euch billig war je mahls zu lo ben/ jetzt an den Rebē/dē uns gegebē
Eures Geblütes HochFürstl. Stam̃/sehet im schwäge/wz so gar lange/Euch in gedäckē und vornehmē kam.
Violino solo.
6
4
6
4
6 6
6


56 5 6
Can: sol.
Al le der Römer uñ Griechẽ Camœnen al ler welt sprachẽ uñ Kün ste Si re nen
lassen sich schauẽ/eilen zu bauen/recht ein beständiges ewig es Hauß/wo sonst Dione samt ihrem Sohne
siehet zum Dächern und Fen steren auß.
à 2. Violino è Viola da Gamba.


sequit.

2. Can. è Viola de Gamba.





FINIS.

ACTA
Sequentis Diei.
Qui fuit Oct. VI.
ORATIONIBUS
D. D.
PROFESSORUM
Comprehensa.

SLESVIGÆ excudebat JOHANNES HOLVVEIN.
Anno M. DC. LXVI.

ORATIO I.
CHRISTIANI KORTHOLTI,
S. Theol. D. ejusdemque Prof. Ordin.

REVERENDISSIMI, SERENISSIMIQUE PRINCIPES, DOMINI CLEMENTISSIMI, ILLUSTRISSIME COMES, VIRI PER-ILLUSTRES, GENEROSISSIMI, GENEROSI, MAXIME STRENUI, NOBILISSIMI; VOSQUE RELIQUI OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI AUDITORES:

IMpius ille Apostata, idemque blasphemus Christiani nominis hostis, Fl. Claudius Julianus, decessorum suorum exemplo edoctus, *nihil quidquam* adversus fideles Numinis cultores *proficere exquisitiorem quamq; crudelitatem*, sed *plures* illos *effici, quoties metantur à* gentilibus, *& semen esse sanguinem Christianorum*, uti scite alicubi loquitur Tertullianus; alia, pro sua calliditate, rem aggressus est via. Imperavit scilicet Christianorum Scholas claudere, eorundemque Juventutem liberalibus artibus imbui ac disciplinis prohibuit; effecturum se hoc pacto ratus, uti tum ad veram religionem dextre stabiliendam, tum paganorum superstitionem valide evertendam inepti redderentur, quotquot ab idolorum cultu se profiterentur alienos. Vafrum enimvero consilium, & stratagema, quo jam inde ab antiquo, regno CHRISTI insidias struxit, quin hodie etiamnum ei insidiatur, cacodæmon, perpetuus ille Ecclesiæ DEI antagonista. De Aetio, qui, Constantini M. tempore, interpolatam abs se blasphemam Arii hæresin propagare omni ope nisus est, historia memorat, prodiisse ipsum ex aurifabrorum officina, nec in scholis rectè institutum fuisse initio, indeque, ubi Ecclesiæ se doctrinæ immiscere voluerit, ad absurdas mox opiniones impiasque sententias tuendas esse prolapsum. Sic item famosum illum hæreticum Nestorium ex ἀπαιδευσία in errorem, qui tantas in Ecclesia turbas dedit, incidisse, Socrates observavit Scholasticus: quemadmodum &, qui Nestorio se opposuit, Eutyches, *senex imperitus* audit Leoni Magno. Anabaptistæ, &, qui Angliam cumprimis hodie turbant, à *tremendo* nomen gerentes fanatici, quam absurde, quam stolidè, insulse, & ridicule in religionis sese negotio gerant, neminem temere fugit. Quid vero causæ? linguarum disciplinarumque studia, ac universam adeo bonam eruditionem, aversantur, Scholas & Academias, in quibus illa traduntur, superciliosè despiciunt, indeque docere audent, quæ ipsimet didicere nunquam; carpunt quæ non capiunt, imò, ob defectum idoneorum ad-

miniculorum, capere nullo modo possunt. Etenim licet eruditio non sit necessaria cuivis fideli, sic ut singulos Christianos linguas callere scientiasque oporteat, necessaria tamen est ei, qui Doctoris in Ecclesia munere fungi gestit. Hunc videlicet talem vult esse Apostolus, qui *aptus* sit *ad docendum, recte secare* sciat vel partiri *sermonem veritatis, & contradicentes redarguere* valeat iisq; *ora obturare:* quas sane partes ritè sustinere potest nemo, qui solidâ doctrinâ optimisque studiis non sit instructus. Quandoquidem enim S. Paulus (ut intimius aliquanto ipsius verba contemplemur) aptum ad docendum esse vult Ecclesiæ doctorem, Scriptura autem sacra, vernaculum illud, unde omnis Christiana doctrina peti debet, principium, Hebræo partim & Chaldæo, partim Græco sermone à primis sui autoribus θεοπνεύστοις est edita, istarum linguarum notitiam (ut de aliis nunc taceamus) Theologo apprime necessariam esse, res ipsa loquitur. Licet namque translationes hodiè extent divini codicis probæ satis & accuratæ, illarum tamen omnium fides & autoritas in hoc unicè est sita, quod eadem dicere ostenduntur & exprimere, quæ habentur in fontibus, ac profecta fuerunt ab illis, quorum operam immediatè Spiritus Sanctus moderatus est, sic ut in scribendo labi errorem ve committere nullo modo quiverint. Dum verò amplius Episcopum Apostolus jubet ὀρθοτομεῖν, sive recte secare vel partiri verbum Dei, quis non videt, impares tanto muneri futuros omnino, quotquot artem, quæ res legitimè inter se connectere docet, & quid cui cohæreat aut non cohæreat, ostendit, probe cognitam non habuerint? Graviter in hanc rem alicubi communis ille quondam Germaniæ nostræ Præceptor, *Omnino,* inquit, *Ilias malorum est inerudita Theologia. Est enim confusanea doctrina, in qua magnæ res non explicantur disertè: miscentur ea, quæ oportebat sejungi, rursus illa, quæ natura conjungi postulat, distrahuntur: postremo tota doctrina monstrosa est, & similis illi picturæ apud Horatium,*

Humano capiti cervicem pictor equinam
jungere si velit, & varias inducere plumas.

Inprimis autem notari meretur, quod fidelis Ecclesiæ doctoris esse innuat Apostolus, non tantummodo veritatem docere, ordinateque & distincte proponere, sed & propugnare eandem, ubi opus fuerit, adversus hostium impetus, solideque defendere posse. Etenim cum non unius generis armis sæpe instructi sint, qui cælesti se veritati objiciunt, & in omnes occasiones intenti, ut ludibrio exponant Ecclesiæ προμάχους, horum utique est, operam dare, ne adversariorum jacula lateribus magis quam clypeis excipiant, & ita suspectam reddant, quæ per ipsorum latus petitur, fidem orthodoxam. Sane cum olim magno illi Hipponensium Episcopo, Aurelio Augustino, sese opponeret Cresconius Donatista, & vero artis Dialecticæ, quæ disputandi modum unicè præscribit, esset imperitus, *Tu,* inquiebat Augustinus, *Dialectica non uteris, quum contra nos scribis. Ut quid te ergo in tantum disputandi periculum conjecisti, quum disputare non noveris?* Quod orthodoxus Antistes exprobravit hæretico, cavendum omnino, ne hæretici exprobrare possint orthodoxis. Notum plus satis est, quam disputandi rationem in religionis certaminibus hodie servent multi, qui impium divinæ veritati bel-

lum

lum indicunt. Nempe si forsan de sublimi sanctissimæ Trinitatis, vel augusto Dominicæ incarnationis, vel similib⁹, quæ nos ex verbo Dei credimus ac veneramur, illi autem oppugnant & execrantur, tremendis fidei mysteriis, movetur quæstio, principia ut plurimum afferunt Philosophis usurpata, quæ nec ipsi intelligunt, nec recte applicant. Quid heic tam inepte cavillantibus reponendum, obsecro? an sufficiet, in rationem ac Philosophiam impetum facere, & causare, argumentum esse Philosophicum, Philosophiam autem matrem errorum, Philosophos Patriarchas hæreticorum? Imo vero hac ratione ridebunt te adversarii, dicentes cum Augustino: *Ut quid te in tantum disputandi periculum conjecisti, cum disputare non noveris?* Quin potius igitur arripiamus arma, quæ ipsimet nobis antagonistæ porrigunt, iisdemque illos adversus veritatem insurgentes prosternamus. *Etsi* enim, ut scribit doctissimus ille Clemens Alexandrinus, *sibi sufficit, nec opus aliena indiget, doctrina Servatoris, Græcanica tamen Philosophia si accesserit, non quidem validiorem facit veritatem, sed sophisticos insultus ab ea amolitur, insidiasq; avertit.* Adde, quod ex historia etiam & antiquitate, imprimis ecclesiastica, desperatæ suæ causæ præsidium magno molimine quærere soleant, quibus in more positum est, doctrinas nuperas, & χθὲς καὶ πρώην enatas opiniones, vetustatis colore quodam incrustare, iisdemque nunc ex antiquorum Conciliorum actis, nunc ex priscorum Ecclesiæ Doctorum monumentis, autoritatem conciliare velle. Ubi rursus cordatum orthodoxæ fidei propugnatorem agere non poteris, hostiumque debellatorem, si ignoraveris, quæ Synodorum, sive provincialium, sive nationalium, sive œcumenicarum, autoritas, quæ acta intemerata; quomodo item genuina veterum doctorum scripta discernenda à libris, qui magno numero sub eorundem nominibus circumferuntur, suppositiitiis, & qua ratione etiam in genuinis oporteat versari. Taceo, minus feliciter, quæ controversa sunt, expediturum, quisquis antiquorum certaminum ortus, auctus, exitus, hæresiumque doctrinas & confutationes probe non habeat cognitas; & præterea universæ Theologiæ magnum afferre commodum, pervestigare, quantis successibus Christianismus creverit in orbe terrarum aut decreverit; quomodo Ecclesiæ aut institutæ, aut servatæ, aut destitutæ restitutæve fuerint; quis Doctorum ac Episcoporum ordo, labor, progressus; & quæ sunt hujus census plura, de quibus Ecclesiastica nos historia informat. Verum hæc operosius persequi, nec instituti nostri ratio, nec angusti illi, intra quos sermonem hunc coercere jubemur, temporis permittunt cancelli. Arbitror autem, vel ex hisipsis, quæ jamjam monuimus, liquere posse, quam multis opus habeat adminiculis, quisquis paulo majores in sacrosancta Ecclesiæ doctrina progressus facturus est, ejusdemque aliquando Antistes futurus. Sed & porro manifestum hinc esse reor, quanta sit Academiarum, in quibus artes istiusmodi, istiusmodi scientiæ, docentur ac discuntur (de ipsamet Scripturarum accuratiori scrutatione, & intimiori, quod ibi viget, Theologiæ universæ studio, dicere nunc prohibeor) quanta sit, inquam, sublimiorum istarum scholarum necessitas, quanta dignitas, & quantum ad Ecclesiæ emolumentum illæ conferant sinceræq; religionis incrementum. Quod quidem perpendentes jam suis temporibus priscæ ac primitivæ Ecclesiæ proceres, cum infensos præ ceteris Christianæ fidei antagonistas experirentur viros in Philosophia & artibus versatos, nihil prius habuere, nihil antiquius, quam ut intra

Ecclesiæ etiam pomœria scholæ constituerentur, quæ essent veluti divinæ humanæq; sapientiæ officinæ, & omnium liberalium artium mercatus. Hinc circa annum Domini nostri cc Demetrium legimus, Alexandriæ Episcopum, illustrem CHRISTO ludum aperuisse; cui celeberrimi viri, Pantænus, Clemens, Origenes, ex ordine præfuerunt. A quorum ultimo, Origene, inquam, famam quoq; ingentem nacta est schola Cæsareensis, ita ut innumeri illuc ex variis locis confluxerint, tantum doctorem audituri. E quibus, ut Eusebius annotavit, Theodorus & Athenodorus fratres, cum Latinarum ac Græcarum disciplinarum essent studiosissimi, tandem, inducti ab illo suo Præceptore, ad sacras quoq; literas animum appulerunt, in iisq; tantum quinquennio isto, quo Origeni adhæsere, profecerunt, ut ambo, adhuc Juvenes, Ecclesiarum in Ponto Episcopi fuerint constituti. Sic & Justinum Martyrem Romæ διατριβὰς habuisse, atque in his Crescentem, Philosophum ethnicum, impudentissimumque ipsius & universæ Christianæ fidei calumniatorem, refutasse, ex Hieronymo notum. Similiter duo illa sui seculi lumina, Basilius M. & Gregorius Nazianzenus, ubi Athenis prius operam sapientiæ dedissent, in solitarium postea locum secesserunt, ibidemque cum aliis quibusdam eruditis divinarum scripturarum studio sese ac scrutinio totos immerserunt, simulque discipulos suos ad earundem lectionem & meditationem manu quasi duxerunt. Eundem pene in modum Augustinus etiam, magnum illud Ecclesiæ jubar, scholas in Hipponensi suo Episcopatu constituit, sive *monasteria*, ut vocabat, *clericorum*, vel, ut nuncupat Sozomenus, *phrontisteria*. Sed & Germaniam nostram jam inde ab antiquo scholas habuisse inclytas, vel illa Trevirorum docet, ubi Athanasius exul ad tempus substitit, & ubi καθηχήσεως se magistros, una cum Ruffino, audivisse narrat alicubi Hieronymus; hoc ipso insinuans, formam scholarum veterum exhibuisse Germanorum istud Lyceum; quandoquidem & prisco illi eidemque celeberrimo Alexandrinorum pædeuterio, cujus paulo ante mentionem faciebamus, Pantænum, Clementem, Origenem, ut Catechetas præfuisse constat. Liquet porro & hinc, quam fuerit cordi vetustioribus Germanis accuratius sacrarum literarum linguarumque scrutinium, indeque etiam, quæ istiusmodi exercitiis dicatæ sunt, scholæ & διδασκαλεῖα, quod Sunia & Fretela, Germani, Hieronymum, celebratissimum tunc per orbem universum divini Codicis interpretem, de locis quibusdam scripturæ in Latino & Græco discrepantibus consuluerunt, uter textus Hebræo fonti exactius respondeat, inquirentes, Id quod miratus eruditissimus Ecclesiæ doctor, cum eis rescriberet, hunc in modum epistolam suam orditur: *Vere in vobis Apostolicus & Propheticus sermo completus est: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem; & dormitantibus, imo contendentibus Græcis, ipsa Germania Spiritus sancti eloquia scrutaretur. In veritate cognovi, quoniam non est personarum acceptor DEUS, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi. Dudum callosa tenendo capulum manus, & digiti tractandis sagittis aptiores, ad stilum calamumq; mollescunt, & bellicosa pectora vertuntur in mansuetudinem Christianam. Nunc & Esaiæ vaticinium cernimus opere completum: Concident gladios suos in aratra, & lanceas suas in falces; & non assumet gens contra gentem gladium,*

gladium, & non discent ultra pugnare. Rursumq; in eodem : *Pascetur lupus cum agno, & pardus requiescet cum hoedo, & vitulus & leo & taurus pascentur simul, & puer parvulus ducet eos ; & bos & ursus in commune pascentur, parvuliq; eorum erunt pariter ; & leo & bos comedent paleas . non ut simplicitas in feritatem transeat, sed feritas discat simplicitatem.* Successu porro temporis, circa annum Christi Ↄ c, ex Britannia, Scotia, Hibernia, in Germaniam Cisrhenanam, quam interiorem appellarunt veteres; non pauci se receperunt monachi eruditi, (quos inter Columbanus, Gallus, Rumrichus, Leodigarius) ibidemque *scholas*, quales apud suos reliquerant, *monasticas* (sic alicubi vocat Nicephorus) adornarunt. Cumprimis autem circa annum Iↄ c l x x, quando ad CHRISTI fidem conversi sunt Bavari, praecellens istiusmodi excitatum est phrontisterium Ratisbonae, unde prodiere viri & eruditione & vitae sanctimonia illustres, nominatim Gothardus, Huldericus, Wolffgangus, Hardvicus, Conradus, Albertus. Qui cum passim ecclesias per Germaniam scholasq; fundarint, discipulos item suos, ut & ipsi res Ecclesiae promoverent, quaeq; à Praeceptoribus acceperant, aliis vicissim traderent, huc illuc emiserint, factum est, ut plures subinde aperirentur ejuscemodi scholae monasticae, & tandem in septentrionalibus etiam ac orientalibus Germaniae partibus locum invenirent : praesertim ubi circa annum Iↄ cc ex Anglia in Belgium, Frisiam, Saxoniam, cum XII. collegis advenit celebris ille doctor monasticus Wilibrordus; in Franconiam, Bavariam, Thuringiam, Hassiam, cum Bilibaldo, Burcardo, Volrado, Lullo, Wunebaldo, Benfridus (Bonifacius alias dictus) & ipse magister inclytus, fundatorque eximii illius ludi Fuldensis, è quo tot postmodum prodiere viri doctrina vitaeque integritate excellentes. Neque vero ita crevit solummodo Scholarum monasticarum numerus, sed accesserunt etiam cathedrales, à prioribus illis parum differentes, nisi quod, qui in monasteriis docebantur, *Monachi* dicerentur, qui in scholis cathedralibus, *Clerici*; & praeterea ratione disciplinae nonnihil intercederet discriminis, quippe quae in monasticis phrontisteriis severior erat quam in scholis cathedralibus Quibus per Saxoniam excitandis praeprimis operam dedit Carolus, Pipini filius, ab amplitudine ex gloria rerum gestarum Magni cognomen adeptus, pietatis cultor strenuus, literarumque & scientiarum, quae pietatis administrae sunt, fautor maximus. Is enim, ubi Saxones, hactenus indomitos, subegisset, &, ut CHRISTI fidem atque baptismum susciperet, effecisset, episcopatus apud eos complures instituit; Osnabrugae videlicet, Halberstadii, Monasterii, Verdae, Bremae, Mindae, Hildesiae, Paterbornae, adjunctis collegiis, in quibus cum sacrarum, tum aliarum literarum ac disciplinarum studia excolerentur, & Juventus ad obeunda officia Ecclesiae & reipublicae necessaria praepararetur. Unde in Osnabrugensi fundatione Princeps optimus, *Graecas*, ait, *& Latinas scholas ibi in perpetuum manere ordinavimus, nec unquam clericos utriusq; linguae gnaros deesse confidimus.* Ceterum posteaquam temporis successu magnis reditibus locupletari coeperunt variisque accessionibus collegia ista, & luxui pedetentim immergi curisque secularibus, quibus docendi munus erat creditum; in monasteriis insuper auctae in tantum fuerunt ceremoniae & opera, quae vocant, operata, ut studiorum nulla ferè amplius ratio haberetur; prorsus quasi Europa exulavit melior eruditio ; donec, seculo XIII, Aristotelis aliorumque principum Philosophorum & Medicorum scripta, partim Graeca, partim vero ac potissimum

mum Arabica, qualia videlicet Avicenna & Averroes vel legerant vel scripserant, ex Asia in Europam transferri contingeret, & in latinam linguam, auspiciis maxime Friderici II. Imperatoris, converti. Qua occasione è somno veluti suscitata fuere nobiliora ejus ætatis ingenia, & renasci cœperunt optimæ artes atque scientiæ. Interim Germania nostra cum barbarie adhuc colluctabatur, &, qui á solidiori doctrina instructi esse avebant, in Galliam sese aut Italiam recipere cogebantur. Quæ res cum sumptus posceret haud exiguos, in id incubuerunt tandem Germaniæ proceres, ut apud se quoqne illustres aperirentur scholæ. Cumque in extraneis Lyceis non omnes facultates, ut vocant, proponerentur, sed Theologia alibi, alibi autem Jurisprudentia doceretur ac Medicina, studiosè adnitebantur, ut, quidquid hominem ab eruditione commendare potest, unà in iisdem scholis discere liceret. Hinc itaque nata in Germania non Gymnasia tantum, sed & Academiæ ac Universitates. In his Viennensis ab ipsomet Imperatore Friderico, cujus paulo ante mentionem injiciebamus, circa annum cIↄ cc XXXVII, ex Romana & Parisiorum instituta, postmodum anno cccLXI. à Rudolfo, & anno LXVI ab Alberto III. Archiducibus Austriæ, restaurata fuit, tandemque ab Urbano VI. confirmata Qui ipse Pontifex Academiæ privilegia impertitus quoque est, annò LXXXIIX. Coloniensi Lyceo, Viennensi etiam antiquiori, quodque ab Alberto Magno, qui circa annum cIↄ cc L. ibi publicè docuit, &, qui inter alios discentes ab hujus tunc ore pependit, Thoma Aquinate, famam cumprimis adeptum: impertitus insuper est; eodem fere tempore, Gymnasio Heidelbergensi, circa annum cIↄ ccc XLVI. à Ruperto, Electore Palatino, Bavariæque Duce, primum fundato. Pragensis porro Academia ab Imperatore Carolo IV. circa annum cIↄ cccLX. adornata est. Anno autem ejusdem seculi XCI. Erfurtense Gymnasium, quod olim Dagobertus, Francorum Rex, instituerat, Academiæ privilegiis auctum est à Bonifacio IX: cujus quoque indultu, & procurante ejus loci Episcopo Johanne ab Eglofftein, Herbipolensis sive VVürtzburgensis Academia excitata est. Amplius circa annum cIↄ cccc IIX. ob Germanorum cum Bohemis dissidium, ex Pragensi Academia enata est Lipsiensis, curante Saxoniæ Electore Friderico I. & confirmante Pontifice Alexandro V. Scilicet cum Pragensem Academiam Germanica inprimis natio regeret & administraret, Bohemi à VVenceslao, Caroli IV. filio, impetrarunt, ut eam more Parisiensium sibi gubernandam committeret. Germanorum igitur duo amplius millia, quibus hac re magistratus scholæ abrogatus est, uno die Lipsiam abiere, novamque ibi Academiam aperuere. Porrò circa annum ejusdem seculi XV. Universitas Rostochiensis à Johanne & Alberto, Ducibus Mecklenburgicis, Senatuque civitatis, Professoribus Erfurto huc vocatis, fundata est, & post quadriennium plenè constituta, privilegia largiente Papa Martino V. quæ postmodum anno IↄLX. ab Imperatore Ferdinando renovata sunt & confirmata. Ulterius condita est, circa Annum cIↄ ccccL. ab Alberto VI. Austriæ Archiduce, Academia Friburgensis; à VVartislao IX, Pomeraniæ Duce, anno mox insequenti, LVI, Gryphisvvaldensis, quam Imperator Fridericus III. & Papa Calixtus III. confirmarunt; abs Pio II. Pontifice, anno LX, Basiliensis: à [illegible]tiam Pontifice privilegia Ingolstadiensi Academiæ impetravit Ludovic[illegible]nferioris Bavariæ Dux; quemadmodum eandem post, anno LXXII. novo collegio auxit hujus filius Geor-

Georgius: ab Eberhardo porrò primo Würtembergiæ Duce, anno LXXVII. fundata est Universitas Tübingensis; sicut anno LXXXII, à Diethero, Comite Isenburgico & Moguntino Archiepiscopo, Moguntina; anno IↃII. à Friderico Sapiente, Saxoniæ Electore, Wittebergensis; anno ejusdem seculi VI. à Joachimo I. Electore Brandenburgico, Francofurtana ad Viadrum; anno XXVI. à Philippo, Hassiæ Landgravio, Marpurgensis; anno XLIV. ab Alberto I. Marchione Brandenburgico, & primo Prussiæ Duce, Regiomontana; anno XLIIX. à Johanne Frid. I. Elect. Saxoniæ, Jenensis, quam post decennium inauguravit Johannes Fridericus II. anno XLIX. ab Ottone Truchsesio, Episcopo Augustano & Cardinali, Dillingana; anno LXII X. à Senatu Argentinensi Argentoratensis (quæ tamen anno demum XXI. plenum jus Universitatis à Ferdinando II. obtinuit) anno LXXV. à Senatu Norimbergensi Altorfina; anno LXXVI. à Julio, Brunsvicensium ac Luneburgensium Duce, Helmæstadiana sive Julia; anno IↃcV. à Ludovico Hassiæ Landgravio Giessena; anno denique hujus seculi X XI. ab Ernesto, Principe Imperii Schaumburgiique Comite, Rintelensis. Tanto videlicet conatu id egerunt viri Principes & Proceres reipublicæ, ut de artium scientiarumque palæstris suis terris prospicerent. Animadverterunt nimirum, cum tanta Academiarum sit utilitas, necessitas tanta, ut nec ipsa Ecclesia, illa communis omnium fidelium mater, CHRISTIque Servatoris nostri sponsa, earum carere commodè queat subsidio, (de fructu, qui ad rempublicam civilem, inde emanat & omnem in universum humanam societatem, dicere supersedeo) vix ullam esse posse illustriorem & christianis Principibus magis dignam curam, quam si id agant, ut augustis ejusmodi scholis provincias suas exornent. Enimvero inter ipsos etiam paganos Principes omni memoria reperimus extitisse, qui bonas literas impense amaverint, earumque cultores æstimarint ac foverint. Quanti olim eruditionem fecerit Philippus, Macedoniæ Rex, in vulgus notum. Scilicet cum filius ipsi nasceretur Alexander, eo potissimum nomine sibi gratulabatur, quod florente summo Philosophorum Aristotele suus in lucem editus esset filius, utpote à quo omnis generis doctrina imbui posset. Ipse vero Alexander, cum universum pene terrarum orbem sub suam redegisset potestatem, illa tamen gloria, inusitata quamvis & humanam fere conditionem excedens, efficere apud ipsum non potuit, ut infra fastigium suum æstimaret sapientiæ studia. Quin potius, ubi resciviset, Præceptorem suum Aristotelem publici juris fecisse nonnulla, quæ ad accuratiorem pertinebant philosophiam, objurgans eum hoc nomine, *Parum rectè fecisti*, ajebat, *quod disciplinas acroamaticas vulgaveris. Ubi enim ceteris præstabimus, si hæ, in quibus instituti sumus, omnibus promiscuæ? Ego vero optimarum rerum scientia mallem me quam potentia præcellere.* Qui bellicas magni Alexandri virtutes ita retulit, ut ei jungendus propterea in Parallelis suis Plutarcho fuerit visus, C. Julius Cæsar, nec ipse contentus laude victricibus armis parta, ex literis insuper ac eruditione famam non minus quam voluptatem quæsivit, in medio etiam belli strepitu libris editis. Cæsaris successor Augustus quam doctus fuerit Princeps, quamque Virgilios ac Horatios amaverit, nemo vel leviter in veterum monumentis versatus ignorat. Sed & Ælius Hadrianus omnium artium fuit peritissimus Imperator, ita ut sæpe cum eruditis, libris vel carminibus editis, certare non dubitaverit. Quem inde etiam *Professores & honorasse & divites fecisse*, conceptis verbis affirmat Spartianus. Ejusdem fuit indolis, qui Hadrianum excepit, Antoninus Pius. Nam & ille non tantum

optimis quibusque ſtudiis imbutus fuit ipſemet, ſed viris quoque doctis per omnes provincias honores & ſalaria detulit. Quid vero dicam de hujus ſucceſſore Marco Antonino? Tantæ is erat doctrinæ, ut inde cognomentum PHILOSOPHI perpetuo ipſi adhæſerit; tam eruditionis avidus, ut, adſcitus jam in Imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii diſcendi cauſa veniret; tam improbi in ſtudiis laboris, ut valetudinis quoque hinc jacturam faceret. Sapientiæ autem cultores adeo impenſe amabat, ut præmiis etiam ad ſtudia excolenda ipſos incitaret. Unde factum memorat Dio Caſſius, ut multi ſe philoſophari ſimularent, quo ab ipſo locupletarentur. Si igitur tam propenſo in ſapientiæ ſtudia animo fuerunt viri Principes extra Eccleſiæ pomœria conſtituti, quidni longe majori id agant cura Principes Chriſtiani, ut eruditionem foveant ſolidæque eruditionis cultores? Etenim cum illi, genuini utpote cultus divini ignari, eò præcipue literas amaverint, promotumque iverint, quod vel voluptatem ex iis caperent, vel laudem inde & famam quærerent; Chriſtiani certe Principes ad finem longe nobiliorem oculos heic flecti oportere norunt, Eccleſiæ videlicet commodum ac emolumentum, ſinceræque religionis conſervationem & propagationem: ad quam, velut ultimum præcipuumque ſcopum, omnis referri debet regnorum, rerumpublicarum omnis adminiſtratio. Quod ipſum Tu tecum expendens, Sereniſſime Princeps CHRISTIANE ALBERTE, ubi cetera inclytam tuam HOLSATIAM ſic videres inſtructam undiquaque, uti cum nobilisſimis quibusque illa contendere poſſet provinciis, iſtud unum ad gloriam ejus augendam ſupereſſe arbitratus es, ut ACADEMIA inſuper, qua hactenus deſtituta fuit, ornaretur, nihilque prius duxiſti idcirco, nihil antiquius, quam hujus etiam felicitatis patriam reddere participem: imitatus videlicet hoc ipſo tot immortalis gloriæ Principes, tot incomparabiles Germaniæ noſtræ heroas; quin ipſorummet deceſſorum Tuorum ac Majorum in eo pietatem referens. Quamquam enim Academiam illorum tempore non habuerit patria, minimè tamen propterea bonarum artium & literarum ſtudiis horumque cultoribus omnino defuere, Principes optimi. Etenim JOHANNEM Seniorem, illuſtrisſimum Holſatiæ Ducem, quem *Eccleſiæ ac Scholarum nutritium* conceptis verbis appellat nominatiſſimus ille Hiſtoricus ac Theologus David Chytræus; Johannem, inquam, iſtum celebre illud Gymnaſium Bordesholmenſe primùm conſtituiſſe novimus, ita quidem, ut non tantum quousque ibi agerent, Principis impenſis viverent literisque imbuerentur tenuioris alioqui fortunæ juvenes, ſed & poſtmodum in Academiis per aliquot porro annos eandem munificentiam experirentur. Quod exemplum ſecuti Celſiſſimi Principes ADOLPHUS ac JOHANNES ADOLPHUS, nec ipſi prætermiſere quidquam, quod ad ſalutem inclyti illius Lycei facere arbitrarentur & emolumentum. Præprimis autem tuus ille Genitor, Reverendiſſime Domine, FRIDERICUS, Princeps, cujus gloria, de bita illa virtutum ipſius rerumque geſtarum merces, orientem ſimul & occidentem perſonat, quam ſibi curæ eſſent bonarum artium ſtudia, luculenter teſtatum ivit, dum non ſolum, cujus aliquoties jam mentionem injecimus, Bordesholmenſe διδασκαλεῖον, motuum bellicorum occaſione per ipſum octennium aliquando ſuſpenſum, reſtituit, ſed & alumnorum numerum, qui XVI. ante non excedebat, ultra XL. extendit; imo vero ne ſic quidem ſubſtitit, ſed ad majora ſubinde progreſſus, arduum tandem & tanto Principe dignum de conden-

denda in suis terris Academia cepit consilium, eousque etiam abs se effectui datum, ut jura & privilegia pro novis illis, quas in patria moliebatur, Athenis, ab Invictissimo FERDINANDO III, augustæ recordationis Cæsare, ipsemet impetraverit. Ceterum cum ob varia, quæ subinde intervenerunt, impedimenta, bellicas præsertim tempestates, mortalitatem prius exuerit optimus patriæ pater, quam laudatissimum illud suum institutum perfecte potuerit in rem conferre, Tibi relicta est illa gloriæ pars, Serenissime CHRISTIANE ALBERTE, ut paterna consilia plene exequereris. Etenim quæ Divus iste Parens Tuus olim obtinuit Cæsarea privilegia, tuis nunc auspiciis vidimus promulgata: quod ille meditabatur Musarum domicilium, Te Præside cernimus inauguratum. Verbo; Tuæ debemus pietati, Tuæ munificentiæ, Tuæ pro patria solicitudini, Tuæ in literas & optima studia amori, quod pro Gymnasio Academiam nunc habet Holsatia, pro particulari, ut vocant, schola Universitatem, pro triviali Regiam. Atque hinc factum videmus, ut novam plane faciem nostra induerit KILONIUM, postquam Tu, Maxime Princeps, tanquam novus aliquis Phœbus ipsam nuper intrasti. Etenim, quæ paucis abhinc annis, clangore tubarum, equitumque strepitu exaudito, nil nisi agrorum ædiumque vastationem, direptiones bonorum, civium vexationes, similiaque tristia & funesta præsagiebat, nunc, ubi eadem videri poterant dari signa, tantum abest, ut quidquam inde adversi suspicetur & incommodi, ut potius exuberantissimi hæc gaudii indicia esse sciat: quæ tunc ad sclopetorum fragorem tympanorumque sonitum fugari cernebat hominum cœtus ac dissipari, in præsens usque adeo ista tonitrua non expavescere suos videt incolas, ut etiam hinc inde accurrentes, quasi strepitu isto studiose convocati, agmina lætanti animo faciant. Scilicet non sævus ille & truculentus Mars nostris appropinquavit portis, sed mitissimus Apollo: non terribilis Bellonæ nunc causa agitur, sed suavissimæ Minervæ. Advenisti nimirum huc, Domine, stipatus caterva, non quæ cædes minaretur & rapinas, sed quæ novum civitati huic incrementum, novum illud decus, quod tua ipsi cura accessit, veluti gratularetur: non quæ Pieridum castra turbaret, sed recentem, quæ tuis auspiciis Cimbricis Musis excitatus, initiare juvaret Parnassum. Sic ergo in Te, munificentissime CHRISTIANE ALBERTE, redivivum nunc intuemur IOHAN-FRIDERICUM, redivivum Julium, redivivum Ludovicum, redivivos tot alios incomparabiles imperii nostri Principes ac heroas, quorum gloriosa nomina æternitatis albo dudum inscripserunt Musæ Teutonicæ. Ecquas vero & quantas tandem pro tanto beneficio, quo ornatos abs Te novæ hujus Academiæ fundatione & inauguratione nos omnes agnoscimus, gratias persolvemus, ecquas hoc nomine laudes Tibi cantabimus, optime Principum? Equidem apud Euripidem Orestes, prædicans virtutem ac fidem Pyladis, onus ait esse, nimium laudari. Et apud eundem scriptorem Clytemnestra, Achillem collaudatura, ne offendat eum, hoc ipso veretur, quod viri boni quodammodo soleant illos odisse, qui immoderatius laudent. Sed quamvis hæc suo loco recte dicantur, dubito tamen, an satis pro meriti sui dignitate ac magnitudine laudari possint, qui Scholas erigunt & Academias. Unde ego, qui studiis, quæ res vere magis quam diserte proponunt, operam hactenus annosque impendi, atque hinc stylo simplici ac plano dudum assvevi, prorsus tacere malo, & meam sponte heic agnoscere infantiam, quam permittere, ut incompto sermone fiant, quæ oratione oportebat fieri splendidissima,

ſima. Loquatur, quod ego non poſſum, alma hæc noſtra Holſatia, cui tantus ex novo Helicone ſplendor, tanta accedit gloria: loquatur univerſa Germania, quæ Cimbricum mirabunda intuens Parnaſſum, de novo hoc ſui ornamento multiplici ſibi plauſu gratulatur: loquatur Eccleſia, loquatur Reſpublica, loquantur omnes, qui pietatis & ſapientiæ ſtudia æſtimare norunt. Ego, Reverendiſſime & Sereniſſime Princeps, quod unum mihi ſuppetit, ſummum illud ac æternum Numen ex toto pectore veneror, ut Te, qui pro publico bono tantopere vigilas; qui veri cultus divini, qui reipublicæ, qui literarum & eruditionis curam adeo ſolicite geris, incolumem diu ac florentem præſtet, rebusque humanis longum intereſſe patiatur, quo *Iliacos* Tibi *æquare ſenes & vincere detur!* Ille benigniſſimus Pater ſanctis iſtis conſiliis & CHRISTIANO Principe vere dignis conatibus tuis cœlitus porro benedicat largiſſime, & ſucceſſus largiatur amplius exoptatiſſimos! ille Te, Domine Clementiſſime, omnigena proſperitate copioſe cumulet! Ille, quæcunque vel glorioſum regimen, vel Auguſtiſſimæ Domus veſtræ ſplendorem, vel ſubditorum tranquillitatem, promovere ullo modo poſſunt & attollere, abundantiſſime concedat! Ille novam hanc Academiam Tuam, hanc illuſtrem Muſarum ſedem, liberalium artium mercatum, divinæ humanæque ſapientiæ arcem, commendatam ſibi habeat, omnituenti gratiæ ſuæ oculo conſtanter eam reſpiciat, & potenti ſuâ dextera propitius tueatur! Impleat illam Spiritu ſuo, Spiritu illo ſapientiæ ac veritatis! Soſpitet docentes pariter ac diſcentes, ut, quæ ſui ſunt officii, alacriter exequantur utrique, & ex Cimbrico hoc Parnaſſo prodeant, qui patriæ ornamenta eſſe poſſint, Eccleſiæ lumina, reipublicæ fulcra! avertat bella, contagia, ſeditiones, diſcordias, & quæ præterea nobile hoc Muſarum domicilium turbare queant ejusque tranquillitati ac proſperitati obeſſe! Faxit ſummus ille ſcholarum Patronus, ut unanimi in nova hac Univerſitate id agamus impoſterum, quo Eccleſiæ ſalus, reipublicæ commoda, proximi emolumentum, quærantur, & ut, verbo dicam, omnia noſtra tendant ad divini nominis gloriam!

ORA-

ORATIO II.

ERICI MAURITII

U. J. D. & PROF. PUBL. Facultatis suæ h. t. Decani.

Reverendissime, ac Serenissime PRINCEPS, Fundator idem ac Rector Academiæ CHRISTIANO ALBERTINÆ Magnificentissime. Serenissime, ac Celsissime Princeps, AUGUSTE FRIDERICE. Domini Clementissimi. Illustrissime Comes, Viri, Munerum, Generis, Doctrinæ splendore Incluti, tuq; lectissima Juventutis Corona.

DUm cæli & Cæsaris Augustissimi, tuum Imprimis, Princeps CHRISTIANE ALBERTE, munus, gratissima memoria repetit literatus orbis: dum conspirantibus omnium suffragiis, ad summum gloriæ simul ac famæ culmen assurgis: penè crimen fuerit, si soli sileant justitiæ sacerdotes. Docuit illos, quam venerantur Diva, sub ipsa tyrocinii initia, suum cuique tribuere: & Principi Justitiæ & scientiarum Reparatori, (quæ suo Jure poscunt cælestes animæ) laudes & justissima elogia negent? Utinam vero, quam facilè intelligimus officii nostri necessitatem, tam promptum foret munere isto defungi, cui rei magnitudine difficultatem summam fecisti. Seculorum is labor erit, quem vix absolvet sera posteritas, ex merito æstimare, quod non nobis, non Cimbris tuis, non Germaniæ solum, sed gentibus Universis, quæ humanitatis aliquem sensum habent, dedisti beneficium. Fervebat adhuc dissidiis Europa, & quamvis inter siderum minas, & dubias rerum vices, anxiæ mortalium mentes, multis tamen locis, ut ambitioni fieret satis, vel avaritiæ, ex vicino sanguine lucri vel laudis materiam quærebant, exigua, ut plerumque in talibus, Dei hominumq; cura, nullo propemodum æqui justique discrimine; cum tu, DOMINE, quod frustra alii his artibus desiderant, faventibus superis, laudantibus cunctis, solo Dæmone ringente, incertum an felicitate an prudentia majori, certe utraque summâ, assequeris. Pietati, Justitiæ, bonis literis, virtuti denique universæ, immortali, nec nisi cum orbe isto desitura Nominis Tui gloriâ, in Academia Nova templum extruis; provinciis tuis, Palladium, Romano illo paulo augustius infers, atque Septentrionis frigora Apollinis ac Musarum calore misces: nec in Christianos aut homines, sed impietatem, injustitiam, ignorantiam, barbariem, non dubias animæ humanæ pestes, lectissimas copias, & suis victoriis jam Nobiles, educis. Ita & cives tuos

quod tam præclarum judicabat ille, servas, & meliores reddis, ac citra ullius injuriam bonis cumulas, nec in instituto, plane innoxio, & propemodum divino, aliud, quam celebrandi occasionem, etiam malevolis, relinquis. Fuit ea jam ab antiquo Holsaticæ domus gloria, regio sanguine, unde originem ducit, non nisi ad pulcherrima & ardua quæq; uti. Hinc belli & pacis artibus, semper tamen legitimis, inter Christiani orbis primas innotuit simul ac enituit. Loquuntur hodieque Annales, & commemorabunt deinceps, Adolphum abavum, victis Teutonum ac Marsorum reliquiis, cum legitimum Imperium detrectassent, illustrem. & quid Marius, illud celeberrimum Romanæ Reipublicæ nomen, fecerat amplius? nisi facilius in patriis sedibus, pro aris & focis, libertate & liberis pugnantem populum, non virtute solum genti connata, sed loci insuper commoditate adjutum, & laboribus nullis, nullis itineribus fessum, superari, quam eundem, viæ difficultatibus impeditum, vigiliis fractum, in alieno solo, & ignotis regionibus, opprimi posse aliquis existimet. Jam Johannis Adolphi avi, summa in ipso ætatis limine virtus fuit; cujus id certissimum testimonium ad posteros habuit, quod liberis eligentium suffragiis, ArchiEpiscopales infulas, sceptris suis, penè puer conjunxit. argumento sanè perquam evidenti, non vulgaris, etiam inter Principes Viros, animæ, cujus primos annos, uno consensu, viri religione & prudētiâ eximii, dignos judicarunt, qui tantum munus, inter adultos alios, occuparent. Et vero, pius Princeps, opibus Ecclesiæ, nisi in ejus emolumentum uti noluit. Ingentem rei literariæ thesaurum, librorum lectissimorum eximiam copiam, sumpto maximo, nec pœnitendo jam fructu, successoribus reliquit. Primus Principum, qui decus Cimbricæ aulæ, novis Hospitibus auxit, Irenæo, Justino, Tertulliano, Basilio, Gregorio, Eusebio, Chrysostomo, Augustino, Hieronymo, Theodoreto, Papiniano, Ulpiano, Paulo, Justiniano, Hyppocrate, Galeno, Theophrasto, Platone, Aristotele, Euclide, Ptolomæo, quorum antea ad paucissimos gentis nostræ nomina pervenerant. Non opus est addere, his Comitibus stipatum Ducē, cum quovis Principe suæ ætatis alio, de Principe loco inter gloriæ & immortalitatis Candidatos certare potuisse; id enim, Auditores, ipsi jam sponte vestra intelligitis. Nec frustra illum ideo optavit generum & habuit FRIDERICUS II potentissimus Daniæ Monarcha. Temporis (quod dicenti exiguum parata Dnn. Collegarum facundia relinquit) angustiâ, & admirandis in patriam Augustissimi Parentis tui, Princeps Maxume, meritis, plura in Heroïs laudem dicere prohibeor. Quamvis id penè verear, ne si singula quæ præclarum illud cœli pignus, Divum FRIDERICUM patrem intelligo, in terris eximia gessit, oratione nostra attingenda sint, dies nos, & audiendi patientia deficiat ante. Neque vero cur id fieri prolixe debeat, causam video ullam, cum nostrorum memoria omnium celebrentur, quæ decus illud Principum antequam rediret in cœlum, unde terris concessum erat, sine exemplo plerumque alio, nisi quod posteri imitentur, vel cogitavit, vel perfecit. Quotusquisque vestrum est, Auditores omnium Ordinum Honoratissimi, qui ignoret inexhaustam illam ingenii vim, quæ scientiis ac linguis pluribus, sanctæ imprimis, ita suffecit, ut negotiis publicis nihil interim decederet. Ipse est, qui contra exterorum vim, munimento ad Tonningam

fortissimo

fortiſſimo, contra maris injurias vero aggeribus admirandi operis ſuos defendit. Utque intelligeret oceanus, eſſe, qui illata hactenus mala æquali clade penſare poſſet, partem ejus non exiguam, labore incredibili, & cui nihil ſimile jactare Romani poſſunt, terræ & ditionibus ſuis conjunxit, ut lætæ ſegetes provenirent deinceps ſub Principis noſtri Imperio, ubi marina monſtra paulo ante Neptuni regnum venerabantur. Id vero quantæ prudentiæ fuit? dum triginta per annos ferale bellum Germanico ſanguine vel auro in ipſis Imperii viſceribus paſcitur, dum ſua Mars mala per ditiones & provincias omnes circumfert, Holſatiam ſuam ab hoc furore (ſi exiguum temporis demat aliquis, quo fatorum iræ dandum non nihil fuit) immunem præſtitiſſe. Deerunt ſubditi qui ſimile quid Dominis ſuis acceptum ferre poſſint, niſi quod cognati & ejusdem ſtirpis Herois eadem felicitas fuit. Atque ille otium illud ita collocavit, ut honeſtius ei indulgere nemo poſſet. Conſueverunt æthereæ mentes, dum originem ſuam agnoſcunt, in cœlum cogitationibus ferri frequentius, ac quaſi parum foret quod terra iſta continetur, pulcherrimis meditationibus ad ipſa ſidera pervenire. Hæc Ptolomæi, hæc Alphonſi Regum, hæc Jmperatoris Rudolphi (ut orientales prætercam) ſtudia fuere. Nihil & principi FRIDERICO magis in deliciis, nihil accidere poterat, jucundius. Sed & aggreſſus tandem, quam animo pridem complectebatur, ſiderum doctrinam, artis divinæ cultoribus, ſtupendi operis globo, qualem alterum non habet orbis hactenus, exhibuit. Docuit artem cum Natura paria facere poſſe, & imitari ex ære Saturnum, Jovem, erraticas cæteras, legitimos illos cæli cives. Eat nunc Archimedes, & cum genio ſeculi hujus induſtriam ſuam contendat, ſiquidem agnoſcere velit infra Principis noſtri ingenium eam fuiſſe. Nec uno hoc opere orbi erudito profuit ſolum; Bibliothecam inſuper, non libris modo omnis generis, ſed & veris, Regum Ægypti, Aſiæ, Macedoniæ, Conſulum quoq;, & Imperatorum Romanorum imaginibus, ex auro, argento, ære Corinthiaco, in nummis antiquis ſplendentibus, illuſtriorem reddidit. Quaſi parum foret tandem, mortuorum Imaginibus & Exemplis ad virtutem & literas ſubditos invitaſſe, ad Academiam animum adjicere cœpit, ubi coram doctrinæ omnis elegantioris cultum acciperet ſtudioſa Juventus. Nec operæ ergo, nec ſumptui parcit, donec perſuaſo Cæſare, quod in votis habuit, perbenignè obtinuit. Digna ſunt iſta quæ non Europam ſolum admiratione impleant, ſed in ſtuporem quoque dent Orientis populos, ad quos ſolus ferè Germanorum Principum nominis ſui famam & æſtimationem protulit. Et vidimus ſane a Moſcorum Imperatore & Perſarum Rege Legatos, fœdera rogantes & amicitiã, ac etiam muneribꝰ auguſtum hoc nomen venerantes. Tanto in ſubditos affectui, virtuti tam egregiæ, nil mirum, ſi dignam mercedem rependerit æternum Numen, ſummi Principis, & qui Deum ſolum, in parte ditionum non exigua, ſuperiorem habet, glorioſos titulos, ſi dignam Regiis Nuptiis prolem conceſſerit Potentiſſimam Suecorum Reginam, Magni Regis Conjugem, Magni Matrem. Sunt iſta quæ memoravimus bona, quibus beavit omnes, Cimbros ſuos præcipuè, tam eximia, tam inuſitata, ut ab uno Principe humano generi collata, vix fidẽ apud poſteros invenire poſſe metuendum ſit, niſi iſta eſſet Hiſtoriæ omnis in ipſius rebus geſtis recenſendis conſtantia. Commemo-

memorabo tamen, quod quæ attigimus hactenus, intervallo non modico ſuperat. An enim credemus verbis aut oratione ulla exprimi poſſe, quod te, CHRISTIANE ALBERTE, Dux inclute, delicias ſeculi & amorem, progenuit? Non poteras tu quidem, Eminentiſſime Princeps, alio quam ſummo Patre naſci, quem ad maxima omnia, & aſtra, & indoles, & ſpes tuorum vocabant antea, nunc fortuna & fama benignior merito tuo jam evexit; eſt tamen quod debeat literatus orbis, Patria imprimis, & eſt plurimum, Sereniſſimo Parenti, qui Principum illi exemplo & imagini, qui Academiæ noſtræ Autori & Capiti primo & ſummo, vitæ dedit beneficium, absque quo ſi fuiſſet, nec illa eſſent, quæ videmus modo & miramur. Ab iſtis ergo quos recenſuimus Parentibus, acceptam admirandam Indolem, ad optima quæque mox convertiſti, pietatis, honeſtatis, literarum & ſcientiarum amorem. Atque vitæ quidem tuæ initia talia quæ poſteris in Exemplum eſſe poſſint, memorare annalibus curæ erit. nos id ſaltem minimè prætereundum arbitramur, quod eadem fama & imperium tuum & tranquillam pacem Cimbris tuis nuntiavit. Volitabat per Holſatiam, & ſangvini cineres miſcebat barbarus miles: inter Sarmaticas copias Tartarica ſigna circumferebantur, jamque ſua crudelitate & cædibus magis quam linguæ commercio noſcebatur hoſtis, atque actum erat de Holſatia penitùs, niſi tam propitia pietati & Muſis vota favorem Numinis exoraſſent, ut pacem, rem literis neceſſariam, Provinciæ reſtitueret. omine feliciſſimo, & quod ab iſto imperio tuo nunquam abeſſe poſſe tranquillitatem ſubditis oſtendit. quibus ut quietem redderes ſuam, propriam mox neglexiſti, ac paucis Comitibus, ſed notiſſimæ virtutis, poſtquam ſummæ rerum ingentis prudentiæ & æqualis fidei virum præfeciſſes interim, ut eximiæ indoli ex peregrinatione experientiam in patriæ ſalutem adjungeres, non dubitaſti ſacrum caput itinerum periculis exponere. Ita & apud exteros virtuti tuæ pretium feciſti, & dum minores ſumptus aula requirit, civibus tuis peperciſti, & maximum feliciter confectæ peregrinationis lucrum, prudentiam, in Provinciam & aulam intuliſti. Ipſe Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus, quaſi jam in vultu illo & oculis legeret veſtigia mentis erectioris, & in ſuis ditionibus regnum literarium meditantis, tam effuſo honoris cultu veneratus eſt ſalutationis officio fungentem, ut ſimile quid contigiſſe alteri alicui è Germaniæ Principibus non meminiſſent aulæ Francicæ Proceres. Sunt reliqua alia, de quibus ſi ex merito dicendum foret, Tullii id, aut Hortenſii, Demoſthenis vel Æſchinis, non meum fuerit negotium, quæ ſacro ſilentii velo ideo nunc involvo, quod ſuperſit opus, quod heri perfeciſti, DOMINE, ingens ac æternum, & quovis ære perennius, quod nec ignis, nec ulla unquam poterit abolere vetuſtas. Erit dies illa in Faſtis Holſaticis præcipua deinceps, nunquam niſi albo lapillo ſignanda, qua certiſſimam ad immortalitatem viam ingreſſus, gloriam tuam, Heros Magne, aſtris terminare cœpiſti, qua effeciſti, ut quousque erunt literæ, inter Theodoſios, Carolos Magnos, Julios, Ludovicos, Albertos, Eberhardos, conditis vel reſtauratis Academiis illuſtria Nomina, novum ſidus ſplendeas deinceps. Non literæ & literarum Patroni commemorabuntur poſthac, quin, qui iſta audiunt, auribus accipiant etiam Eminentiſſimi Principis CHRISTIANI ALBERTI nomen

ſimul

ſimul & elogia. Cum enim ſolo literarum & literatorum beneficio immortales fiant homines, ferè ita comparatum eſt, ut qui doctrina eminent, eos præcipuè commendent, qui literis profuerunt. quibus ſeculo iſto, nemo Europæorum Principum, te uno, Sereniſſime Dux, profuit magis. Arctoi enim orbis partem magnam & eximiam Muſis conceſſiſti, in ſeptentrionem Apollinem invitaſti. Commendabant hactenus Holſatiam portus maritimi commerciis nobiles, fertilis gleba, & promiſſorum exacta fides. Hinc certiſſimas divitias populus petere aſſuetus, fortunæ bonis cum vicinis facilè contendebat. At cum domi eſſet argentum, quærenda erat apud exteros eruditio. Hinc etiam primariæ Juventutis haud pauci, ad capeſſendum animi cultum dimiſſi in provincias alias, extra parentum conſpectum, ut ſunt in vitium flecti cerei Juventutis animi, vel otio torpebant, vel ad temulentiam, luxum, libidinem, parentum ſudore abutebantur, &, ſi non ſponte ſua, malorum tamen commerciis, ſæpe à regio tramite transverſi agebantur. Erant &, qui debiliores, alieni aeris inclementiam morbis vel morte luerent. ut filios, operam, argentum, & ſpem periiſſe, uno ſæpe nuntio acciperent miſeri parentes. Paucis

quos æquus amarat,
Juppiter,

ut præ vitiis & otio honeſtas artes vellent, quanta argenti vi, quot annis opus erat, inter perpetua parentum deſideria & metus, ut apud exteros eruditionem emerent? Ita ſudore immenſo quæſitas Cimbrorum opes, ipſa gens noſtra, fatali quaſi neceſſitate derivabat ad vicinos. Si absque eo fuiſſet, forte & Belgas divitiis æquare, & maritimis commerciis collocato in ea argento, quod exteræ Academiæ hauſerunt hactenus, in Oceano ſaltem noſtro, cum illis certare, ſi non ſuperare, poteramus. Tua bonitate, Princeps optime, & incomparabilis Miniſtri prudentiâ effectum eſt, ut deinceps ipſa ante ora patrum, in ipſa patria, nec metuere peregrini aeris injurias, nec in ſuorum conſpectu & oculis, ex malorum conſortiis, animi corruptelas neceſſum habeat noſtra Juventus. Non ultra ſuo ære circa prima ſtudiorum initia alibi vitia, ſæpe & errores, redimet; ſed maturo judicio, & probatæ jam virtutis, poſtquam rectè in hac Academia primos annos collocaverit, ex hoc Lyceo acceptam, pro morum & doctrinæ ratione, vel muneribus admovebit patria, vel vitæ Academicæ & ſtudiis jam aſſuetam, minori ſumptu, ſecuritate & uſu Familiæ majori, alio dimittet. Tuo beneficio audient Cimbri, & mirabuntur in Academia hac, Melanchtones, Chemnitios, Gerhardos, Cujacios, Donellos, Grotios, Bachovios, Sennertos, Claudinos, Septalios, Braheos, Gaſſendos, Boecleros. Cur enim deſperemus, ex Academia iſthac prodire poſſe, quales habuit Witteberga, Heidelberga, Jenenſis, Argentoratenſis, Aurelianenſis, aliæ? Non ita Holſatis tuis frigidus eſt circum præcordia ſangvis, ut non ad æqualem palmam cum ſummis nominibus niti, pulchrum & decorum tanti Principis Clientibus exiſtiment. Et tibi quidem major omnibus noſtris encomiis è cœlo exſpectanda merces & gloria, qua inter primos Heroas hoc munere deinceps celebraberis. Non poteſt enim non gratiſſimum Deo eſſe munus, quo pietatem, juſtitiam, literas, tibi imprimis cordi eſſe oſtendiſti. Properabit ad ſeros Indos & extremos Sinenſium fines fama eorum,

quæ

quæ heri egregia perfecisti, & agnoscent Brachmanes quoque ac Persarum sapientes, quantus ad posteros futurus sit Divi FRIDERICI, quem olim coluerunt, filius. Quod si nostris laboribus aliquod pretium statuent posteri, nunquam non tuæ laudes calamos nostros exercebunt. Quoties ista sceptra oculis, toties animo FERDINANDI ac LEOPOLDI Cæsarum, Patris FRIDERICI, ac tui imprimis beneficii, FUNDATOR AUGUSTISSIME, memoriam usurpabimus. Quoties Collegium nostrum Sigillis istis ad Justitiæ Patrocinium utetur, toties in tua præconia alma Themis ora solvet. Quoties Germana hic vel Europæa Juventus, è puris fontibus incorrupta Justitiæ præcepta hauriet, toties tibi Nestoreos annos, Imperium pietate tua dignum (neque enim majus quidquam optare potest) apprecabitur. Demum, quot literariis ordinibus adscriptos Academia nostra, tot Serenissimi Holsatiæ Principes habebunt deinceps clientes ac beneficiis sibi obnoxios. Tu vero, ô Patria mea, quod majus à summo ac immortali rerum arbitro precibus postulare potes munus, quam ut in isto Principe superstitem tibi servet tuam felicitatem? Demit tibi barbariem, tollit ignorantiam, maxima vitæ humanæ mala: & gloriæ plurimum, illatis literis, addit, & thesauros tuos, quos effundebas antea, nullo sæpe, vel incerto fructu, dum illum vel mors intercipit, vel consortia prava intervertunt, tibi conservat: imo etiam argenti vim non modicam infert, verè Salomon tuus & Augustus. Quod superest, tibi, æterne DEUS, immortales gratias agimus, quod eam Invictissimo Imperatori, eam Serenissimo Principi mentem indidisti, ut pace uti vellent ad restituendas pacis artes. Tu porro tuere Academiam, & protege. Non illam belli rabies dissipet, nec livor, nisi infeliciter, & cum suo dedecore tentet. Tibi quoque, Maxime CÆSAR, quod privilegiis augustissimis, præ multis aliis Germaniæ Academiis, nostram hanc exornasti, quod tenerrimum erga studia nostra affectum, per Summum Virum, Holsatici Regiminis Præsidem, Legatum tuum, (cujus consiliis prima initia se debere æternum agnoscet Academia nostra) Oratione disertissima explicare voluisti, reddimus, quam debemus, humillimam mentem, & devotissimum pectus. Tandem & tibi, FUNDATOR ACADEMIÆ æternum memorande, Princeps, Eminentissime & Serenissime, me Interprete, laudes, Encomia, grates, ac votum rependit JurisConsultorum ordo. Vive æternum, æternum Principum decus. Vive Amor Musarum & Apollinis; Vive gloria Cimbrorum. Nil vel in votis majus habemus: nec enim dubitamus, te salvo salvam quoque esse Academiam, cui spiritum modo & animam infudisti, ac quam ideo primogenitam tuam esse voluisti, ut esset immortalis. Ita Holsatiam tuam, quam ligneam ante, à divo Parente lateritiam accepisti, tua virtute, & Ministri Incomparabilis fide, efficies marmoream. Sed & tuum, Serenissime Princeps AUGUSTE FRIDERICE, vestrum etiam, Viri Munerum, Generis, Doctrinæ laude incluti, beneficium, memori mente repetit Academia, dum & præsentiâ vestra heri, & nunc audiendi patientiâ, affectum in meliora studia vestrum abunde oculis & animis nostris exhibuistis. Servet vos incolumes Deus & sospitet, ac isto in literas amori, felicitatem etiam Votis majorem reddat. DIXI

ORATIO III.

CASPARIS MARCHII,

Medic. Doct. & Medic. Pract. Professoris. Facultatis suæ h. t. Decani,

J. N. I. C.

Reverendissimi ac Serenissimi Principes ac Domini, Domini mei Clementissimi; Illustrissime Dn. Comes, Viri eminentissimorum munerum amplitudine incluti, Illustres, Generosi, & antiquâ stemmatis nobilitate splendidissimi, plurimùm item Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, Prudentissimi, Domini, Hospites, Collegæ, Fautores atq; Amici meritis vestris mihi nunquam non venerandi, suspiciendi, Tuq; ad DEI gloriam, & Ecclesiarum Rerumq; publicarum ornamenta succrescens Nobilissima & præstantissima Studiosorum Iuvenum Corona.

EST hæc notissima *Excellentis Gaudii* indoles, ut in corde semel conceptum, coërceri intra pectoris istas angustias prorsus respuat, sed exæstuantium & ripis suis excedentium aquarum instar, longè latèque semet diffundere, suique fervoris exsuperantiam testari atque ostendere cuivis annitatur. Hinc *Ore*, *Gestu*, & *factis* mera eduntur *Lætitiæ* documenta, & præter Iubila, laudes, tripudia & ad hilaritudinem speciosè compositos apparatus vix quidquam audire datur aut intueri; idque eô augustius splendidiusque instituitur, si *publica* vel in publicum redundans *Gaudii* subest *materia*, pluribusque adeò aut omnibus quasi in universum lætandi subministratur occasio. Non opus erit ex Antiquitate Gentilium exemplis id fusiùs deducere, nec, quantis illi variorum ludorum solemnibus, quô Musicorum Instrumentorum clangore, quâ Conviviorum magnificentiâ, quô accensorum ignium fulgore, quamque splendidâ sumptuosissimorum quandoque monumentorum extructione, sua publicè testatum facere gaudia soliti sint, hîc commemorare expediet, cum pleræque talium festivitatum impiis Idololatriis contaminatæ, quædam abominabili simul humani sangvinis profusione defœdatæ, barbariem nimis sapiant, & Christianorum memoriâ recoli vix mereantur, nedum eô tempore proponi, quô sacratioris multò Gaudii argumenta expenduntur; Inter nos, hôc ipsô in loco, quæ per aliquot ordine dies acta sunt, adhuc oculis auribusque vestris obversantur, omniumque animos suâ amœnitate & augustâ magnificentiâ mirificè afficiunt: Ingressus nempe hanc Civitatem suam, inter lætisonos tubarum tympanorumque strepitus, ac devotissimas faustissima ac gloriosa

quæque

quæque apprecantium voces, Heros inclutus, *Sereniſſimus Cimbriæ Dux*, CHRISTIANUS ALBERTUS, *Dominus noſter gratioſiſſimus*, ſplendidiori multùm quàm cœteroquin ſveverat, & illuſtri prorſus comitatu ſtipatus, auguſta dedit mox ſubſeqvuturæ *Solemnitatis*, quæ omni præconio ſuperiorem lætandi occaſionem exhibuit, præludia: Vix etenim unius diei intercedente morâ, ecce! expletur, & in effectum glorioſiſſimè deducitur illud dudum promiſſum, & à Bonis omnibus ſeriò deſideratum *Beneficium*, quo majus aut illuſtrius Provinciæ huic, totique literario Orbi exhiberi vix ullum potuiſſet. *Muſis* enim (quô nomine quicquid in Orbe boni, jucundi atque utilis eſt comprehenditur) Muſis, inquam, quæ paſſim vel publicâ funeſtorum bellorum inquietudine, vel inteſtinis docentium diſcentiumque diſſidiis, vel jejuniô etiam, ac contemptu nunquam ſatis deplorandô, antiquis ſuis ſedibus profligari eheu! conſtat, *novum commodumq́; in hoc Boreali Romani Imperii terminô Domicilium figitur*, & amœniſſimus in loco quaſi naturâ ad id antiquitùs deſtinato, *Helicon* extruitur. Hæc illa communis & longè ultra Holſatiæ limites diffuſæ *lætitiæ* cauſa eſt, cujus gratiâ non ex hoc ſolùm territorio, & vicinis, ſed & multum diſſitis locis horſum confluxit ingens ſpectatorum & admirantium & congratulantium multitudo, quâque accenſus ipſemet tanti *Gaudii Autor, Principum Optimus*, Dominus noſter gratioſiſſimus, ſplendidiſſima Munificentiæ ſuæ, & excellentis, quod ex proſperrimo ſacratiſſimi Operis ſucceſſu meritò concepit, Gaudii ulteriùs documenta edidit: dum quicquid ad auguſtum tantæ feſtivitatis ſplendorem facere quoquômodô poterat, tùm in Æde ſacrâ, tùm in Arcis ſuæ Palatiis largiſſimè adornari fecit, iſtumque *Inaugurationis diem*, quô haut ullus erit ſolemnior, & cujus ſimilem nobis expectare non licet, ſermonibus primùm ſacris, hymnisque in Summi Numinis gloriam, meritiſſimamque *Auguſtiſſimorum & Sereniſſimorum* Fundatorum *laudem* directis, quos variorum Muſicalium inſtrumentorum ſvaviſſimus conſenſus ſtupendo prorſus modo exornârunt, tùm Cærimoniis aliis illuſtrioribus, ad decorem tanto Negocio congruum compoſitis, publicô denique etiam, eoque ſplendidiſſimo conviviô, cui incomparabilis illa, & vocibus dulciſſimis, & inſtrumentorum ſuaviſonorum frequentiâ, harmonicè conſpirans Muſica, gratiam adjecit prorſus admirabilem, reſonantibus inſuper ſylvasque & maria circumflua artificioso fragore replentibus tubis Tympanisque, lætum hilaremque modis omnibus tranſigi curavit.

Nec aliter facere potuit *Auguſtus Princeps*, cum lætandi majorem occaſionem nec habuerit unquam, nec habiturus ſit facilè Etenim Felicitas equidem haut fuit exigua, ubi tam ſplendidæ, & non amplitudine quidem, (cui magnum ſæpe adhæret Inane) ſed rerum omnium copiâ & accrementis, atq; Incolarum politis moribus ac proſperiori paſſim ſtatu, inter optimas ſeculi noſtri meritò connumerandæ Provinciæ regimen huic *Sereniſſimo* noſtro conceſſum fuit: At verò hoc quantum eſt, *Naſcendi Sors* obtulit *Principi Celſiſſimo*, non cooperante ad id *Induſtriâ* propriâ & *Virtute* quâ cœteroquin eminet, quæ videri omninò dudum voluit, & cum Veneratione ſuſcipi. Erit etiam illuſtris valdè, & in ſubjectiſſimâ devotione, precibus noſtris ardentiſſimis exoptanda Fortuna, quando *Sereniſſimus* hic noſter Dominus cum *Principe*

quâdam

quâdam *Celsissimâ*, suisque votis conformi in *conjugalem societatem* gratissimà conjunctione coalescet, istâque adhuc venerabilior, & *publicum* pariter secum tractura *Gaudium*, ubi *Principem* ex auspicatissimo isto thalamo *nasci* continget, ut Paternarum Virtutum sine dubio, sic fortunarum etiam omnium, ipsiusque olim Regiminis hæredem: Cæterùm gloriosa utut ista futura est felicitas, cum pluribus tamen ea communis erit, nec adeò singularis, & admiratione dignissima, atque hæc, super quâ adhuc dum exultamus omnes, & solemnia hactenus quasi attoniti audivimus tripudia. Nimirum extraordinarius omninò summi Rerum Moderatoris favor est (cujus instinctui id quoque acceptum humillimè ferimus) quod *Serenissimus Reverendissimæ Suæ Celsitudinis Parens*, gloriosissimæ, & nullo ævo intermorituræ memoriæ, eô inprimis tempore, quo vix respirare inceperat Germania à tricennali propemodum bello, cujus durante per Imperium Rom: calamitate, in desvetudinem quasi studia literarum venerant, & ægerrimè ac vix dum conservari *antiquas*, & acquisito cum annis robore sic satis stabilitas *Academias*, animadvertebatur, de *Novâ* hâc condenda consilium inierit, ipsumque *Imperatorem Invictissimum* haut difficulter annuentem desideriis suis invenerit; &, quod fortè majori admiratione dignum, cum matura nimiùm mors *Serenissimi* FRIDERICI effectum tam sacris ejusdem consiliis detraxerit, succedens Ei *Filius*, *Serenissimus* noster CHRISTIANUS ALBERTUS Paterna isthæc conamina (non obstante, quòd funesta recruduerint bella, quæ in quantum devastaverint Provinciam, & Principis ærarium exhauserint, arbitratu facilè est) fide ac dexteritate Ministri incomparabilis & mirâ quarumlibet actionum promptitudine pollentis egregiè adjutus, felicissimo successu ad exoptatum hunc finem deduxerit, confecti tam ardui tamque saluberrimi Negocii gloriâ nunc immortalis. O gratiam Numinis nullô satis præconio effabilem! O beneficium plausibus æternis, & Gaudio omnium Ordinum velut universali dignissimum! *Gaudet* nempe, & impensè sibi gratulatur *Studiis addicta* & operam serio navatura *Juventus*, quod novus panditur Parnassus in loco tam commodo, ad quem facillimus utrinque, tum Ortum tum Occasum versus ex dissitis etiam Regnis & Provinciis per maria accessus datur; in quo nulla non suppetunt & tolerabili quidem pretio redimenda vitæ & studiorum adminicula; ubi selectis êvariis Rom: Imperii Academiis Professoribus, quos Eruditio & Pietas, junctâ Facundiâ, & Pacis studio, commendant, abunde ipsis prospectum; quorsum pecuniæ faciliùs, quàm ad quemvis alium Academiæ locum, Cambiorum beneficio, ob binorum illustrium Emporiorum viciniam, transmitti possunt; ut amœnitates & variorum liberalium exercitiorum occasiones taceam, quibus uti fruique poterunt (quantum citra studiorum fieri licebit dispendium) ad relaxandum animos, ne, citra alternationem si foret, sub severioribus curis hebescant, aut valetudo fortè quid capiat detrumenti. *Gaudent*, quibus *docendi* demandatæ sunt *provinciæ*, quod honorata ipsis & certa, nec sine spe adjiciendi in futurum augmenti, constituta sunt stipendia, ut de pane lucrando, omissis ordinarii officii curis, non adeò opus sit esse sollicitos; quodque sub magnificentissimo Ipsius *Serenissimi Patroni Rectoratu perpetuo*, spem

concipere posſint, illam ſummè neceſſariam Diſciplinam Academicam feliciùs ſucceſſuram, & ſaluberrimo vix unquam effectu carituram. *Gaudet* Muſarum hæc nova ſedes *Kielonium*, quod inclareſcendi ulteriùs, & poſt duriora, quæ hactenus ſuſtinuit Fata, recuperandi antiqvum vigorem, & vel diteſcendi, illatis aliunde pecuniis, præſtò ſit occaſio; *Gaudet*, & gratulandi ſibi cauſas arripit *Generoſa Provinciæ* hujus *Nobilitas*, quandoquidem ſublatam modò necesſitatem mittendi cum periculo & ſumptibus longè majoribus ad peregrina loca Carisſimos ſuos in primâ adhuc Generoſi ſangvinis ebullitione conſtitutos Filios, gratâ mente agnoſcit, ſubminiſtratâ occaſione, quâ erudiri non minùs & exercitiis Ordinem ſuum decentibus adſveſieri poſſunt, ſubipsâ velut Parentum, huic loco propiorum, longè venerabiliori, quàm ullius Moderatoris, inſpectione. Quo eodem nomine pariter & vicinas Urbes florentisſimas, *Hamburgum*, & *Lubecam*, ex quibus haut exiguum ſtudioſorum numerum nobis adfuturum ſupponimus, egregiè ſibi gratulaturas, minimè dubitamus.

Sed ignoſcite *Reverendisſimi ac Sereniſſimi Principes*, Domini Clementiſſimi, Vosque omnium Ordinum Auditores, titulis veſtris fulgidiſſimi, multumque mihi devenerandi (ad quam benignitatem etiã Vos promptos facilesque confido), quod *gaudio* totus ipſe *repletus*, in hâc *Gaudiorum* ſolemni *feſtivitate*, cunctis non niſi *Gaudii conteſtatione* decertantibus, de *Gaudiis* nimium forte viſus ſim garrulus, cum temporis & inſtituti præſentis ratio, indeque exſurgens in pectore affectus vix quodquam aliud dicendi argumentum ſuggeſſerit. Abrumperem, niſi Tibi, *Principum Clementiſſime*, Sereniſſime Dux Chriſtiane Alberte, *Patrone* hujus Academiæ Tuæ *ſumme*, debitum gratitudinis exſolvere ſubjectisſima poſtularet devotio. Quòd ſi Papicolarum cœca cohors, ſi cui accedendi ſanctisſimum (quo nomine is ſuperbit) Patrem libertas conceditur, exoſculari pedes illius glorioſum ducit, quantò majori jure Tibi, *Sereniſſime*, iſtud humillimæ devotionis ſignum exhibere ego nunc obſtringerer, quem multo majori ſanctimoniâ venerabilem, & Magiſtratus in hâc Provincia cum ſummus ſis, Dei omnino Vicarium, Scripturâ adſtipulante, veriùs agnoſco. Patere ergò *Sereniſſime Domine*, ut propiùs nunc *Tuæ Celſitudinis* ſubſelliis appropinquem, & ad pedes *Serenit. Tuæ* humillimè devolutus, quantulumcunque proferre poterit tenuis hujus Oris mentisque egeſtas, devotiſſimus exponam. Agnoſco equidem tot obrutam defectibus tenuitatem meam, ut neutiquam dignus inde Cultus proficiſci valeat: peccarem tamen, ſi intempeſtivè hôc locô, atque in tantum verecundarer, ut ſilerem penitus: neque enim aliud abs Te, *Principum benignisſime*, mihi promittere fas eſt, quàm, quod Deum, cujus intèr nos vicem geris, ſis imitaturus, qui non opimas ſemper victimas reſpicit, aut longis devotiſſimarum animarum orationibus oblectatur, ſed vel ſolam piæ mentis intentionem magis amat & æſtimat. Et, cum inſignem hujus Clementiæ affectum hactenus teſtata ſit *Serenitas Tua* Theologo & JCto ſuo, non eſt, quod de eo etiam ego Medicus deſperem, cum id hominum genus cœteroquin non

non magis invisum Magnatibus esse solet, aut minus gratum. Quod si re nullâ aliâ, brevitate saltem placebo. Non etenim cumulatissimas, quas in Te *Serenissime*, nemo non admiratur, Virtutes singulas vel delibare præsumo, submergi namque proclive foret, si tam vasto pelago me vellem committere, id unum subjectissimâ gratitudine non deprædicari nequit, (si vel millibus in hâc Inaugurationis Solemnium coronide dicendi committeretur provincia) quòd hôc seculo, sub hâc temporum injuriâ, in hoc primo maturescentis Ætatis flore, *Serenissima Tua Celsitudo*, sublimia, nec minus stupenda quam salutaria condendæ novæ Universitatis Consilia tantô Zelo, tantâque constantiâ proseqvuta sit, ut in effectum tam feliciter ea deducta esse, nunc literarum Orbis universus gratulari sibi possit. Neque enim magis alienum quidquam videtur à præsentis seculi moribus, quàm Studiis favere, patrocinari, ne dicam nova incrementa parare, plerisque Heroum hodie plus sagatæ quam togatæ militiæ tribuentibus. Et, si vel maximè quorundam animis non omnis Musarum amor exulat, Ærariorum tamen non ea est opulentia, aut redituum ubertas, quæ sufficere creditur reducendis ad antiqvum vigorem, aut conservandis, nedum de novo fundandis Literarum Emporiis: Quamvis nec diffitendum sit, prætendi sæpe magis duriorem hanc temporum infelicitatem, quàm veram tanti neglectûs causam existere, cum experiamur passim, vel decies si non & centies plus à nonnullis in varias voluptatum illecebras & speciosas quasdam vanitates, ac momentanea sæpe oblectamenta annuatim impendi, quam requirerent ejusmodi gloriosa in Ecclesiam & Rempublicam beneficia.

Longè *divinior* Tibi *mens* est, *Serenissime Princeps Christiane Alberte*, qui licet in eâ adhuc sis ætate constitutus, quæ voluptatibus affici & delectamenta quærere inprimis solet, *publicam* tamen *Salutem*, quam in optimâ Juventutis educatione fundari, ac dexterrimo literarum cultu promoveri agnoscis, *deliciis* omnibus præfers, immò *pro summis Tuis* non immeritò reputas. Ac nosti prætereà, *Auguste*, tum demum verè *Celsissimos* dici Principes, quando ad *Æternitatis Culmen* adspirant, quam nulla ratione Te conseqvuturum faciliùs rectè credidisti, quàm si divinum gloriosissimi Parentis de condendo hoc novo in Terris Tuis Musarum Parnasso consilium feliciter expedires. Nec fallere *Serenissimam Celsitudinem Tuam* spes ista ullo modo poterit, cùm vel solô tanto instituto, & felicissimo hoc peractæ nunc Inaugurationis auspiciô jam factus sis Immortalis: Etsi enim Mortis imperio humana nulla exempta sit Majestas, ab interitu tamen & oblivione Cultum Magnorum Principum vindicare licet, quod literarum monumentis, quæ seræ etiam Posteritati, ad mundi usq; consummationem, gloriosa Eorum in literariam inprimis Rempublicam Beneficia legenda & admiranda sistunt, quàm felicissimè expeditur. De *Panebiis*, Arabiæ populis, Historiæ referunt, quòd, ab interitu Regum suorum memoriam vindicaturi, abscissa mortuorum capita, auroque obducta in Templis collocârint & consecrârint: Nos qui æternum Tuæ, *Principum optime*, Vir-

tutis ſedem deſtinare cupimus, pectoris noſtri ſacellum præparabimus, in quo devotiſſimâ memoriâ, Te *publicæ Salutis & Rei literariæ Statorem* æternùm venerabimur. Neque verò nobiſcum, qui nimium mortales ſumus, hæc Tui, *Sereniſſime Domine*, glorioſa ſimul interibit recordatio, quin eandem, & majori ſermonis elegantiâ ſemper recolent, quotquot ad finem usque Mundi nobis in hoc officio ſurrogabuntur.

Intereà Deum T. O. M. ſupplex adoro, ut in Pace perennem ſtabilemque faciat hanc novam Muſarum Sedem, gratiamquè ſuam tum Docentibus, tùm Diſcentibus in eâ perpetuùm benigniſſimè adſpiret, ac Tibi inprimis, *Sereniſſime Princeps*, id felicitatis clementiſſimè largiatur, ut ſalvus incolumisque vel per integrum adhuc ſeculum Bono publico ſuperſis, lætusque multoties ſimilia devotiſſimâ ſubjuctione Tibi obligatisſimarum mentium vota accipias.

Ego ad auguſtisſimum *Tuæ Celſitudinis* pulvinar denuò proſtratus, per ſanctisſimos hoſce, quos mente humillimus amplector, pedes, æternam Tibi devotionis fidem juro, *Serenitatis Tuæ* patrocinio, & clementisſimo Favori Academiam univerſam, & naſcentem in ea Facultatem Medicam, cujus nomine exilia hæc verba facere debui, humillimè commendans, pro *Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ*, totiusque *Sereniſſimæ Domûs Holſaticæ* perpetuâ Salute ſeriis ardentisſimisque precibus Supremum Numen nunquam non defatigaturus.

Vos Muſæ Charitesque, quæ toties jam ſplendidisſimum hunc Conſeſſum (cui pro patientisſimâ inculti mei ſermonis auſcultatione dignas ut agam gratias, me imparem agnoſco) exhilarâſtis, nunc quoque, quod incompoſitâ meâ loquacitate forte creavi tædium, dulci voce, ſvavisſimoque Inſtrumentorum concentu lenite.

DIXI.

ORATIO IV.

MICHAELIS WATSONII,

SS. Theol. & Philoſophiæ Doctoris, quondam Hiſtoriarum & Politicæ Profeſſoris, nec non Philoſ. Facultatis Decani, An. 1665. die 7. Novemb. piè defuncti.

Q. D. B. V.

REVERENDISSIME, SERENISSIME PRINCEPS ac DOMINE, GLORIOSISSIME FUNDATOR & MAGNIFICENTISSIME RECTOR ACADEMIÆ, DOMINE CLEMENTISSIME

Illuſtriſſime Comes de RANZOVV, Perilluſtres, Generoſiſſimi Proceres, Illuſtres, Generoſi, Nobiliſſimi Equites, Conſiliarii, Evergetæ Magni, Clariſſima orbis & Lycei hujus Lumina, quæ inter Tu, Magnifice DN. PRORECTOR, Sacri Cæſarei Palatii Comes Inclyte *meritò emines, Admodum Reverendi, Ampliſſimi Hoſpites, Spectatores, Viri omnium ordinum honoratiſſimi, Atq; tu pulcerrima Nobiliſſimorum & Præſtantiſſimorum Studioſorum corona.*

EXtemporaneo penè ſtudio congeſtam orationem, qualem vehemens dictitare ſolet adfectus, quæ eruditorum præſentiam & attentionem ſtipulari renuit, non multarum dierum noctiumve diſpendio exquiſitam, ac ſplendido dignam auditorio in medium afferre animus eſt. Quod, prius quam fiat, ſubmiſsè & decore veniam inficetæ orationi expeto, meæ in dicendo imperitiæ conſcius, grandia tenuis haud conabor, ſed parvam ſymbolam Auguſtiſſimo Negotio adjecturus verbis ſubito natis, Naſcentis Academiæ auſpicia celebrare aggrediar. Etenim in reſiduis ex itinere tædiis, in novis componendæ familiæ curis à librorum uſu avulſus nihil ad tantæ rei dignitatem præparatum & meditatum habeo. Nihil quoque attinebat meam audiri infantiam, ſi prope Athenæi hujus cunabula, nil ultra poſtularet diei ſolennitas, quam ea proponi, quæ ſummè illuſtrem & ſummè frequentiſſimam hanc concionem vel inſtruere vel delectare poſſent: id enim abundè ab ILLUSTRISSIMO Cæſareæ Majeſtatis LEGATO Commiſſario, Patrono noſtro devenerando, Illuſtri Excellentiſſimo Præſide Dn. Dn. Joh. Adolph. KIELMANN de KIELMANSECK, ac Primo Magnifico Academiæ Prorectore Dn. PETRO MUSÆO Theol. D. ac Prof. Primario heſternâ panegyri, & hodiè ab anteceſſoribus eſſe præſtitutum, re-

rum

rum gnari haud obſcurè profitentur. Quando tamen ad novi operis celebrationem, ut optimo Solennitatis noſtræ Auctori, devotiſſimæ venerationis cultus *Facultatis Philoſophicæ nomine*, deferatur, meus quoque Sermo produci debuit, imitari ſine invidioſæ æmulationis certamine cupio nobilitatam vobisque probatam Collegarum meorum eloquentiam: Et debitæ gratitudinis ſignificationem ſupremo Numini ac Sereniſſimo Fundatori devotiſſimè dicatam, aliaque gratæ mentis teſtimonia, cum Gratioſiſſimam SERENISSIMORUM clementiam mihi propitiam & Illuſtris auditorii favorem ad auſcultationem paratum video, anguſtâ oratione declarabo. Ut verò Academiæ votorum & gaudiorum primitias Bono cum Deo ordiamur, is, quem penes ſuprema rerum bonarum omnium auſpicia ſunt, operi ſuſcepto advocandus eſt Opt. Maximus Auſpex, ut in novo hoc Athenæo divinus vigor, veræque felicitatis character perennet. Proſperet ſtator ille Univerſitatis, maximè laude digniſſimum Inangurationis & Conſecrationis Academiæ hujus inſtitutum, ſuaque benedictione id foveat! Ita præſens & futura ætas divinorum memor beneficiorum, conſuetam gratulatorii carminis formulam dulci ſemper modulamine repetet *Hallelujah, quia bonus eſt Dominus & in ſeculum miſericordia ejus.* Quamvis autem lubenter fateamur, non poſſe nos, ſupremo Numini conveniens exhibere χαριστήριον. Laudes enim & grates, quas debemus Domino Deo noſtro, pro conceſſis hiſce Sapientiæ ſedibus, nec mens noſtra concipere nec lingua effari valet: Tibi tamen, Omnipotens Deus, pro ſummo bonitatis Tuæ munere indeſinenter tantas agimus grates, quantas deficiens mortalitatis imbecillitas efferre valet, majores etiam Tibi Tuâ adjuti gratiâ, agemus. Devotiſſimo interim animo & cultu in ſacrâ hac virtutis & honoris æde ſuſpendamus.

Tibi ſummo Orbis Rectori, Anathemata æternæ Gloriæ tuæ Sacra. Tu æterne Deus, cujus ſecretisſimum eſt cum bonis principibus commercium, induas porro *SERENISSIMUM PRINCIPEM Noſtrum* ſpiritu pietatis, Sapientiæ, Prudentiæ, Fortitudinis, Juſtitiæ, ut tanquam Vivum omnium Virtutum exemplar (quo encomio dudum cœlo orbique gratisſimus fuit) in conſummata felicitate ad extremam usque Senectam floreat! Concedas, *Reverendiſſimo Fundatori, Principi Regenti, ejusq; Sereniſſimo fratri, Dominis noſtris Clementisſimis ac univerſæ Cimbricorum Principum Celſisſimæ Familiæ* vitam longævam, mentem divini & humani juris intelligentem cunctaque proſpera: Sub divino gratiæ tuæ tutamine perpetim vigeant præilluſtres, Generoſisſimi, Generoſi, ſplendidisſimi Procerum, Equitum, Conſiliariorum ordines, atque inter illos *illuſtris Excellentisſimus Holſatici Regiminis Præſes*, cujus maximi Evergetæ curâ & conſiliis hæc Academiæ ſacra parata atque perfecta ſunt: Hujus illuſtris & Excellentisſimæ eminentiæ viri in novam hanc Academiam merita nemo verbis unquam exprimere, ſed ne adumbrare quidem poterit. Meruiſti illuſtris heros, ut Ptolemæi Philadelphi ac Evergetæ in bonas artes amplisſima beneficia hìc renovata eſſe credamus: etenim qualia laudarunt Ptolemæum ſecula regem, tali lætamur reddite Præſide nobis: Quantum illi tellus Memphitica debet amoris, tantum noſtra ætas tibi ſe debere fatetur. Feliciter agant actum omnes Nobiliſſimi ſuis elogiis venerandi

Viri

Viri, qui olim vel nunc voto & auxilio ornare voluerunt *Calata*, quæ jam celebrantur *Comitia* flaminum Academicorum inaugurandorum causâ. Fac Mitisſime Pater, à quo filiali, πληροφορία expectamus omnia nobis utilia, ut recens hoc virtutis & ſcientiæ plantarium gratiæ tuæ laticibus irrigatum perpetuo producat grata tibi ac frugifera. Tu inexhauſtæ ſapientiæ fons, da nobis ſapientiam, ut valedicamus vanitati, ſerviamus veritati, vivamus æternitati. Tu es noſtra Sapientia, ſapiens veritas, vera charitas, chara felicitas, felix æternitas. Cumq; tamen te ipſum & tua nobis largisſimè obtuliſti munera, nos vicisſim tibi omnia devota & conſecrata cupimus. Hæc ſunt Deo grata Academiæ noſtræ *Encœnia*, quæ venerari, vetus & bene ſe habens mos eſt. Valeant fumoſa *Palilia*, Diis gentium pro ſtabulis, pecoribus, ac Natali Romæ ſacrata, Valeant *conſecrationes*, quo ſolenniores eò horribiliores, quibus liberos olim ſuos initiabant, *Edulia*, *potina*, *cuba*. Valeant illiberalia *Bacchanalia* m. Octobris inſano ritu peracta. Profana hæc, procul à noſtris abſint ſacris, quibus Deo Maximo Tutori, Academiæ noſtræ Natalem, vota publica & gaudia, puram, gratam verèque liberalem mentem dedicamus. Ita auſpicatò facta Illuſtris Licei æternum durabunt fundamina. Et hæc erit vitæ ac Felicitatis Academicæ norma, ne obliviſcamur unquam nos in conſpectu Dei agere. Sed adorato Numine ad Summos Academiæ Evergetas Divinâ munitos autoritate, jam mea ſe ſubmittit venerationis devinctisſima oratio; Veneratur Invictiſſimam Imperatorem Ferdinandum III Uno Deo inferiorem, inclytæ memoriæ Principem, ampliſſimorum Privilegiorum, quibus fruimur, Clementiſſimum Donatorem. *Plaude Muſa Ferdinando*, *Plaude Muſa Cæſari*, Vivit poſt funera immortalis Sacræ Cæſareæ Majeſtatis virtus in animis devotisſimorum ſubditorum. Et bonæ literæ, quæ plenisſimâ Imperatoris indulgentia his in locis fixam domum ſedemque ornatisſimam accepêre, mori vetant Auguſtisſimum Mœcenatem. Vivit ille in ſacratisſimo ſucceſſore, Invictisſimo Imperatore, Filio Leopoldo. Iſte Seculi noſtri Germanicus, à quo expectare fas eſt omnia ea, quibus felicitas Germaniæ ornatur, dum feliciter floreat, gratiâ & clementiâ ſua tueatur nos Majeſtati Cœſareæ devotos perpetuum famulos. Ut autem Imperatoria beneficiâ perenni obſervemus veneratione, nobis demandavit Heros ſummarum virtutum ſummarumque dignitatum, Cœſ. Maj. Legatus Commiſſarius Illuſtrisſimus. Atque tanta privilegia gratioſisſimis immunitatibus aucta, REVERENDISSIMUS & SERENISSIMUS PRINCEPS ac DOMINUS, DN. NOSTER CLEMENTISSIMUS Fundatæ Academiæ ſuæ conceſſit, Ut exemplo Maximorum Heroum, gloriam Sereniſſimo genere & Illuſtrisſimo virtutum exercitio partam, literarum propagatione & illuſtris Academiæ munificentisſimâ erectione æternare. Paraverat jam providentiſſimâ cura tredecim ante annos, Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dn. FRIDERICUS Holſatiam Regens Dux omni laude Major, Tuus, Serenisſime Princeps, Glorioſisſimæ memoriæ Divus Parens Cæſarea iſta privilegia. Idcirco Veſtrum Conditores

Gell. 15. c. 27.

An. 1652.

tores Sereniſſimi immortale nomen ſumma gloria ac germana laus in perenni vigore & æquali celebritate in novâ hac Academiâ novatur & augetur indies. Vos optimi generis humani delitiæ, Dei immortalis effigies rectè æſtimaſtis, non tam arces, munimenta, claſſes, exercitus externasque opes theſauros eſſe, firmaque regionum veſtrarum præſidia, quam viros doctrinâ & prudentia excultos. Hinc quiſque regionem Holſaticam, atque in ea aulam Gottorpianam regnantibus Sereniſſimo Principe Divo FRIDERICO Parente Tuo, Tuaque Reverendiſſimâ Serenitate perſpicaci oculo inſpexit, invenit ibi, quicquid raritate & vetuſtate notabile, quicquid naturæ & artis mirabili induſtriâ ad commoditatem aut oſtentationem paratum, quicquid in operibus publicis invento uſu & ingenio autorum nobile. Vidit formas machinarum, quibus pace belloque uſus pretium facit. Laudavit admirandæ fabricæ ſphæram, liberalis otii portum Bibliothecam, urbium amœnitates agrorum pecorumque fœcunditatem & divitiarum copias. Cum verò idem ſpectator advertit in aula & Regione tua, SERENISSIME PRINCEPS, Pietatis, juſtitiæ, Fortitudinis, Prudentiæ longe evidentiſſima ſpecimina, diſciplinam curiæ Aulicæ, optimarum legum obſervantiam, illuſtrium Procerum Ordines, conſilii copiam, ſervitutem Publicam, prompta in periculis remedia, negotiorum amplitudinem, diligentiam, procurationem, civium ac incolarum mores & inſtituta; ſummæ dulcedinis ac venerationis plenum retulit animum, nec invenit, quid primo, quid deinceps admirari aut venerari debeat. Ex re verò Principem Feliciſſimum, Sapientiſſimum: Aulæ ac Regionis Præſides, quos Deus Principi dedit idonea formando firmandoque imperio inſtrumenta, Veræ felicitatis pararios; Principalem aulam Illuſtriſſimum Virtutis Gymnaſium, univerſam regionem, bonæ fortunæ coagulum eſſe prædicavit. Ibi tanto alacrius virtutum ac prudentiæ ſalutari contentione certatur, quanto certius intelligitur, poſſe ſic proſperitatis augmenta conſervari & ſic in poſteros deſtinari; Nullius quoque obſequia Sereniſſimis Holſatiæ Ducibus probari, niſi ſuffragante doctrinâ, prudenentia, virtute facta. Præter illa verò ſeculi ornamenta, quæ aula Principis & regio Holſatica habuit hactenus, Clementiſſimus Princeps, gratioſiſſimè convocare voluit, alios viros ingenio claros, ut in publico hoc ſapientiæ theatro virtute ac doctrina prodeſſent. Hâc profeſſa domo, eruditionis ac prùdentiæ illuſtri officinâ magis illuſtrem ac felicem reddidit optimus princeps ſuam provinciam. Sunt nempe boni principes regionum ſuarum ſoles & quocunque progrediuntur, lucis ac beneficentiæ ſuæ vehunt ærarium & vitiorum atque indigentiæ tenebris interitum ferunt. Tale lucidiſſimum principum ſidus, talis antiſtitum gemma ſplendidiſſima affulſiſti nobis, Reverendiſſime, Sereniſſime Princeps, Muſageta Opt. Maxime, condita hac Academiâ, velut lucente Pharo, præparatis hiſce auditoriis & cathedris, Bibliotheca, typographia, aliisque eruditionis ac diſciplinæ organis conceſſis, tenebras ignorantiæ & vitiorum, conſtituto communi convictorio egeſtatis inſuper ſqualores diſcuſſiſti, Tuæ Munificentiæ undique exſplendeſcentis lumine illos etiam recreabis, qui gymnaſtica exercitia equitandi, pugillandi, ſaltandi & reliqua hujusmodi, tanquam optimorum ſtudiorum remiſſiones & laxamenta fortiſſimarumque actionum præludia

ludia expetunt. Nec enim talia ab Athenæis, quibus armata Pallas præſidet, omnino ſecludenda, modo meliorum conatuum impedimenta, luxuriæ ſevitiæque incitamina non ſint. Obtinemus hîc inæſtimabili beneficio Serenisſimorum Ducum bonæ mentis ac corporis eximiam palæſtram, & deprehendimus in aulæ, regionis atque Academiæ Holſaticæ ſacrariis junctam virtuti Minervam habitare. Tua quidem pietas, Serenisſime Domine, optaverat, ut quam tardisſimè Divo Genitori ſuccederes, quo ille, uti cœperat, fundaſſet & conſummaſſet hanc bonorum ſtudiorum metropolin. At immortalis Deus, feſtinavit virtutes tuas ad gubernacula Holſatiæ admovere, ut inter initia Principatus & ætatis magnum hoc Glorioſiſſimi Patris, Tuumque opus feliciter ac maturè tranſigeres. Tu, Sereniſſime Princeps, ipſis tui Regiminis initiis iſtud regnandi tyrocinium poſuiſti, ad cujus magnificentiam pauciſſimi maximorum principum poſt multos vitæ imperiique annos connîti potuere. Omnium bonorum applauſu probaſti, curam de templo Sapientiæ ædificando, Tuæ ſerenitati Teſtamentaria Divi Parentis diſpoſitione relictam, ad principalem primamque tuam pertinere munificentiam. Hac virtute tua, hac ânimos trahendi atque retinendi efficacia, cui elogium ſufficiens nullum reperio, formiſſimaque beneficiorum obligatione inſitam illam Dei & Naturæ lege juſtam venerationem Tuorum omnium Tibi, Auguſte Patriæ parens, devinxiſti.

Vivas, ſeculi noſtri Sapientiſſime Salomon, paternarum virtutum & poſſeſſionum heres glorioſiſſime! Vivas, Divi Patris, qui heroica pietate ac virtute Davidem Deo cariſſimum regem, æquali autem nominis gloriâ Salomonem imitabatur, Succeſſor digniſſime! Qui laudatiſſimas Beatiſſimi Parentis deſtinationes de ædificandâ & inauguranda academiâ, tanquam clariſſima Ieruſalem, ubi Cathedræ ſedesque doctrinæ ac juſtitiæ poſitæ ſunt, optimè perfeciſti. Divina illa χειραγωγία, quâ Deus conjunctioris gratiæ exemplo Regi Salomoni ſapientiam dedit, ut paternas in erigendo templo curas impleret & alia cœleſtis providentiæ ſigna evidentiſſima in tuis, Inclyte Princeps, glorioſiſſimis actionibus, etiā in hac Academiæ Inauguratione maniſeſtiſſime apparent. Ut inter cordatè dicta admitti posſit illud Syneſii: Quod Deus Pium principem ineffabili quadam necesſitudine & ſpeciali conjunctionis genere ſibi ſoleat conciliare. Vivas, diu gloria tua & felicitate, quam feciſti, fruare! Deus tuus ille in hoc imperii ac annorum primordio ſpecialis educator, tutor, defenſor, pergat ita te amare, ita ſavere tibi, ita Te tueri! Dei enim munus eſt, quod ætatis annum XXV agens, Principum optime, ſtudiis ſapientiæ, pietatis, virtutum erexiſti immortali nomini Tuo ſacram hanc Academiam, talium rerum officinam. Abeat ambitioſa oſtentatrix ſui vetuſtas Romana, & inter mirandas hiſtorias referat Cn. Pompejum anno ætatis decimo octavo, Iulium Cæſarem nona decima ætatis periodo bella civilia ſuſtinuiſſe. Quanto æternior eſt tua gloria, Reverend. Princeps Fundator, qui ipſa Salomonea ætate, natali nominis Baſilii ſive Regii Illuſtrisſimique, velut alter Salomon, templum pietatis ac ſapientiæ, paternæ deſtinationis memor fundaſti, conſecraſti. Non cruento Marti & inteſtinis lanienis annorum & principatus florem deſtinaſti, ſed eximia tranquillitatis publicæ inſtrumenta egregia, ſecuritatis communis præſidia

Tibi & regioni tuæ comparasti. Uti quondam Cæsar Augustus Iuventutis Princeps ætati tuæ, *Serenissime Dux,* suppar effecit, ut vigilantià sua non modò securum, verum etiam tutum imperium esset. Et hoc tempus ferme solum repertum est, quo plurimum & crudelia arma cessarunt & ingenia floruerunt. Ne vero inerti justitio languerent virtutis opera, bellissimam bonæ mentis palæstram ante laudatam in Musarum castris armatæ Palladi gnaviter operaturis, sapientissim: ordinasti Extorrem penè ac fugitivam pietatis bonarumque artium disciplinam, quam tot exilia versant, tot circumdant ubique pericula, cum optimo regum Josià & Imperatore Constantino M. revocasti & tuæ Septentrioni Religionis ac doctinæ stator, optimè vindicasti. Præclaro hoc opere formam, quæ jam ad summum principalis gloriæ fastigium ascenderat, certo felicitatis pignore corroborasti, coronasti, ut intelligamus Vitam tuam virtutibus potius ac benefactis, quam horis constare! Vivat, repeto enim; seculi nostri Sapientissimus Salomon! Vivat augusto Cæsare Augustior Princeps, vivat mente & religionis Zelo Iosias alter! vivat Constantino M. in restaurandis disciplinis comparandus Heros & horum annos veramque felicitatem in perenni Dei favore superet. Et verò jam solidè gaudemus lætitias nostras sacro cumprimis hoc triduo & Divinis & Tuis, Serenissime Princeps, coronari beneficiis. Olim Principes gentilitatis politiæ Atheniensis, dum novæ Academiæ suæ gloriam quærebant, sapienter voluere, ut illa charitum, virtutis, industriæ & sapientiæ propria & veluti consecrata sedes esset: Eadem & nostrorum votorum summa fuit. Divino autem Tuæq; Serenitatis munere, voti non modo compotes facti sumus, hæc nova sed etiã Academia, ubi virtus & doctrina rerum domina suas exponent opes, theatra instituent, edent munera festa agitabunt, proferent pomæria, Atheniensum votis superior videtur. Illam enim ipse Deus perficiente Principi constituto Festivitatis Academicæ triduo, Charitum, candoris, tranquillitatis ac fidei amœnissimo consortio, sapientissimè ornavit. Advertite Auditores pia omina atque colligite, quod

- - - - *Faustoq; Deus probet omnia vultu,*
Dum nitidum Eo promit abaxe diem.

Dies iste III Octobr. nomine Candidi Illustris, Tuo, Serenissime Princeps, splendidissimo adventu illustrissimus nobis Inaugurandæ Academiæ Candidatis Professoribus, verè candidus exstitit, quem candido gratæ memoriæ animo potius, quam lapillo ætatem notabimus. Contigit tunc Te, candidissimo fulgore Orientem Principum solem, primùm hic intueri; contigit nobis Serenissimi adfectus tui lucidissimum indicem, porrectam candidissimam dextram adorare: Contigit Clarissimo prorsus singulari & admirabili spectaculo frui, cum ut, cum poeta loquar

Plebs & minor ordo
maximusq;
Sancto cum duce candidus

Inter

Inter ornatisſimorum curruum ac equorum pompas, inter dulciſſimos tubarum ac tympanorum ſonos, inter bombardarum machinarumque fragores, inter ſuaviſſimos gratulantium applauſus lætiſſimo agmine, conſpiciebatur. Te Sereniſſimum adventorem, ſereniſſ. Fratris Illuſtriſſ. Comitum, Baronum, Procerum, Equitum comitatu, eruditorum, civium, militum ſatellitio ſtipatum, exſplendeſcentis undique generoſiſſimi candoris lumine inducta Chilonium venerabunda ſuſpexit. Academia præſertim, cujus ornandæ ac Inaugurandæ cauſa tanto apparatu veneras, Te Fundatorem ac Dominum candido obſequio ſuſcipit devotiſſima,

Omnis quam chorus & ſocii comitantur ovantes.

Magis verò proſpera lux heſterna fuit, V. Octob. dies, in Faſtis Placido Sacra, ſtudiis Academicis, placidam mentis tranquillitatem conciliantibus, felix præbens auſpicium; Eadem die, quæ ante hoc octoginta annos Æræ Gregorianæ novæ temporis emendationi initium dedit, de verâ temporum morumque emendatione in Novo Holſatiæ Parnaſſo Dei ac Principis voluntas amabili neceſſitudine conſpiravit. Vidimus illa luce, quam nulla ſilebit ætas, nulla obliterabit oblivio, divinam plane Academiæ conſecrationem, largiebatur diſpenſabatque illi Deus ſuam quandam efficaciam, ſanctitatem & vigorem, ut communi hominum ſorte nequeat æſtimari. Venerandum eſſe Auſpicii Academici opus, placidâ religione autumarunt omnes atque attenti dixerunt:

En Deus eſt, Deus eſt animis linguisque favete.

Tantà pietate, Profeſſores frequente ſtudioſorum copiâ publicoque applauſu comitati in aulam Sereniſſimi Principis aſcenderunt, Inde ſolenniſſima pompa in templum ducti, ſuaviſſimam Muſicam, magni Theorhetoris verba percipere, Illuſtriſſimi Legati Cæſarei admiranda eloquia & quanta autoritate Evergeta ille Academiæ privilegia, Primoque Univerſitatis Prorectori ac Palatii Sacri Magnifico Comiti ornamenta purpurea aureaque dederit, quomodo ejusmodi donaria excellenti oratione habita Magnificus Noſter ſuſceperit, debita advertere & ſpectare licuit reverentia. Hæ placidis Muſis ſacratæ Ceremoniæ omnium ſpectatorum animis tranquillam voluptatem inſtillarunt. Omnes boni hoc inceptum Gloriæ divinæ & publico Egregio unicè deſtinatum, publico applauſu & favore excepere. In hiſce ferjiis Introductionis dum Illuſtrem Sereniſſimæ Munificentiæ Tuæ, Reverend: Princeps, ſobolem naſcentem, & Celſiſſimo capiti juncta corporis Academici membra vidimus in tanta variorum hominum frequentià placide comiterque omnia transacta, merito admiramur. Occupabat nempe ſacrum ſilentium & divinus horror mentes mortalium, ut rei novæ Auguſtæ & divinitatis plenæ attoniti eſſent epoptæ, inſpectores ac judices. Scipio Africanus victis Pœnis in Capitolium aſcendens, ut Diis omnibus Sacrificium faceret, Hodie, ait, litibus & jurgiis ſuperſederi æquum eſt. Tu Sereniſſ. Princeps, Cymbrorum Fortiſſ. Scipio devictis barbarie & vitiis in Sapientiæ virtutumque Capitolium ac pietatis templum ſplendidiſſimus Triumphator & Academiæ Fundator aſcendens, ut Opt M. Deo Sacra faceres, eidemque Natam Academiam devoveres, Spontaneam populi Tui atque exterorum ſvaviſſimam

concordiam ſenſiſti jurgiis litibusque abſtinuere omnes, mutuæ benevolentiæ & communis gaudii ſigna daturi publicis tripudiis & donis certarunt,

Tib. lib. I. Eleg. I.

Et vaga nunc actu diſcurrunt undique pompa
Perque vias urbis munera perque domos

Inprimis autem dedit placidæ devotæque mentis indicia, tanquam illuſtria apophoreta & Strenas, ut Novum annum Academiæ auſpicatò aperiret, Muſarum populus feſto conatur ipſe ſuo, atque in teſtimonium infucatæ lætitiæ ſolennia vota fecit. Poſt hæc inter lautisſimas in Principali aula epulas doctrinarum ac virtutum myſtæ non luxurioſe, uti olim Salii Martis Sacerdotes Anciliorum feſtum, ſed Generalem Academiæ diem celebrarunt, placidá veneratione Dei Summique Principis beneficia in æternam rei memoriam animis, ceu Laureatis columnis inſerentes hoc anathemate: Faxit Pacis & Tranquillitatis autor omnipotens, ut placidis auſpiciis cœpta Academia tranquillo ſemper ac ſecundisſimo felicitatis curſu perennet, nullæ placidam, quam agimus vitam turbent moleſtiæ, nec inquieti quicquam tangat tranquilla Muſarum Limina. Hæc vero Muſarum limina, ſi unquam erunt, jam profecto felicia ſunt, cum hodierno die, qui Sanctæ Fidei conſecratus eſt, primo ſalutare voluerit Felicitatis Academicæ pararius, Fundator Sereniſſ. Amplisſimâ præſentiâ Sereniſſ. frater Auguſtus Fridericus, Illuſtriſſ. Comites, Proceres, Equites, Venerandi hoſpites ſua frequentiâ condecorarunt,

Hic eſt ille dies, quo non ſacratior alter
Palladio illuxit Pierioque choro.

Bonâ enim fide obſignat nobis heri largâ manu conceſſa beneficentia documenta. Ut in humillimi obſequii datam fidem tenacius ſervaremus, ingreſſus es, Sereniſſ. Princeps, ideo primum deſiderio Tuo flagrantem honori devotisſimam Academiam, ut in illa collocares immortalis fidei & famæ tuæ perennaturas columnas. Novus hic Muſarum chorus Te capite Apollineo & Rectore Magnificentisſimo nova jam induit ornamenta

Iamque novi præeunt faſces, nova purpura fulget.

ORATIO

ORATIO V.

DANIELIS GEORGII MORHOFII,

U. J. D. Eloquentiæ & Poët: Professoris Ordin.

Reverendissimi & Serenissimi Principes ac Domini, Domini mei Clementissimi, Illustrissime Comes, Viri Munerum, Generis, Doctrinæ laude incluti, tuque nobilissima Juvenum Corona.

DUm publici omnium audiuntur plausus, dum undique tot lætantium vocibus, tot gratulantium votis, urbs ista, & hæc subsellia perstrepunt; dum in hoc novo Palladis delubro, in hoc Musarum Parnasso, nihil non sonat literarium, dum doctissimis eruditissimorum virorum Orationibus aures vestræ detinentur, mea hic facile silere poterat infantia; nisi partes dicendi mihi imponeret, & muneris mei ratio & sacrosancta parendi necessitas. Erumpat ergo nunc vox ista, Serenissimi mei Principis munere mihi concessa, quam hæsitantem publici plausus provocant & evocant. Procedam nunc è mediis umbris in illustrem hunc locum, atque Serenissimæ huic luci imbecilles & ad Solis istius radios caligantes oculos exponam. Etenim, si, ut est in fabulis, Phœbi Parentis aspectum non tulit Phaethon, si Semele unius Jovis fulgorem non sustinuit, quidni hæc oculorum acies perstringatur ad ipsius nostri Phœbi intuitum, & ad tot nostros Ioves Jovisque satellites? Quemadmodum vero Persæ solem orientem, ita & Te, Clementissime Domine, oculis quidem conniventibus, humillimis tamen votis veneror orientem Parnasso nostro Solem & Apollinem. Tu enim & Cimbrici tui Orbis Sol, & Parnassi nostri Apollo, ipso isto tuo ortu, atque adeò sub ipsam regiminis tui felicissimi Auroram, fidem fecisti veteri verbo, quo Musis amica dicitur Aurora. Senserunt, Serenissime Domine, senserunt Musæ nostræ Auroram tuam sibi amicam & majora sperant à meridie tua, quam perpetuam nobis servate ò superi, nec ullo unquam tempore ad occasum vergentem! Atque, ut apertius eloquar, Tu, Serenissime Domine, quod orbis miretur, quod postera secula loquantur! augustissima demum imples Divi Tui Parentis de erigendâ Academiâ desideria. Quanta hæc pietas! Tu quæ olim temporum difficultas exclusit, exequeris consilia, sub ipsis imperii tui auspiciis. Quanta felicitas! Tu populi tui & Rector & Doctor Sapientiæ sacrarium illi exstruis. Quanta munificentia! Tu denique de omnibus bene mereris. Quanta gloria! Mihi sanè fato ad hanc vernaculam tibi gloriam destinatus & quodammodo natus

natus videris, quâ tu vivus vidensq; ut beneficum aliquod numen salutaris, ipsamque ante mortem audis immortalis. Dum enim alibi Musæ vel pelluntur, vel fame conficiuntur, vel pede profano conculcantur; Tu exules sinu tuo recipis, tu liberalibus impensis alis, tu quassatas erigis: Dum plurimi hodiè tam averso à literis animo sunt, ut in ejus perniciem conjurationem Catilinariam jurasse videantur, dum Cyclopes & Thersitæ, vel potius boves, nisi quod non mugiant, divinissima studia pro futilibus & inutilibus raptant, easque funditus exstirpatum eunt, Tu eas â contemptu vindicas, regioque habitu decoras sistis. Dum alibi in hoc turbarum Oceano vel cum fluctibus luctantur, vel inter scopulos colliduntur, Tu naufragas tutissimo tuo Kiloniensi portu suscipis. Tu Parnassos & Pindos erigis, quibus in Cœlum eatur, sed sine θεομαχία. Officinam Tu hic statuariam erigis, in qua Cimbriæ tuæ novæ sculpantur Virtutum imagines. Cumq; Holsatia vernaculo suo nomine â lignis & lapidibus dicta credatur: erunt hic Phidiæ & Polycleti, qui è quovis ligno Mercurium Patriæ sculpant, non statuas tamen quascunq; sed Memnonias illas vocales, quæ ad Solis tui ortum animentur, ne quod aliquando de Roma dicebatur: lapideum in eo fuisse populum, quia tot fermè ibi statuæ, quot cives, nobis quoque objiciatur; erunt Deucaliones, qui omnem lapidem movebunt, ut lapidibus istis humanam formam inducant. Chemicam officinam aperis, in qua plumbea & ferrea juvenum ingenia sublimiori quadam μετομορφώσει mutentur in aurea, eaque non Vulcanio, sed divino quodam igne cœlitus lapso, Promethei cujusdam operâ ab omni fece humanâ excocta. Quod insignis quondam Chemicus, se pharmacis suis hominem ab ipsis incunabulis arti suæ traditum immortalem effecturum jactavit, id verius nunc de Te dicetur; ut qui istis Sapientiæ pharmacis, quæ mentibus hominum propinas, id efficis, ut vitam vivant verè immortalem: Si enim, teste Seneca, vita absque literis mors, literati soli vivere, soli censendi sunt immortales. Balnea hic parantur è fontibus Castaliis, quibus, ceu lustrali quâdam aquâ ignorantiæ & vitiorum maculæ eluantur: Æthiopes verò non dealbantur. Hortos hic novos condis, &, si fas ita vocare, Paradisum quendam, è quo quatuor illi quatuor Collegiorum fontes perpetuâ scaturigine in terras tuas deriventur. Hic cavebimus, ne vel stillicidiis premantur, vel uredine infestentur arbores, ne in degeneres ramos abeant aut sylvescant, ne pugnaces fraxini, aut contumaces ilices inter Apollinares laurus & pacificas olivas reperiantur, ne, ut in fabulis legimus, è fungis iterum enascantur homines. Operam dabimus, ut *Sylvæ sint Principe dignæ*, ut potius Camœnarum lucus, quam Martis, aut lascivorum Faunorum hic adaptetur. Lucum Dodonæum adeo religiosè â gentilibus cultum tradit Diodorus Siculus, ut nefas fuerit ex eo exscindi arborem, quæ in profanos usus cederet, è quo non nisi res sacræ, ut caduceus Mercurii, hasta vel clypeus Minervæ, Herculis clava, sceptra Regum Spartanorum, Virgæ Areopagitarum formari debebant. Talis est ille Musis nostris sacratus locus & lucus, â quo profanæ manus & bipennes arceantur, è quo exscindantur divinæ Virgulæ, quæ mysteria tam divina, quam humana

in

in lucem protrahant: è quo formetur caduceus Mercurii, qui animos hominum inflectat & demulceat: hasta & clypeus Minervæ, quibus Dea Musis & Marti nata barbariem fuget literasque ab invidiæ telis defendat: Herculis clava, quæ vitiorum monstra pessundet, Cerberos, Dracones, Hydras literarias ejiciat & obtruncet: Sceptra, quæ populum in ordinem redigant: Virgæ & fasces quibus armetur Iustitia, quos Judex in malignos expediat. Excrescat hic Virtutis ille ramus aureus Poëtarum scriptis celebratus, qui nunquam è stirpe suâ ita recidi potuit, ut in locum prioris alius ei per omnia similis non succreverit. De Astyage Medorum Rege relatum legimus, visam sibi in somnis fuisse vitem, quæ è pectore suo excrescens per amplissima regna palmites diffuderit multosque populos obumbrarit. Hæc Academia tua, Serenissime Domine, hoc Autumni tempore, ipso isto Octobri mense, quo

Mitis in apricis coquitur vindemia saxis,

enata, Vitis illa frugifera est, in pectore, in sanguine tuo plantata, cujus rami non per tuas tantùm, sed & per alias terras & populos se diffundunt, sub cujus umbra hospitari gestient liberalia studia, eorumque cultores seduli, cujus liquore plusquam Castalio inebriari volent non Bacchi sed Musarum alumni. Poteram hic, forte non adeò ineptè usurpare illud Sacri Vatis Ezechielis dictum: *Mater* hæc nostra *quasi vitis in sanguine tuo plantata est, frondes ejus & fructus creverunt, & factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium.* Formare enim hæc Mater nostra poterit, tam illos, qui sceptris præsunt, quam qui subsunt, tam qui parere possunt, quam qui imperare. Quod Augustæ Cæsarum familiæ omen fuit auspicatum, id sua quadam ratione nobis quoque esse potest. Quemadmodum enim Aquila in gremium Liviæ recens Augusto nuptæ lauri ramum demisit, qui plantatus ingens sensim lauretum dedit, è quâ sylva triumphaturi surculum decerpebant, qui sub finem triumphi iterum plantatus germinabat: quâ virente Sylva, floruit quoque domus Augusta, quâ arescente, ipsa ejus gloria exaruit: Ita nunc sublimem istam Aquilam Romano Germanicam è laureo suo serto decerptùm hunc lauri ramum in gremium tuum, Serenissime Domine, demisisse dicam, quem Tu nunc terræ tuæ infigis, qui felicibus auspiciis, tàm divinis, quàm tuis in ingentem excrescat sylvam, è quâ Triumphatores nostri literarii frondes suas decerpant, quæ plantatæ alias iterum frondes infinitâ successione pariant, ut in omne usque ævum lauretum hoc nostrum vireat, & nunquam exarescat. Progerminet in isto luco Pygmalionis illa Oliva aurea numerosissimis è Smaragdo fructibus onusta. Olea hic fæcunditatis, truncus aureus eminentiæ erit symbolum, fructus è virente Smaragdo floridæ & vividæ virtutis simulachrum. Cœlum terris tuis imponis, Serenissime Domine, in quo Tu tanquam Sol istum ἐγκυκλοπαιδείας Orbem perpetuis imples radiis continuoque cursu absolvis: nec sine solis tui beneficio florere possumus cum Vere, messes dare cum æstate, fructus colligere cum Autumno, semina fovere cum hyeme. Hic Tu à Te ipso, Astra à Te, Terræ tuæ à Te & Astris lucem capiunt. Procul autem esse jubes, quæ in ipso aspectu exstinguuntur Meteora, infaustos Cometas,

ignes

ignes fatuos, capras saltantes, Dracones volantes, aliaque pulcherrimi istius Orbis tui dedecora. Quod Gallorum est de Scholâ Parisiensi elogium, primogenitam illam esse Regis filiam, id verè nunc de novâ nostrâ Academiâ dicimus. Filia hæc tua est, quia publicus omnium Pater es, & verè nunc Patriæ Pater dici potes: quod eam Cimbriæ tuæ genueris filiam, quæ in ipsis suis seris nepotibus tot nobis gignere potest Patriæ Patres, qui Te primum suum Parentem uno ore celebrabunt omnes, & augustum tuum nomen per omnium seculorum memoriam diffundent. Alius fortassis mallet Conjugem dicere, quæ se Tibi

Connubio junget stabili propriamq; dicabit.

Properat scilicet in amplexus tuos divinæ pulchritudinis Virgo, SOPHIE, illustres tuos toros anticipatura. Qua in re admirabilem Te suspicit orbis: Nam cum alii eò tempore vel thalami curas potiores habuissent, vel alias sectati fuissent voluptates: Tu tamen, Serenissime Domine, prætulisti æterna illa caducis, quia ipse ad æternitatem factus, quia ipse divinus, animusque tuus alia agere non potest, quam quæ divina spirant. O felicissimum SOPHIES & CHRISTIANI ALBERTI connubium! O fœcundissimum! Quanquam enim illa Virgo sit, munificentiâ tamen tua gravida, Iovis instar, è cerebro, obstetricante toto Musarum choro tibi edet charissima illa pignora, proque liberis libros Orbi & luci ostendet. Atque hujus tam illustris negotii gloria tanta est, ut Orbis eam vix capiat, longè quidem major, quam si Oceanum jungeres pontibus, aut Pyramidibus & colossis erectis metireris famæ tuæ magnitudinem. Omnes enim apices, titulos, prætextas & trabeas transcendit. Frustra vestes palmatæ, triumphales currus, frustra insanæ saxorum substructiones in comparationem adducentur. Quod si Lysimachus olim occupatâ Thraciâ cœlum se hastæ cuspide contingere gloriabatur: Tu nunc non hastæ cuspide, non vertice cœlum ferire, sed pedibus mihi calcare videris. Glorietur Cæsar, quod tot hominum millia ferro flammaque exstinxerit; Pompejus M. captis oppidis castellisque mille quingentis se efferat: Tu non cruentam istam gloriam sectaris, non homines exstinguis; sed regis, imo novos quodammodo gignis formasque literarum & sapientiæ studiis. Non tu Urbes exscindis, castella diruis, sed Helicona novum exstruis; unde non aliquot seculorum fama, sed ipsa Tibi nascitur ÆTERNITAS. Pro parte hereditarius est Tibi studiorum amor. Quem enim latet quanto favore Domus Cimbrica Musas semper amplexa fuerit? quis ignorat, quantos Divus tuus Parens in eas sumptus fecerit? quod splendidissima illa Bibliotheca, lauta illa stipendia, admirandæ istæ Sphæræ testari possunt, quibus similes major ille orbis non vidit, & quibus ego fati aliquid semper subesse credidi. Cum enim alii Principes & gentes pignora sua habeant, quæ ostentare soleant: Cum Romani ancilia cœlo lapsa; Scythæ securim, Phialam & Sagittam; Galli lilia & ampullas jactent: Cimbri Principes Orbem totum possident soli, qui ad eorum quasi nutum voluitur & revoluitur. Verum enimverò, quanta etiam fuerint Divi tui Parentis in literas & literatos beneficia, voto tamen Academiæ erigendæ excidit ipse, & nunc à Filio istud impleri lætantur sanctissimi

ejusManes. Cui Tu gloriæ nunc solus servaris, qui ita Musas tractas ita foves, ac si unicus & summus esses seculi Musagetes, ut nunc in Te uno Majores omnes vivere, quæque in alios diviso alveo derivata bona, in Te uno meatu collecta fluxisse videantur. Solent morum Magistri ideas fictorum quorundam Heroum, aut Hercules aliquos proponere, ad cujus typi intuitum generosa Mens parturiat. Sed ea quidem in Te cura erat supervacua: Si enim vel omnes Majorum ideas tolleres, animus tuus se ipsum sibi sisteret pro imagine. Fecit enim Teipsa Natura Principem, neque Diadumenis illis coronam capiti ex utero connatam jactantibus similis censeri debes, vel, iis qui à sanguine mutuantur purpuram, quæ ipsa sæpe magno sanguinis pretio constat, qui exprimitur de venis populorum. Excussisti tu sponte tuâ Majorum cineres, si quas forte ibi reperires scintillas, quibus præferendas populo tuo faces posses accendere. Sed majores in Te ipso alebas flammas, quæ nullâ ambitionis aurâ ventilatæ sponte se exerebant, omnemqne Virtutis materiem consumebant. In ipsa illâ primâ tuâ pueritiâ ductæ jam erant lineæ, quibus Virtutum tam paternarum quam insitarum effigies poterant includi. Vulgaris & plebeiarum mentium sors est surgendo crescere: At tu qui jam in cunis eras magnus, noluisti, nec potuisti major fieri, nisi Te demittendo. Quâ quidem Virtute, ut præcipuâ in Principe, & primâ, ceu quodam vinculo cæteras omnes adeò Tibi obligasti, ut nodo quodam Gordio tecum connexæ, nunquam possint à Te vel Alexandri cujusdam, vel ipsius Martis gladio dissolvi & divelli. Quemadmodum enim Orbis Universus in chartam angustam compingitur, ut in oculos distinctius possit incurrere: ita tu quoque à teneris didicisti minor fieri, nullo majestatis dispendio: ut te capere potuerint oculi imbecilles. Quæ humanitas tua tantum genuit in Civium animis erga Te amorem, ut jam non certius aliquod ab armis præsidium, quam ab illorum animis debeas exspectare, nec aliud munimentum, nisi quo intra pectora illorum tua mens, quæ in illis vivit, circumscribitur. Quis vero divinum illum animum Tuum nobis depinget? Ut enim cœlum indefessâ rotatur vertigine; ut maria perpetuis æstibus sunt inquieta; ut Sol orbem semper obit: ita animus tuus nunquam cessat, nunquam feriatur, sed semper in Heroicas illas & regias Virtutes agitatur. Cum enim multis pœnitendorum successuum mater temeritas assideat gubernaculis; tibi adsistit optimarum actionum præceptrix Pietas & Prudentia. Quæ muta est in terris Themis, tuo ore loquitur: Quæ cæca est, tuis oculis videt. Amas autem illos, qui è terris profugam de cœlo deducunt, gravissimos scilicet Consiliarios, quibus aures non tantum das, sed & linguam, animos, & manus. Hæc cum accuratius perpendo, Pyrrhus aliquis mihi videris, qui Diis gratias egit, quod primò Regem se fecierint, inde, quod animum Regium dedeunt, quod denique Cyneam, Virum acrem consilio, & potentem eloquio concesserint. Singula illa Tibi non vota sed fata sunt: Principem enim Te Deus fecit, dedit animum Regium, dedit denique Cyneam, perillustrem tuum KIELMANNUM, cujus incomparabili prudentiâ, cujus svada, ceu Hercu-

lis Ogmii catenâ animos tuorum, & dirigis,& devincis ; cujus consiliis Tu, Serenissime Domine, primum inductus, immortalem struis nomini tuo gloriam, dum Musis novum Helicona exstruis. Proscribitur â plerisque aulis Veritas; vel si adest, silentium fovet plusquam Pythagoricum, nec vel in loquacissima causidicorum turba Patronos invenit; Adeo omnes sunt ranæ Seriphiæ: Verum apud Te illa non silet, Te Iudice loqui, audet, etiam sine Patrono. Raræ sunt istæ aquilæ vel lynces, qui radios ejus rectos capiunt; plurimi malunt reflexos; multi cæcutire amant in crepusculo; multi mendaciorum nebulis se involvunt nebulones. Tu vero illam in lucem protrahis, & quia Serenissimus es, serenam amas: odisti noctuas illas, quæ illam oderunt, vespertiliones qui illam fugiunt. Tu nudam illam Virginem statuis, quam alii è conspectu suo removent, turpiter verecundi, quā vestibus tegunt, cujus os persona obducunt, ne vel vultus illi apertus videatur. Non admittit græculas adulationes gloria tua, quæ solida est; non alis in sinu tuo Sinones istos & Vertumnos, qui ut vestitum; ita & sententiam habent, aliam domesticam, aliam forensem, & qui quasi rotæ figulorum in omnes partes convertuntur. Omnes intra ordinis gyros tenet summa Virtus Iustitia, quæ adeo tua est, ut in Te habitare, velut in cœlo suo videatur. Bonos tibi cives formas, te ipso, tuosque mores certissimam illorum facis disciplinam: Tam enim absurdum Tibi est Principem esse solutum legibus, quam in dirigendo navis cursu gubernatorem non hærere gubernaculo. Imò quia Princeps es, vivis secundum leges, nec aliter te Principem esse posse credis: quem & Legis exemplum & ideam vis haberi. Quanta verò est ista liberalitas tua, quâ erga sapientiæ cultores & Doctores uteris, quæ tibi cum ipsis Academiæ annis crescet, vicetque posterior semper priorem. Id enim cum ipso summo Numine habes commune, ut dum tu beneficia largiris, munificentia tua inveniat, quæ largiatur. Detrahis splendori & pompæ, ut splendidiores sint Musæ, nec in Martis alumnos erogabis, quod debetur Musarum cultoribus. Leonis Imperatoris vox tua erit, qui svadentibus, ut Eulogio Philosopho destinatum stipendium in militem solveret, respondit: *Utinam liceret meo tempore, quæ militibus dantur, in Professores Artium erogare!* Nec pœnitere Te istarum impensarum poterit, quæ infinitâ ergâ singulos utilitate rependuntur. Ut enim Soli non decedit, quod dispensat in sidera; nec Arbori, quod in ramos; nec capiti quod in membra; nec cordi, quod in venas: ita Ærario tuo nîl perit, dum artes illas alis, quæ Viros tibi prudentes forment, quibus si impletur Respublica, lucrari etiam ex illis poterit. Solius enim prudentiæ opus est, cumulare Pelopis talenta, Crassi pecunias, Cræsi thesauros: Et solus, me quidem judice hanc ditescendi artem docere vel poterat vel debebat Philosophus; sapientissimus autem Thales ipso exemplo docuit. Verum ea omnia tanta sunt, ut leviter tangere nefas sit; omnia dicere velle temerarium: inprimis homini ad eam rem non instructo, & cujus umbra non capit tantam lucem. Satis nunc sit, si dixero, in Te, Domine, complexum esse omnium virtutum, quas

quas si ordine panderem, citius me dies hæc, cujus jam bona pars abiit, deficeret, quam illustria rerum argumenta. De Parrhasio fertur: illum Atheniensium pessimum Zeum ita delineare potuisse, ut invidum avarum, ferocem, injustum, amentem ipsa pictura expresserit. Sed redivivus ille vix umbram tuarum virtutum penicillo assequeretur, quam calamus nullus exprimit, nedum meus. Alias ea res linguas, alios Oratores postulat, quam me, qui Cicadæ isti similis sum, quæ in Eunomii insignis Cytharoedi lyrâ confidens suavissimos fidium concentus strepera voce malè imitabatur. Illa potius optimorum Oratorum ingeniis & seculorum linguis reservanda, nec intra unius ingenii terminum finienda. Quin, si nihil aliud de Te memorari possit, quam ista Academiæ institutæ gloria, sufficeret pro æternitate occupandâ, &, dum ea diceretur, omnia, nisi fallor, simul dicerentur. Non enim potes non amare sapientiam, cujus Sacrarium exstruis. Ea autem est, quæ omnem Virtutum chorum, divina omnia & humana, cœlum & terras complectitur. O diem lætum omni annorum memoriâ celebrandum, quo tanta Musis fecisti otia; imò quo totum orbem tibi devinxisti beneficiis tuis! Demarathus Corinthius cum Alexandrum, profligato Dario & devicto Oriente, in solio Darii sedentem videret, lacrymans præ gaudio exclamavit: O infelices Patres nostros quibus tale spectaculum videre non licuit! Ego vero felicissimum tuum Parentem infelicem non dicam, magna tamen eum puto caruisse lætitiâ, cui optabilius fuisset spectare hæc præsentia, quam exspectare futura. Vides, Domine, quam trahat splendor ille tuus illustrium Virorum oculos, quantum hæc festivitas collegerit confluxum tam spectatorum, quam studiosorum, ad hanc Panegyrin, tanquam ad Olympicam aliquam celebritatem concursantium, qui eo facto non tuæ tantum Cimbriæ, sed omnium populorum negotium geri ostendunt, quorum omnium pectus, haud secus ac scenam & theatrum tuis implevisti laudibus. Circumspice affusa lateribus tuis gratulantium agmina: vide collectam hinc inde turbam, jam præcedentem vias, jam gratâ & blandâ quadam vi illas obstruentem: perspice vultus, qui mera gaudia loquuntur: vide, quas flammas pectora â sole tuo incensa alant, quam faustis ominibus universi Cives tui adventantes Musas excipiant & amplexentur. Vide, quam aures arrigantur omnium ad istos tympanorum strepitus, ad istum tubarum clangorem, qui jam non Marti, cujus ante aliquot annos funestissima imago & rura obambulabat & oppida, sed Musis gratissimam indicunt festivitatem. Omnes nunc tantæ rei dignitatem subrostranos & subbasilicanos, juvenes & senes, in circulis & semicirculis passim prædicantes audias. Admirantur omnes magnificum illum apparatum, augustam illam & planè regiam pompam, venerantur sceptra illa, quæ Musis nostris, augustiore, ni fallor, ritu, quam quo Consulibus olim Romanis fasces & secures, præferuntur. Omnes Magnæ illius Matris nostræ Academiæ Megalesia mihi celebrare videntur. Nam potiori jure Magnam illam Matrem, Animorum obstetricem, dicam, quam Romani suam illam Matrem Terram, corporum nutricem, quam è Phrygiâ advectam magno apparatu in Urbem recipiebant. Quemadmodû vero illam omni effusâ civitate Scipio Nasica, raræ virtutis juvenis optimusque,

(talem enim Oraculum popoſcerat) in ædem Victoriæ maximo omnium plauſu pertulit: Ita nunc Te, Sereniſſime Domine, Optimum noſtrum, addo & Maximum, Senatu tuo univerſo magnoque procerum numero ſtipatum hanc Deam, hanc Matrem noſtram excipientem, inque hanc ædem auguſtam cultui ejus ſolenni ſacratam deferentem vidimus; quam & nos Victoriæ Ædem appellare poſſumus, in quâ tot contra barbariem & ignorantiam obtinebuntur Victoriæ, tot celebrabuntur triumphi, tot victores publicis decorabuntur laureis. Imò Capitolium aliquod mihi fingo, in quod olim quoque Triumphatores deducebantur; quod licet Iovi ſacrum, habebant tamen & alia numina ſibi exſtructa delubra, Menti quoque fanum dicatum fuit: Ita & in noſtro illo Capitolio varia numina variarum ſcientiarum nomina ſunt, ad quas non niſi per Bonæ Mentis fanum pergimus. Ingredere ergo, Domine, iſtud Capitolium non elephantis cum Pompejo, non cervis cum Aurelio, aut Leonibus cum Antonio vectus. Non Te humeris inferemus, uti Tullium quondam ejus populares, non manibus, ut Romani Severum Imperatorem: verum animis & oculis (modeſtiore utique & gratiore pompâ) te geſtatum in hunc locum deducemus. Ingredere: ſed parietes illi quos luſtras & illuſtras, vix tantam lucem capiunt: Pavimentum hoc ſervabit ſibi impreſſa illa benevolæ humanitatis tuæ veſtigia: creſcet cum tempore loci religio, creſcet cum affectu cultus, atq; ad poſteros tranſibit. Magna profecto noſtra nunc eſt felicitas, cum à Te non ſolum poſſideamur: ſed ipſi nunc Te præſentem poſſideamus. Nobis Te dediſti, dum omnium imples oculos, omnium animos tuo deſiderio occupas: ita, ut noſtra apud Te poſſeſſio plena ſit obſequii; tua apud nos plena reverentiæ, quam Tibi præſenti exhibemus, quam abſenti integram ſervamus. Sed erramus, ſi abſentem dicamus, cujus præſentiſſima benignitas ſemper nobis adſiſtit, cujus manus nos defendunt, cujus oculi nobis proſpiciunt, & aliorum invidiam & faſcinantes oculos amoliuntur, cujus animus ſemper in civium animis erit, & in cujus animis adeò nos omnes ſumus, ut à Te, quaſi à Mente quadam, quam totam in toto corpore, & totam in quâlibet ejus parte hoſpitari ſapientes ajunt, inſpiremur, moveamur & agamur. Solem illum communem ſiderum & terræ Principem aliquando nox nobis aufert, ſæpe nubes involvunt, ſæpe Luna illi oppoſita nobis invidet; ſemper tamen ejus vires ſentimus in mundi inferiora propagatas, vel tùm, cum ille maximè abeſſe creditur, qui ſi aliquando ſerenus prodierit, lætior apparet, minus gratus futurus, ſi ſemper fulgeat. Ita & Tu, Domine, poſtquam vires tuas ſemper ſenſimus, nunc vultus tui lucem objicis, quæ animos magna quidem voluptate perfundit, id tamen cum ſole commune habet, quod temere intuentium oculos occæcet. Poteras tu quidem, è longinquo res noſtras moderari: ſed maluiſti Te nunc nobis oſtendere, ut quanti Tu Muſas noſtras facias, videamus; Tu quanti nos te faciamus, videas. *Tu* umbratica noſtra ſtudia in tuam lucem producis, quæ non aliunde quam à *Te* lucem poſſunt capere. *Tu* eximio tuo ſplendore vigilatas noctes noſtras illuſtras, ut jam non ſolum ἔργα καὶ ἡμέρας, ſed

ſed & noctes Atticas polliceri poſſimus. Quæ latuerunt hactenus pulvere Palladio tecta ingenia, tuâ liberalitate ex arenâ literariâ in aream gloriæ evocabuntur, ſpes eorum non virebunt tantum & florebunt, verum in præſentiâ tuâ, velut ad faciem Solis conſtitutæ excoquentur, & ad maturitatem pervenient. Tu novam aliquam Urbem, novum aliquod aſylum, non ut Romulus infamibus quibusvis & depoſitæ ſpei mancipiis, ſed meliori juventutis flori, ſed ingeniis in ſpem publicam natis aperis, nec tuis ſolum civibus ſed & peregrinis. Et Cives quidem tui in magnâ lucri parte deputabunt, quod nunc poſſint habere Præſentes ſuas Deas, Muſas, quas non inde ab Athenis Atticis, aut è longinquo, inter ſollicita & anxia Parentum vota, & rei familiaris diſpendia, domum ducere debeant, ſed jam domi ſuæ natas, vernaculas, hoſpitaſque inveniant, novam erigentes in Kilonio Coloniam. Nec enim adeunda illis tot pericula, quot Ulyſſes quondam ſubiit, ut diverſa hominum noſcant ingenia; hîc ſecuri diſcent honeſta ſectari, fugere turpia, & populorum mores Hiſtoria illis vivis coloribus quaſi in tabulâ quâdam depictos exhibebit. Peregrinos autem alliciet jam per tot ſecula cognita, & nuper ad Moſcovitas, Perſas & ipſos Indos delata Cimbriæ fama, tum & ipſe loci genius, cui nihil eorum, quod trahere hoſpites poſſit, deeſt. Habet Cimbria vetuſtas & ab omni ævo celebratas familias, habet tot lato clavo inſignes optimates, generoſiſſima pectora, Viros Marte & Arte incomparabiles, qui excelſo animo & magnificentiâ omnia ſumma, humanitate ſummâ omnia etiam infima complectuntur, quorum vel ſola converſatio & exempla erudire poterunt. Habet Cives denique omnes ad hoſpitalitatem & civilitatem quodammodo natos. Habet præterea pulcherrima iſta Urbs, Holſatiæ ocellus, commune totius Cimbriæ, nunc Muſarum quoque forum & emporium gratiſſimos ſeceſſus, rura cultiſſima, nemora ſuburbana, quæ Tempe quædam dixeris, ut nulla deeſſe poſſit occaſio, quæ ſeveriorum ſtudiorum intervalla honeſto diſpungat otio. Adduntur iſtis ſylvis gratisſima maris littora, ubi cum Lælio & Scipione poſt graviores curas conchas legas & umbilicos. Nihil deeſt eorum, vel toti Regioni, vel huic urbi, quæ Natura, vel ad necesſitatem, vel ad ſvavem vitam homini largiri poteſt, ut quæ aliis terris diviſa dedit bona, in hanc cumulaſſe omnia videatur. Quæ cum omnium oculis ſint expoſita non opus eſt meâ commendatione hîc demonſtrari. Hæc omnia peregrinos ab omni parte huc vocabunt, ut omnes nova iſta civitate donari, & novæ hujus tuæ Urbis dici Quirites velint. Imo Circes quandam fabulam agit noſtra hæc Cimbria contrariis virtutibus: Humanitate enim ſua optimisque moribus (quod aliàs ſæpe factum) hoc ab exteris impetrabit, ut cum hic vivere cæperint, aliâ in patriâ ſe natos eſſe obliviſcantur. Atq; his omnibus id obtines, Sereniſſime Domine, ut æterna illa fama, quæ Divo Parenti tuo apud exteros crevit, tibi apud exteros altius latiusque excreſcat, dum domi naſcitur; vix intra Orbis fines terminetur, quæ intra Cimbriæ tuæ limites ſurgit. Naſcitur ſub Septentrione noſtro Muſarum mons, novus Parnaſſus, quem Magneticum appelles licet, (quales ſub ſeptentrione montes reperiri tradunt Rerum Septentrionalium Scriptores) ad quem occulto quodam înſtinctu rapiantur

ingenia

ingenia literas amantia. Et sanè magnum aliquod de septentrione nostro augurari soleo, quod mirâ divinæ providentiæ lege semper eò se converterint imperia, cumque imperiis literæ, quarum connexa fata videntur. Fervebunt nunc omnium studia sub rigido isto Septentrione, etiam eâ tempestate, quâ frigere solent omnia: nam calent omnium affectus solis tui radiis inflammati. Stat supplex studiosa Juventus seminarii hujus futura seges, Tibique ac Patriæ consecrat studiorum fructus. Illa nunc tota in flammas honestæ æmulationis & eruditionis abibit: nec ullus illorum est, qui non optimè hic usurpet, quod Dido pessimè: *Sic sic juvat ire sub umbras*, & per istas Musarum umbras ad æternam Famæ lucem. Nemo illorum tuâ face prælucente, nobis manuducentibus longum hoc literarum iter ingredi refugiet: Et quamvis multi viæ pertæsi, statim in ipsa portâ deficiant, ut Galbæ cantherius: tuis tamen auspiciis & nostro ductu lubentissimè absolvent. Quamvis multi ingentem illum Oceanum, tot syrtibus scopulisque, tot ingeniorum naufragiis fatale horreant, & in ipso littore moras nectant: multi etiam adeò languido sint stomacho & animo, ut, postquam navem conscenderint, & paululum provecti sint, toti statim nauseent, requirantque continentem; tuo tamen sidere afflati, tui Favoris favoniis subnixi, felicissimum demum literarum portum, in hoc Cimbriæ tuæ portu se sperant consecuturos. Et videor mihi videre ex hoc sacrario, tanquam ex Equo Trojano prodeuntes tot Proceres, qui terrarum orbem imperio premant, tot generosâ nobilitate illustres, literarum ornamento jam illustriores, tot Papinianos, tot Galenos, tot in erudito pulvere Archimedes,

Qui totum radio describant gentibus orbem.

Hinc præfectos suos capient Respublicæ, Magistratus Civitates, Iudices tribunalia, Cyneas & Nestores Aulæ, Oratores Cathedræ: Absque verò literarum beneficio tot bardos & fungos videas in Republicâ, Strumas in Curiâ, tot Damas & Vappas in Civitate. Nec docta hic solum, sed & armata Pallas erit, poteritque inter ipsas literas succrescere bellator juvenis: quem Philosophus docebit mortem contemnere, quod præcipuum est in Milite; armorum autem usum peritissimi artifices. Novam intra hæc urbis pomæria Romam, novas Athenas reductas videas, cumque iis tot magna veterum nomina. Hic tanquam in speculâ collocati omnia perlustramus secula, per quæ vitam ducimus, non nostris sed mundi annis. Hic quasi in ipso æternitatis gremio, in ipsâ sapientiæ arce sedem nobis sumimus, eo vallo muniti, quo grassanti stultitiæ adspirare fas non sit. Hic de imperio orbis terrarum sedemus judices, & publicorum Consiliorum arbitri. Hic in ipsos Judices merum illud & magnificum exercemus imperium, leges præscribimus ipsis Legibus, Censores ipsos sub censuram vocamus, & vel sine populi suffragio. Hic utrumque Fortunæ vultum securo spectabimus animo, extra inferioris mundi contactum positi: hic nos ipsos extra nubem contemplabimur, animosque nostros divinarum & humanarum rerum pascemus cognitione: quæ omnia nostris objicientur oculis, nostris claudentur parietibus, nostris occupabuntur calamis. Hic est ille non Martius, sed Musarum campus, in quo acies nostræ contra barbariem & ignorantiam dispo-

disponentur, in quo, Apollinis nostri præsidio freti, victoriam reportabimus. Et nescio sanè an non hic agmen ducere debeat Philosophia, cujus auspiciis validissimi in aciem producentur Exercitus. Qui in Errorum caligine versantur, ab illâ lucem accipiunt: illa illustres facit, ejus radiis perfusa mens se ipsam perspicit, ejus ardore incensa pellit ignorantiam, & quæ per cuniculos irrepsere, vitia. Quod sine sole dies est, id sine Philosophia & artibus liberalibus vita: Tolle illum ex orbe; & induces perpetuam noctem, omniaque in chaos suum relabentur; tolle has ex animis, & spissam induces ignorantiæ nubem. Humana merito vocantur nostra illa studia, quia mores ferinos ejiciunt, nec sinunt esse feros: Divina vocentur, quia homines faciunt, quæ qui spernit, nec humanus amplius est, nec homo. Quot enim in nobis affectus habemus, tot alimus feras, quibus nisi frena imponat Sapientia, in earum formas & mores abimus μεταμορφώσει plus quam Ovidianâ. Liberæ sunt & liberales illæ artes, quæ nec Tyrannos metuunt, nec faciunt; nec servitutem imponunt, nec subeunt: Ab iis enim libertas est, per eas dominamur; & nobis ipsis: quia Artibus Liberalibus servimus liberè; & aliis: quia liberi per Liberales Artes esse nondum didicerunt; magni tam servitio, quam imperio Reges. Absque iis vero togata, tunicata & palliata sumus mancipia, & miserrimam servimus servitutem, quodque de Claudio Cæsare fertur, in magnâ vernarum familiâ omnium vernæ sumus. Ne Vitiorum barbaries & Solœcismi nos abripiant, cavebit Grammatica. Illa manuductrice operam dabimus, ne præsentis temporis fastu turgidi, præteriti obliviscamur, de futuro securi. Illa eum, qui se plusquam perfectum somniat, ad imperfecti gradum dejiciet, & contrà ex eo omnibus numeris perfectum faciet. Adversus Sophismata & Strophas muniet Dialectica, & ut rationem vitæ subductam habeamus, docebit: ut si cui præmissas formaverit prudentia, conclusionem non extorqueat fortuna. Si exultantes affectus nostros æqualitate aliquâ temperabimus, Musica exemplo suo docebit: quæ sonos elatos tono humiliore coercet, dura mollibus miscet, mollia duris. Si curvi aliquid in nobis est, corriget Geometria, quæ teretes atque rotundos, id est: Viros Bonos efficiet, quorum animus velut orbis quidam est, qui nec sinu imprimitur, nec angulo excedit. Astronomia animum nostrum quasi Sphæram quandam agitabit, quæ Divinam Mentem pro Sole, Virtutum omnium complexum pro Stellis habebit. Si ad Virtutis lumen nondum confirmavimus oculorum aciem, Optica hæc Solem illum videndum sistet, ad cujus radios cæcutiunt noctuæ, nec vitii umbram patietur irrepere. Præclara ista omnia sunt & magnifica, quæ non prædico, sed ferè polliceor, velut μάρτυς ἐκ Διὸς δέλτων, & certiora mihi ista sunt auspicia, quam quæ ex alitis volatu, sinistro oscinis cantu, aut extis & fibris pecudum petebantur. Funestas verò illas, arculas & inebras aves, quæ frustra nostra turbare conantur auspicia & malè ominari non desinunt, parum moramur. Quicquid enim obstrepant istæ parræ; quicquid latrent Hircaniæ canes; quicquid rudant Arcadiæ greges, quicquid ululent Lycaoniæ lupi, quicquid grunniant Ætoliæ porci,

porci, noſtræ tamen Academiæ ſua conſtabant fata, omni ſeculo perennatura. Hæc omnia *Te* diſpenſatore, DOMINE, nobis obveniunt bona: Prolixus ille beneficiorum tuorum ordo è munificentiſſimâ dextrâ tuâ promanat, ut mortalium omnium vivat ingratiſſimus, qui non gratam ſaltem vocem in obſervantiæ pignus afferat. Ruunt ergo in amplexus tuos Muſæ, quarum gaudia, quæ concepere, intra pectoris ripas ſe non continent ſed in meros triumphos exundant: Et quis ſiſtat tantum votorum torrentem? Omnes ad Serenitatis tuæ genua provolvimur, & ſubmiſſas agimus gratias, cui hunc ſpiritum, hanc vitam, hanc vocem debemus. Omnes Tibi, vitam precamur, & de noſtris annis tuis ſinguli addimus, quanquam immortalem te potius optemus, ita ut nunquam ſubtraharis mortalibus. Omnes non aliter ſe ſuosque ſalvos optant, quam ut te ſalvum videant, cujus ſalute ſe vivere credunt, qui Te magis quam aerem ſpirant, idque ſolum vivunt, quod tecum ſint, vel coràm, vel abſentes per animi ſimulacrum. Devovet ſe Tibi totam Academia, quæ ſe dignam tanto Parente ſobolem oſtendet, cujus licet adhuc meſſis in herbâ ſit, poterit vel hâc hyeme lacteſcere, brevi in culmum ſurrectura. Omnes Deum Ter Optimum Maximum veneramur, ut hæc nobis gaudia velit eſſe propria, ut in Patriæ immenſam utilitatem, ut in perennem ſui gloriam cedant, ut Sereniſſimam Cimbricam domum in perpetua ſurgere ſinat incrementa, non niſi cum Orbe iſto finienda. Faxit is, ne Otia noſtra literaria, vel temporum injuriis, vel Marte turbentur. Malè enim convenit togæ cum ſago, & quantum illa diffundit; tantum hoc reſcindit laciniæ. Faxit, ut ſecurì tuo vivere poſſimus præſidio, Domine, qui auream amas libertatem, ſed ſine Marte ferreo, & velut è portu quieti ſpectemus alias in ſanguinis diluvio eheu! naufragas gentes. Ego vero, qui totus tuus ſum, me totum Tibi commendo: Neque enim hic exprimere poſſum, quantum Tibi debeam: quod dum tento, ſtupet calamus, hæret lingua, & magnitudine beneficiorum attonita, te ſacro tantum veneratur ſilentio; aut, ſi quas ea voces proferre poſſet, leves tantùm, quà data porta, protrudit gratias. Interim, quamdiu inter homines ero, & hâc aurâ, non meâ, ſed tuâ veſcor, tuis audebo rebus, imparem licet, occupare calamum. Æquum enim eſt ut quemadmodum me non ſinit Serenitas tua obſcurum, ſinat & pium eſſe, ut reflectam ignem, quem perſtrictus hauſi. Accipies autem non invitus & ſerena fronte, memoriæ perennis conditores calamos, & geſtarum rerum ſervatores cuſtodesque chartas, unicos theſauros noſtros, quos Tibi, ut Domino offero ſervus. Cum enim omnia debeantur, furtum me facere putarem, ſi quicquam meum ad te non deſtinarem.

Prodeat nunc ultimò in conſpectum tuum Muſa mea; quæ, quia beneficiorum tuorum compedibus ſe devinctam agnoſcit: noluit libero ſermonis

monis ſchemate, ſed vinculis metricis ligata coram auguſta tua facie comparere. Verum dum ea & pedibus & compedibus ſuis in tuam tentat ire gloriam; in ipſo ſtatim laudum tuarum limine tot invenit, quæ illam morentur elogia, ut ſi jam in ipſa ſe conferret penetralia, ceu Labyrinthi cujusdam ambagibus implicita exitum vix inveniret. Videbatur ſibi in quodam ÆTERNITATIS delubro verſari: cujus valvis hæc auro inſcripta verba:

CHRISTIANUS ALBERTUS
DUX HOLSATIÆ CLEMENTISSIMVS.

Quæ dum accuratius intuetur, Phœbéo quodam & fatidico correpta furore, quot literas, tot fere ſub iis latitare videt oracula, quæ disjectis hinc inde elementis inque alia verba diſpoſitis, quaſi numine quodam digitum intendente ſtatim patuere, erantque iſta.

LEX, HELICONA STRUIS, MUSIS
DANS SECLA, TIBI THESAURUM.

Mirata illa ipſis etiam literis quædam ineſſe fata vel omine longè quidem certiora, quam quæ vel ſiniſtræ Jovis manubiæ, vel tripudium ſoliſtimum, aut pecudum exta rata faciunt: hoc ſeu Poeticum ſeu Grammaticum ſortilegium ſacro quodam ſilentio ſummâque cœpit pietate venerari. Nec dubitabat iam amplius, quod priſci Sapientiæ Magiſtri docuerant, ipſa nomina ſigna eſſe rerum, cumque iis occulta quadam ratione connecti: Id

autem jam pro certo habebat: uti in Principe omnia, ita & nomen illi ſacrum eſſe, è quo iam plura didicerat, quam ſi Iovis inſpexiſſet diphtheram. Dum vero ulterius illi immorat,ur hæc de ſingulis Anagrammatis membris illi carmina ſponte quaſi ſua properabant ad numeros, quæ explicarent latentia in illis myſteria:

LEX,

TE LEGEM, DUX MAGNE, *voco.* LEX *viva tuorum es,*
Et PRINCEPS *iſto nomine* SUMMUS *eris.*
Quod corpus ſine mente, quod eſt ſine lumine mundus:
Id populus foret, id Rex ſine Lege foret.
Quem Regem vocitas, hac Regem Lege vocabis,
Lex regat ut Regem, Rex regat inde gregem.
Et Rex ſit Legi, Regi Lex conſona: mutus
Rex ſine Lege foret, Lex ſine Rege foret.
Majeſtas in Lege ſedet: ſi dempſeris illam,
Lex ſine Lege foret, Rex ſine Rege foret.
Te LEX: *Tu* LEGEM *formas, dicique mereris*
LEX, LUX, DUX, *Populi* MENSQUE SALUSQVE *tui*

HELICONA STRUIS.

Quis tibi Parnaſſus, quis ſurgit ad æthera Pindus?
Optime, quem PRINCEPS *nunc* HELICONA *ſtruis?*
Stat Mons iſte Tibi, quo cœlum ſcandere mentes
Æthereæ poſſint, ſideraq; ipſe petas.
Stet mons iſte Tibi, Cœlum hic Tibi fulciat Atlas!
Ætna ſit, & flammis æſtuet usque novis.
Hinc Tibi ſurget honos, nobis fortuna: nec iſtum
Quem ſtruis hic montem, deſtruet ulla dies.
Dum ſtruis hunc montem, Te PRINCEPS MAXIME, *magnum*
Fortunæ & Famæ dicimus eſſe Fabrum.

MUSIS

MUSIS DANS SECLA

Tu Musas, DUX MAGNE, *foves, nova secula nobis*
Efficis, ô secli gloria summa tui.
Aurea fac nobis, fac sint argentea Musis
Secula, ne noceant ferrea secla cave.
Sic mollem trahimus per ferrea secula vitam:
Sic nostro vives munere; nosque Tuo.
T*u* M*usis dare secla potes*, DUX MAGNE*: sed ista,*
Quæ dederis possunt reddere secla T*ibi.*

TIBI THESAURUM.

T*u* T*ibi* T*hesauros, nova nunc Æraria condis,*
In sacro M*usis* M*ercurioque loco.*
Sic tibi crescit opum cumulus cum fœnore: M*usis*
Quas dederis, solas semper habebis, opes.
Persarum gazam spectavit Cimbria quondam:
Nunc Cimbrûm spectet Persaque & Indus opes.

Hos pedestris mea Musa, & compedibus tuis ligata, pedes ad pedes tuos deponit, ô Sacratissimum Caput: satis quidem intelligens; quam vile illis pavimentum substernat, quibus vel ipsa astra se præbeant calcanda. Hæc de Nomine tuo carmina Nomini Tuo offert, Domine, multis illi obstricta nominibus, quæ nullo unquam tempore exsolvet, cui multum accedit nominis de tuo Augusto Nomine. Quod Tibi Tuæq; Domui Serenissimæ felix sit & æternum! quod sera posterorum memoriâ celebretur, quod Musis nostris, quæ nunc â Tuo Nomine vocari gestiunt CHRISTIANO-ALBERTINÆ per omnia secula extollatur!

VOTIVI APPLAUSUS
In natali Die
Kilonienſis
ACADEMIÆ
Famæ. Honori. Gloriæquè
Reverendiſsimi ac Sereniſsimi Principis ac Domini
D. CHRISTIANI ALBERTI,
Epiſcopi Lubecenſis, Hæredis Norvvegiæ, Ducis Sleſvvigiæ, Holſatiæ, Stormariæ ac Dithmarſiæ, Nec non Comitis Oldenburgici & Delmenhorſtani.

à

Variis Authoribus
Domeſticis & Peregrinis

Cultu & obſequii

Dicati ac Conſecrati

Quorum

Nomina ſequens pagina indicabit

Kiloniæ.

ANNO M. DC. LXVI.

A. I. T.
Lectori benevolo salutem.

D*Uce & Auspice* Christiano Alberto *Cimbrorum Principe; in solennissima* Academiæ Kiloniensis Inauguratione; *post publicum Civium gaudium & gratantis Cimbriæ Panegyrim; non defuit Turbis, Populisq;* Virorum Eruditorum, *ad famam rei etiam ex remotissimis orbis partibus accurrentium, &* Principi, Literisq; *summa ac faustissima quæq; acclamantium ingens plausus. Quorum omnium Tibi* Lector *vultus & imagines ex scientiæ experimento non penicillo hic ostendimus, ne Tuam curiositatem moraremur : ut vel ex maximorum ingeniorum indiciis susceptæ magnitudinis molem & peractæ solennitatis famam metiaris. Digni sunt, ut eorum facunda scripta & jucundæ inventiones ex pretio & indole æstimentur; Quorum ingenuum ex ingenio affectuum ipsa* Principis *munificentia transtulit liberaliter in Censum:* Academia *servat in æmulationem :* Posteritas *habet gratiam in præsens, pollicetur in posterum monumentum.*

JOHANNES PASTORIUS Regis Pol. Historicus celebris.

JOHANNES MICHAEL DILHERRUS P. & P. P.

HEINRICUS MEIBOMIUS Med. Prof. in Academ. Juliana & Ducis Brunsvicen. Archiater.

NICOL. MARTINII U. J.D. & P.P.

ADAMUS TRIBECHOVIUS Phil. moralis Prof.

B. N. U. I. L.

MICHAEL KIRSTENIUS Phys. & Poes. Prof.

HEINRICUS Mülpforten.

M. G. H. BURCHARDUS.

AdOnis.

Iohan-

Johannis Paſtorij Regij Hiſtorici
GRATULATIO
Sub ipſum Academiæ natalem ſcripta.

QUò quisq; hominum compoſitioris melioriſq; animi eſt, hoc reverentiùs Magiſtratus ac Principes habet, honorem uni cœleſti ſecundum mereri eos exiſtimans, quos inter homines faſtigio Divinitatis proximos eſſe, fatendum ſit. *CHRISTIANE ALBERTE, Princeps Sereniſſime.* Cùm enim illi vices DEI gerant in terris, ejus non ſolum Miniſtri, ſed; ut ſanctiſſimus Regum loquitur, filii: colitur in iis ipſe altiſſimus, nec â quoquam poteſtas eorum contemnitur, quin juxta contemnatur Divina Majeſtas. Quæ nullo quidem hominum cultu opus habet, ſibi ipſi ad perfectiſſimam felicitatem ſufficiens: cum tamen eidem illi placuerit, bonitatis ac potentiæ ſuæ radios quàm latiſſimè per res conditas diffundere, placuit id pariter, ut radii iſti â naturis intelligentibus agnoſcantur, ac non ſine grato glorioſoq; mentis & vocis Angelicæ humanæq; reſponſu, ad fontem atq; Autorem ſuum reflectantur. Radios verò illos nusquàm luculentius conſpici patitur, quam in his Majeſtatis ſuæ, ut ſic dicam, ſimulachris, atq; organis, quibus genus humanum, per ſe diſcors, incompoſitum, & alioquin mole ſuâ ruiturum, gubernatur. Eò perfectius autem Rectores illi terrarum exprimunt Deum, quo & Intellectûs, & Voluntatis, actionumq; integritate propius ad eum accedunt. Quarum illa ſapientiæ decus, hæc culmen virtutis complectitur: illa ingenium, hæc vitam inſtruit, illa res optimas ſcire, hæc effectui dare docet, illa peritos boni, hæc bonos reddit. His qui excellunt, tacitâ quâdam naturæ lege, alios inferiores antecedunt, & digni ſunt imperare, etiamſi non imperent: cum verò imperant, tantò propiores Deo ſunt, tantoq; perfectiori imagine Deum adumbrant. Nam & DEI ipſius tùm ſapientia, tùm bonitas, non alibi aut ſplendidius aut conſtantiùs, quàm in regimine rerum, ut innui, luceſcit. Sed Divina ſapientia & bonitas ſuprà omnem imperfectionis & erroris aleam, ſuprà

omnem crescendi ac decrescendi sortem posita est. Homines verò, etiam dignitate & potentiâ, inprimis verò sapientiâ ac bonitate suprà omnes positi, infinito intervallo â Dei sapientiâ ac bonitate sese abesse agnoscunt & fatentur. Interim quô quisq; Divini, ut sic dicam, seminii plus in se habet, eò concitatiore, ad legenda Divinæ & sapientiæ & bonitatis vestigia, rapitur impetu. Ardet discutere nebulas ignorantiæ, quibus humana indoles circumfunditur; obluctatur erroribus, qui vitam obsidere solent, quiq; partim blandis insidiis irrepunt, partim vi quâdam in arcem hanc Pallados irrumpunt, ita & destinata hominum, & cursum actionum in transversum rapientes. Optimi quiq; beatos se arbitrantur, cum â primis unguiculis ad hoc cum ignorantiâ & vitiis certamen decenter institutos atq; exercitos se sentiunt. Eò enim facilius eluctari, eò longius in sapientiæ & virtutis stadio progredi, eò propius deniq; in illam, qualem expetere ac vestigare licet & decet, DEI viciniam pertingere possunt: Si inprimis illam, adolescenti ingenio impressam, & bonis actionibus enitescentem, pulchri & boni Imaginem, ulteriore artium ac sapientiæ cultu, tùm consuetudine, cum viris, in eodem studio laudem aliquam assecutis, alant, excolant, perficiantq;. Quales ut quærere unusquisq; debet, ita nemò faciliùs reperit, quàm qui suprà alios fortunâ eminens, optimos quosq; mortalium nullo negotio ad se potest pertrahere. Horum familiari, ut diximus, usu plurimum adjuvari sentiet illum, quo ad perfectionem fertur, conatum; & obstacula, quæ bonis mentibus, bonisq; ausibus obiiciuntur, magis magisq; removeri. Ac cum ita sibi potentes illi consulunt, eâdem operâ toti illi multitudini consultum eunt, quam regendam suscepêre. Ut enim corpus quodq; eò felicius est, quò illi melior habitator animus contigit: ita fortunatus ille populus est, quem sapiens bonitas gubernat. Sed ipsi quoq; Principes quô & sapientiores & meliores sunt, eò studiosius dant operam, ut ejusdem & sapientiæ & virtutis cultum in subditorum pectora ac mores derivent. Eâ ratione primùm DEO se rem gratissimam facere sciunt, cujus profectò cultus rectius constare solet inter illos, qui veris tum Religionis, quæ sapientiæ omnis caput est, tùm honestatis principiis imbuti, omnia sua ad Principem rerum cunctarum referre didicêre. Suæ quoq; gloriæ Principes velificantur, cum depulsâ ignorantiæ caligine populos habent ad egregia omnia erectos. Nôrunt aut barbarorum Despotarum, aut potiùs Tyrannorum esse, omni liberali arte interdicere subditis, & iisdem nervos virtutis incidere, nè quà ingenuæ libertatis bona intel-

ligant

ligant, ac ſeruilis fortunæ pertæſi, aliam ſibi ingenio aut manu facere ſuſtineant. Non hominum in homines, ſed Leonum aut Tigridum in imbelles greges tale eſt Imperium. Boni Principes veram & legitimis finibus ſuis circumſcriptam libertatem ſubditis lubentèr aut concedunt, ſi non habent, aut ſi habent, non eripiunt; vel ideò, ut hi tantò capaciores ſint illorum animi bonorum, quæ toties nominamus. Neq; enim metuunt, ne liberalis mentium cultura populos ad obſequium difficiliores reddat. Quin verò ſciunt tantò proclivius Rationi parere eos, quos ſapientiæ & virtutis phrontiſteria manſuefecerint. Facile in tales Imperium eſt, cum alioquin, ut veriſſimè ab Hiſtorico Romano dicitur, *peſſimus quisq; aſperrimè rectorem patiatur.* Nimirum ad turbas movendas excitare, & claſſicum ſeditionibus canere ut plurimum audet ferocia, quæ à rectè inſtitutis mentibus longè ſolet abeſſe. Neq; tamen has idcircò ad gloriam bellicam ineptas reddi credendum eſt. Eadem quæ togam modò gerit Minerva, idonea eſt ſagum ferre, ſi neceſſitas jubet. Idem qui monſtris domandis aptus ac celeber fuit Hercules, Muſagetæ etiam nomen meruit. Magnus in armis fuit Alexander, magnus Cæſar, magnus & Carolus ille Imperatorum eo nomine primus, magni alii, etiam ſortis inferioris; quorum omnium tamen virtuti bellicæ ſi artium liberalium cultus adfuit, multum iis & præſidii & gloriæ indè acceſſit. Nec profectò hoſtes Chriſtianorum populi nobis formidabiles ſunt, propter ſtudia, quæ colimus, togata, ſed ideò potius, quod nec ſemper togata illa apud nos rectè ſe habent, nec bellica iis adjunguntur tali curâ, quali debeant. Illi juventutem â primis quaſi unguiculis aſſuefaciunt ad arma, & iis exercitationibus innutriunt, quibus corpus ad campeſtres labores duratur. Feri idem inter nos poterat; & alicubi etiam ſolet; nusquam verò feliciore ſucceſſu, quam ubi utriusq; Pallados artes pari ſtudio exercentur. Quod eô lubentius hic innuimus, ut qui virtuti bellicæ ſe addixêre, vel hinc agnoſcere poſſint, quàm minimè in eos iniquæ ſint Muſæ noſtræ, atq; ut ipſi quoq; ſtimulum capiant, pari favore Muſis patrocinandi. Inſiſtent ita maximorum veſtigiis: illorum inprimis, quos paulò ante nominavi, rerum profectò quas geſſerunt, claritudine, ſed non minùs inſigni ergâ literas amore ac munificentiâ prorſus incomparabiles. Quis enim ignorat, quanti Alexander ſcripta Homeri æſtimaverit? quibus muneribus ſui ſeculi Philoſophos proſecutus ſit? quibus ſumptibus ſtudia ipſa aluerit, excitârit, auxerit? Jam inter Julii Cæſaris elogia id profectò non poſtremum eſt, quod Suetonius

 refert

refert, *omnes*, inquit, *Medicinam Romæ professos, & liberalium artium Doctores, quò libentius & ipsi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donavit.* Quod beneficium eò pluris æstimandum, quia id ægriùs ante hac in urbe Romanâ talibus datum fuisse vel indè colligi potest, quod id Tullius Archiæ Poëtæ, Magno Eloquentiæ conatu, impetraverit. Carolus verò Magnus quem non solùm honorem habuit literis, sed & laborem impendit? Cum & sacrum Codicem injuriâ temporum depravatum ipse correxit, ut rudimenta linguæ, quæ nulla tùm extabant, Tyronibus literarum præscripsit, in studiâ discentium magnâ curâ inquisivit: deniq; verò, Alcuini, magistri olim sui consilio, Academicam Lutetiæ Parisiorum instituit, attributo ei loco amplissimo, qui hodiè tertiam partem principis illius urbis constituit, & à studiis literarum splendidissimum *Universatis* nomen obtinuit, quod hodieq; tuetur. Eandem deinceps Academiam opimis privilegiis Caroli successores, donavêre. Ludovicus inprimis sanctus, qui & de Roberti Sorboni, intimæ admissionis presbyteri, ac posteà Canonici consilio, celeberrimum illud Sorbonæ collegium Universitati addidit: totius istius Academiæ tantus æstimator, ut dicere solitus sit, *tolerabiliorem sibi dimidiæ partis Regni sui redituum, quàm Universitatis Parisiensis fore jacturam, ut inter alios testatur* Rocolesius Historicus & Consiliarius Christianissimi Regis. Quantum deinceps huic ipsi sapientiæ Domicilio, beneficentiâ Francisci I, quantum & nostris temporibus magni Cardinalis Richelii, aliorumq; magnorum virorum liberalitate accesserit, notius est, quàm hic referri debeat. Cœterùm à Carolo hoc Magno, non solùm Francia, sed & citerior Germania, primam eruditionis suæ ac literarum originem arcessit. Ille ubiq; id operam dedit, ut qui armorum suorum, idem & Religionis Christianæ & simul disciplinarum cursus esset. Nullam gentem debellavit, quin Christum inprimis de eâ triumphare vellet. Quot Provincias, versus Oceanum fecit, tot Cathedrales Ecclesias, quot Ecclesias, tot Scholas erexit. Semper nimirùm cum pietatis studiis conjungendam putabat artium liberalium, qualem ea tempora ferebant, culturam. Undè & in quarundam Ecclesiarum fundationibus apertè cavit, ut ibi alerentur viri, qui Latinas Græcasq; literas docerent. Caroli exemplum imitati deinceps sunt posteri Principes, & magis magisq; indies crescere cœpit honor literarum, augusto, validoque inprimis Religionis tibicini innixus. Sacris quippè disci-

pli-

plinis habita reverentia, cœterarum quoq; artium dignitatem mirificè auxit, etsi quandoq; ea inutiles subtilitatum spinas non æquè feliciter arceret. Succrevêre dein Academiæ magno numero: pio Imperatorum, Regum, Ducumq; studio, imò & quodam quasi æmulationis certamine. Postquam enim Imperium Occidentis in multa hæreditaria feuda divisum est, nullos propè Principum potentiorum fuit, quem non cupiditas stimularet literarium ejusmodi decus Principatui suo addendi. Regnorum verò quò florentius quodq; hodie est, eò plures ejusmodi Academias habet. In solo Imperio Germanico jam dudum viginti ampliùs numerantur. In omnibus magnus disciplinas profitentium honor olim fuit, & in aliquibus hodieq; est. Ad eorum judicia subindè Magistratus etiam in rebus difficillimis confugiebant. Et in quoq; rerum genere non aliâ potius sententiâ standum videbatur, quam virorum istiusmodi, qui & in arte suâ summi esse, & de arduis plenissimè respondere posse judicarentur; ut qui his omnium maximè, imò unicè addicti, ac quasi consecrati essent. Rectores Academiarum vicariâ Principum ac Magistratuum potestate, jus dicunt literatis civibus, etiam summo loco natis. Et eam dignitatem subindè nec filii magnorum Principum ac Regum obire recusant. Qui sapientiæ seu sacræ seu humanæ studia illic profitentur, habent jus summis quarumvis facultatum ornamentis decorandi alios, quos iis dignos deputaverint. Quibus indè multum eminentiæ & dignitatis omnibus locis, in quibus luminibus literarum fastus alienus non obstruit accedere solet. Ut taceam, non vitæ tantum necessaria præsidia, sed & immunitates alias, quibus sanè non paucis & satis splendidis ditatæ sunt tùm Academiæ ipsæ, tùm quæ ex iis promanant, dignitates. Nostrum seculum acceptum à Majoribus decus literarum tueri equidem conatur. Et fatendum est, aliquos etiamnum viros eruditionis famâ præclaros ad magnos honores evehi. Qui pleriq; non dissimulant, multum se ingenio suo, & industriæ privatæ, sed plusculum etiam publicis illis disciplinarum emporiis debuisse & debere. Undè & has doctrinæ suæ quasi Matres aut nutriculas multâ semper veneratione prosequi consuevêre. Quanquàm aliqui etiam ingrati filii reperiuntur qui & ista Musarum domicilia, & Musas ipsas, quarum beneficio surrexère, alto supercilio despicere non erubescunt, nihilo penè moderatiores aliis imperitis, qui studiis honoribusq; Academicis acerbè detrahunt, eorumq; usum, propter inolitos abusûs, sugillationibus, malignisq; judiciis amant persequi. Non diffitemur sanè, ut in Regnis,

Pro-

Provinciis, & Civitatibus, & in omnium penè rerum mortalium ſcenâ, ſic in Republ. quoq; literariâ multos invaluiſſe errores & vitia: atq; ita invaluiſſe, ut omnis emendandi conatus morbo videatur impar. Non ubiq; enim ea, quæ maximè debent, nec eâ induſtriâ aut methodo, quâ debebant, docentur. Non ubiq; etiam regnat Spiritus probitatis & pacis, qualis Muſas Chriſtianas decet. Eſt ubi luxui & licentiæ nimis laxantur vela. Eſt, ubi non Candidati tantùm, ſed & Magiſtri ſapientiæ inter ſe bella perpetua gerunt; mutuò ſibi atrociſſimè obtrectantes & damnoſi. Neq; ſemper libertate & modeſtiâ Chriſtianâ aut Philoſophicâ, ſed conviciis ac maledictis, tractant quæ habent dubia & controverſa. In dignitatum quoq; Academicorum diſpenſatione alicubi non tam meritorum, quam ſportularum habetur ratio. Et ſic index eminentioris doctrinæ laurus non tam ſemper capiti erudito quàm (ſit venia liberè quod res eſt loquenti) interdum aureæ Iſidos bajulo imponitur. Ea res mirificè imminuit reverentiam, quæ Academiis & ordini literato debetur. Propter iſta enim literarum dehoneſtamenta viri etiam doctrinâ inſignes & omni honore digniſſimi poſthabentur, iis potiſſimùm oris, quibus in honoris diſtributione nullus ordini literato locus, nullum ſuffragium, nec ſpes ſuffragii, ſed merè ſub alieni velut palati arbitrio edendum vivendumq; eſt. Ad augendum literatorum contemptum accedit multitudo eorum, qui animum literis applicant, ac nomen illud profitentur, etſi aut non multùm habent ſubindè, quod reſpondeat nomini, aut ſi habent, intra nomen tamen conſiſtunt, nullo ſpectabili effectu oſtendentes, quid ſciant earum rerum, quæ ſint ad vitam agendam neceſſariæ. Tam multi porrò cum ſint, qui literarum ſtudiis vel imbuêre vel tinxêre animum, fit plerumq;, ut nonniſi aliquibus eorum honeſta vitæ ſuſtentandæ ratio contingat. Cœteri magno numero vel ſuis moleſti vivunt, vel feriis eſcurialibus impalleſcunt, vel qualescunq; ſtationes etiam viliſſimas ambire coguntur. Cui enim non ob oculos verſatur abjectisſimè ſubindè ſupplicantium & ſuccedere certantium numerus, quoties ex eo genere aliquem mors ſubduxit? Quid quod in iſtâ literati gregis multitudine ſubindè alter alterum ſupplantat, & nec famam, nec reditûs alienos imminuere negligit, ut ſuos augeat? Jam plurimos quoq; tùm inopia, tùm nimia ſui fiducia ac quædam αὐθάδεια ſtimulat, ut ante ſtudiorum maturitatem functionibus publicis inhient, ubi inprimis externis aliquibus illiciis animos vulgi trahere poſſe confidunt. Indè identidem in ambonibus docentes videmus quibus conſultiſſimum erat ad pedes Gama-

malielum diutius ſtetiſſe, ac prius privatim ſeſe quàm publicè exercuiſſe, ut quid ac quomodò docendum ſit, quomodò etiam vita docentium comparata eſſe debeat, rectius ſcirent. Nunc cum æquè doctrinâ, quàm ætate immaturos eo loco, quo veterari ſolent, ſtantes ac magna ſubindè myſteria explicare audentes videt populus, fit ut plurimum, ut unà cum docentibus, ipſum etiam munus, quod à quovis adeò facilè adiri conſpicit, veniat in contemptum. Iſta liberiùs moneo nullâ privatâ in quenquam ſtimulatione, ſed ardente deſiderio reſtituendæ liberalibus ſtudiis & integritatis & dignitatis ſuæ: Uti aurum hoc à ſordibus ſuis repurgatum eò ſplendidius niteat, eoq; potentius omnium etiam magiſtratuum ſummorum animos in ſui honorem trahat. Nunc nonnullos eorum in alendis literarum officinis, ac Magiſtris, ipſo illo vitiorum, quorum aliqua obiter attigi, prætextu, nimium quàm refrixiſſe cernimus. Adeò, ut ſtipendia à liberalitate Majorum deſtinata artium preſſioribus negentur, aut malignè præbeantur. Undè ſi qui ſuperſunt, aliis illiberalibus modis victum quærere ſubiguntur, & aut non docent, aut nonniſi privatim docent, vitam ex ſolo penè convictu ſtudioſorum tolerantes, quos ut alliciant, parùm ſæpè abeſt, quin & muneris ſui autoritatem & diſciplinam proſtituere cogantur. Acceſsêre calamitates publicæ, bella inprimis, qui bebitum Camœnis ſuccum hauſêre, aut usque hauriunt. Cultoribus earum inſultat miles, illudunt alii, rariſſimus quisq; ſuccurrit, dum qui poſſunt opitulari, nolunt, qui volunt, non poſſunt. Ex Principibus etiam ipſis aliqui milites maximè omnium neceſſarios rati, illuc defluere patiuntur rivos, qui Muſarum hortos rigare debebant. Quorum ſi exemplum imitari alii vellent, brevi opus fuerit omni literarum cultui & honori exequias ire. Sed quod populis evenire ſolet, ut creſcere hos, alios decreſcere ſinat Deus Optimus Maximus: id idem literarum animadvertimus fatum eſſe. Si alicubi eæ deflorefcunt, eò pulchrius alibi attollunt caput. Si hic aut ille Patronus deficit, alibi alium benignitas Divina ſufficit. Penè omnes, quæ in Oriente olim viguerunt, ingeniorum & artium officinas amiſimus jamdudum Chriſtiani. At earum jacturam longè majore numero penſavit melior orbis. In Europâ ipsâ quædam ruinam aut paſſæ ſunt, aut minantur, interim alius alibi exſurgit Princeps, qui afflictis novum aperiat hoſpitium. Eſſet hic campus recenſendi multos magnos & Reges & Duces, qui eam viam de publicâ re præclarè merendi, hoc quoq; ſeculo, magnâ cum gloriâ ſuâ,

ini-

inivêre. Sed subsistere lubet intrà novissimum insignitæ munificentiæ exemplum; quod in Divo Parente Tuo, FRIDERICO, & in Te, Princeps Serenissime, jure meritissimo veneramur. Ille quàm eximiâ & pietate, & sapientiâ, & magnanimitate inter alios Germaniæ Principes enituerit, constat omni meliori Orbi. Inter suos ille non optimi solùm Ducis, sed verè Patris Patriæ nomen & meruit & obtinuit, Adeò prudenter, adeò beneficè, adeo forti manu eam rexit, adeò & magnificis institutis ornavit, & novis coloniis auxit, & negotiationibus locupletavit, & ultrà Eoum mare celebrem claramq; reddidit. Vel illa ad Moscorum Despotum & Regem Persarum sumptuosissima legatio, quàm ingenti animo cæpta, quàm non sui tantùm temporis famâ, per ora hominum longè lateq; didita, sed perennibus literarum monumentis â nobili Scriptore Adamo Oleario, qui legationi interfuit, consecrata est æternitati. Verùm inter alias laudes, minimè sanè postrema est, quam is ex Doctrinæ studiis assecutus est. Quandò & ipse animum iis artibus, quæ ad magnæ fortunæ cultum requiruntur, â primâ ætate pulcherrimè excoluit, & viros eruditione præstantes liberaliter semper habuit, & juventuti, ad edita illa Sapientum templa adspiranti, suppeditatione sumptuum largiter prospexit. Nec enim contentus fuit, illustre Gymnasium, quod Bordesholmiæ olim institutum, posteà bello Germanico, miseris modis desolatum fuit, magnâ curâ restaurâsse, auxisse, ornâsse, & benè multos juvenes, post jacta ibi sub optimis Magistris fundamenta artium, in Academiis, per annos aliquot aluisse. Altius ille suæ ergà literas gratiæ ac liberalitatis facem extulit, & Academicam *Kiloniæ*, Urbe Holsatiæ primariâ, erigere decrevit: adeoq; in Patriâ suâ novum Heliconem constituere, nè eum foris quærere opus esset. Ac nè tam nobili instituto vel autoritatis necessariæ auspicia, vel pignora securitatis, vel deniq; solennia decorum ornamenta deessent, ab Augusto Ferdinando III. gloriosissimæ memoriæ Imperatore Excellentissimi Viri, Johannis Adolphi Kielmanni, â Kielmans-Eche Præsidis, cura & vigilantia impetravit: adiecta tantæ sollicitudini amplissima Privilegia, quibus non futura duntaxat Academia, verum etiam Ducalis familiæ gloriosa Posteritas niteretur. Sed magno Patri Tuo nonnisi suscepti tam laudabilis consilii gloriam DEUS Opt. Max. indulsit. Bella enim intervenêre, quibus effectum est, ut prima illa egregii operis lineamenta intra animum optimi Principis clauderentur. Et pulcherrimo destinato ipse tandem immortuus est: ita tamen, ut antequam DEO animam

mam redderet, Academiam inſtituendam Tibi, proximo ſucceſſori ſuo, extremæ voluntatis teſtibus codicillis ſanctiſſimè commendaret. Adeò, altè ſapientiſſimo Principi ſederat liberalium ſtudiorum amor, ut hæc ipſa inter ſupremas in terris cogitationes ac curas haberet. Et Tu, *Princeps Sereniſſime,* ſimillima tanti Patris ſoboles, inter primas regiminis Tui curas habes voluntatem Paternam exequi. Pius in DEUM, cujus gloriæ tam nobile inſtitutum ceſſurum nôſti: Pius in Optimum Genitorem, cujus ejuſmodi mandata pro lege habes. Alius fortaſſè cunctandi in talibus occaſionem non unam arripuiſſet: & deliberanti facilè aliquod ſchema & color placuiſſet. Uti ſunt ſanè iſtiusmodi genii, qui nusquam magis claudicare patiuntur liberalitatem, quam ubi de Muſis benè merendum eſt. Te nulli obſtrepentium armorum tumultus, nulli adverſùs Chriſtiani nominis hoſtem apparatûs, nullæ imminutorum per bella cenſuum difficultates attinuêre, quò minus id quod moriens Pater juſſerat, promptiſſimo obſequio effectum dares. Planè ut idem qui manu ſuâ Tibi votum ac voluntatem ſuam transſcripſit, animum ſimul eundem transfudiſſe videatur. Adeò idem id, quod illi jam ſeni fuit, Tibi juveni deſiderium eſt: & inter delicias Tu habes, ire veſtigiis, quæ ille præeundo monſtravit, parens ſimul & Dux vitæ, idem laudabilium operum & commendator & exemplum. Gratulor utriq; veſtrûm; Illi, de tali Filio, qui DEI gloriæ & honeſtiſſimo Parentis deſiderio omnia poſtponit: gratulor eidem de tam felice optimæ deſtinationis ſucceſſu. O quam multos meminimus Principes ſimili voto excidiſſe, cum ante voti effectum vitâ abierunt. Neq; enim defuerunt, qui inglorium putarent cœptis alienis colophonem imponere, perfecti operis laudem in primum ejus autorem redundare rati: nec famam mereri opus, quod non ſuâ ſponte ſed juſſu aut Exemplo alieno fecerint. Eò majorem laudem mereris Tu, Princeps Sereniſſime, qui gloriam Magni Patris Tuo ſumptu provehis, nec parum fortnarum Tibi decedere pateris, nè pietati ergà Parentem deſis. Cujus Tu Illuſtriſſimo Nomini Muſas æternum vectigales facis. Quot enim artium bonarum vel magiſtri vel alumni in hac Academiâ florebunt, tot tubæ, tot præcones magnum Fridericum canent: & beato illi numero Conſtantinorum, Theodoſiorum, Carolorum, aliorumq; ſimilium Mecœnatum accenſebunt. Tibi, *Princeps Sereniſſime,* gratulor, quod tanto Patri non minor Hæres ſuccedis, & ut ampliſſimarum poſſesſionum, ita gloriæ Paternæ ſortem poſt fata ejus herciſceris. Magna ſanè omnia de Te ſibi promittit Religio, promittit ſapientiæ

& virtutis Regnum, qui in hoc juventutis vere, tam glorioſam, tam feracem omnis honeſti ſementem facis. Qui enim, hoc ætatis, tàm eximiè intelligis, quantum commodi ad ſalutem & felicitatem publicam ex his ſtudiis promanet, quid exiſtimemus facturum, cum virili judicio ampliſſimos eorum fructûs ſubjicies? Quo ardore ad res laude digniſſimas exſurges, cùm plenius animadverteris, omnia veterum egregia facinora in Academiâ Tuâ ad cœlum efferri: cum præclaras Majorum Tuorum laureas intra has Athenas reflorescere ſenties, cum & omne id, quod Tu glorioſum præſtiteris, plectris devincti Tibi Heliconis decantari, & quà voce, quà calamo ad poſteritatem mitti videbis. Neq; ſpernendas duxeris has laudis faculas, quibus nóſti generoſiſſimos quoq; animos ad optima inflammari. Nec enim quia majus & cœleſtius præmium egregias actiones ſequitur, ideò actionum fama, â laudatis præſertim viris decantata, faſtidiri debet: cum & DEUS, qui Archetypus veſter eſt, gloriam adeò non adſpernetur, ut & præmiorum autoramento, & acri pœnarum comminatione eam ſibi ſtipuletur. Neq; profectò dignus eſt DEI beneficiis, qui ea non agnoſcit, & cùm majus nihil reddere poſſit, ſaltem hoc oris ſacrificium Majeſtati ejus non reddit: cum inprimis id ſeverè videat exigi. Poſt DEUM nemo majora hominibus præſtare beneficia poteſt & ſolet, quàm Principes. Gratulor Johanni Adolpho Kielmanno Præſidi, qui minimè utiq; ſilentio involvendus, ſed cum cura depredicandus eſt, ut & ipſe qui tanta præſtitit, & juxta alij, ad ſimilia præſtanda exſtimulentur. Quippè inter alios, hic ſolus ſupra omnium votorum aleam, talis Patriæ contigit, qualem res & publica, & præſentisſima Academiæ cura voluerunt. Gravisſima authoritate venerandus; honoribus conſpicuus, cónſilijs ſalutaris; Principibus, divinus; punctum publici decoris; Cor dignitatis; faſtigium abſolutum. Quæ ſingula & Tu *Chriſtiane Alberte*, & Tu Patria Holſatia, & Tu excultrix morum Academia, & Tu ſera Poſteritas, fatebimini. Nec jam intercedere, ipſe debet laudibus ſuis, ne virtutem, mercede gloria privet, & in id impoſterum quoq; incumbere, ut prædicantium labor, infra ejus merita ſubſtitiſſe videatur. Gratulor etiam Principatibus, & Terris, quibus poſt alia antiqua ornamenta novum jam decus & prorſus Divinum acceſſit. Beatos illos antehac Cereris fertilitas, tùm maris vicinia & portuum commoditas fecit. Nihil his, quoties Martius furor abeſſet, ad externæ fælicitatis numeros defuit. Principes jamdudum nonniſi optimos habuêre. Ordine nobilium gaudent tùm numeroſo admodum, tùm

ad

ad bellicam virtutem cumprimis prompto atq; alacri. Undè factum, ut hinc tanquàm ex equo Trojano plurimi insignes prodierint bellatores, qui & Patriam suam strenuè defendêre, & extrà Patriam sceptra bellicá summâ cum gloriâ gesserunt. Quorum nomina cum & famæ publicæ præconiis, & historiarum monumentis celebrentur, non est, cur hic commemorem, ne eos, qui cum curâ dici merentur, perfunctoriè videar dixisse. Si togatas virtutes spectemus, his quoq; ditionum Tuarum cives egregiè semper enituêre. Instituti mei ratio non admittit, ut omnes hic enumerem. Unam ex rarioribus transire nefas est *Fidem Holsaticam*: quam quædam generositas innata, tùm longissimi temporis consuetudine, in mores recepta probitas ita caram & quasi propriam populis Tuis fecit, ut & in proverbium abierit. Quod illustrius ornamentum reperiri possit, quam inter gentilitiarum laudum titulos numerare eam virtutem, quæ jure *sanctißimum pectoris humani bonum* à viro sapientissimo vocatur, ac totius societatis humanæ firmissimum vinculum, & velut sacramentum est, quo in mutua auxilia & commoda genus mortalium devinctum tenetur? Undè quò incorruptior quæq; natio mansit, eò majore religione *fidem* retinuit; atq; inter maxima decora hanc numeravit. Non sine magnâ voluptate Frisiæ Legatorum tùm factum tùm dictum apud Tacitum legimus: qui cum, in Theatro Pompeii, Legatis earum gentium, quæ amicitiâ & virtute Romanis propius cognitæ essent, inter Senatores datam esse sedem intellexissent, sine morâ illuc sese proripuêre, publicè testati, *nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos esse.* Affines Holsati Frisiis fuerunt, & sunt usq; virtute verò & fide, nec Frisijs, nec Germanis aliis, nec ulli usquam nationi cedunt, potiùs verò multis alijs eam palmam præripiunt. Inter togata Holsatiæ Tuæ decora jure etiam studia literarum numero, quia his illa jamdudum honorem habuit, & semper tulit non paucos, quibus ea sectari volupe esset. Indè ibi non solùm sacræ functiones, sed & civiles ut plurimùm, per viros literarum benè gnaros, administratæ sunt hactenùs. Tanto imposterum, in hoc ipso Kilonio Tuo, augustiorem faciem omnia induent, postquam totum Musarum Chorum unà cum Phœbo, & Pallade, Te, Princeps Serenissime, chorago & Duce, ingremium suum suscepit. Jam in parte suæ felicitatis Urbs ista numerat, apud se eundem, qui Neptuni & Mercurii hactenus fuit, liberalium simul artium portum fore. Hucusq; illa, certo anni tempore pecuniis ex omni viciniâ apportatis personuit: nec alii sanè loco, penè nec Fidei ipsi melius suas

 quis-

quisq; fortunas credere posse visus est. Adeò hic conventionum omnium vindex & custos ipsa quasi Justicia fuit. Et quod jure miretur orbis, nemo hominum hinc unquàm defraudatus, nemo, qui defraudare voluerit, impunitus abiit. Undè tantò magis literæ quoq; ipsæ habent, cur sibi gratulentur, quia hîc in templo imò quasi in ipso sinu Themidos securissimè quiescent. Et ipsi terrarum Tuarum cives atq; incolæ eò mitioribus animis sapientiæ studia suscipient in loco, undè jamdudùm violentia & injuria exulat. Si tutum hîc hactenùs hospitium Plutus, & Juno Moneta habuit, quantò tutiùs nunc erit, cum Religionis præceptis philosophiæ instituta addentur, plenisq; adeò theatris, verus divitiarum usus & abusus undiq; docebitur. Neq; enim dubito, quin iis legibus studia hîc circumscribi velis, quibus servatis, non in verbis consistat docentium discentiumq; labor. Fucus est, non sapientia, didicisse optima quæq;, nisi qui dicit, melior indè reddatur. Et gravem DEI indignationem incurrunt, qui ex scientiis non alium fructum referunt, quam scire, quid deceat. Sed nè Te, Princeps Serenissime, justo diutius morer, finem facio, Tibi prosperrimos rerum omnium progressùs, tùm & novæ istius Academiæ optata incrementa humillimè precatus. Liceat tamen Camenæ etiam nostræ accinere hîc oden, quam virtuti & honori Tuo, juxtaq; Academiæ Tuæ natali se debere existimavit.

QUàm mira rerum cernitur omnium
Vicissitudo! quàm variabilis
Fortuna vitam, ceu cylindrum,
Perpetuo rotat acta motu!
Illum superbis privat honoribus,
Hunc gloriosis tollit adoreis;
Mox alter instans de ruinis
Hujus opes trabeasq; ducit.
Sic unda terram fluctibus obruit,
Sic deprimuntur turbine vertices,
Mutationes sentit æther,
Et nihil esse sinit perenne.
Non ipse Pindus, non Helicon suæ
Felicitatis perpetuò gradum
Servavit, olim grata sedes
Castalidum, modò cassa moles.

Quid

Quid Hippocrenes amne celebrius?
Cirrhæ quid antro clarius exſtitit?
Nunc Hippocrenes, nunc & antri
Nonniſi nomen & umbra reſtant.
Fulſère Athenæ, fabrica Cecropis,
Sedes Minervæ, publica gentium
Palæſtra quondam, nunc Athenas
Quærimus in mediis Athenis.
Illuſtris olim fons ſapientiæ,
Pelléa nomen cui ſoboles dedit,
Nili feraces hauris undas,
Pegaſeos latices abhorret.
Nos jam viciſſim Tibris amat potens,
Padusq; quærit; quiq; bibunt Tagum,
Et qui Garumnam Sequanamq;,
Nos calidis venerantur aris.
Rhenus, bicorni flumine, non minus
Noſtri ſuperbit fontis honoribus,
Et Alpium clivis ruenti
Danubio colimur Camœnæ.
Jàm præbet aures Carpathus artibus,
Et Viſtulani fluminis accola,
Quos lambit Albis, quos Viadrus,
Nos populi reverentur omnes.
Et Regna nobis Tænarii Patris
Delubra dudum fulgida dedicant;
Interq; fluctûs Amphitrites,
Durat honor ſtudiis Minervæ.
Non & triones ducere Cynthium
Gregem recuſant: ipſaq; Parrhaſis
Haud abnuit frænos Cratetis,
Socraticumvè repellit unguem.
Et nunc recentes littore Balthico,
Surgent Athenæ, *Principis* Inclyti
Favore, qui *Cimbros* potenti
Imperio populos gubernat.
Qui *Chriſtianeos*, grandia nomina,
Et *Friedericos*, ſanguinis auſpices,

Ve-

Verendus hæres æmulatur,
Reddere, quos ſequitur, laborans.
Is, dignus omni laude, *Chilonum*
Urbem beatam divite copiâ,
Quam terra, quam Tethys profundit,
Divitiis Heliconis auget.
Huc ſacra cœlo pectora confluunt:
Huc juris æqui ſydera commeant,
Huc qui Galenum, qui Platonem,
Omnigenamq; docere Phœbi:
Artem capaces, æthera mentibus;
Virtutis ignes, ac ſapientiam
Donare, & orbi digna rurſum
Præcipit dare fulcra quærunt.
Ut ſarciantur vulnera, quæ dedit
Mavors tot annis, aut rude plurium
Frigus minatur, dum quietis
Subripiunt alimenta Muſis.
At Tu, potentum gloria Principum,
Dignumq; Avitæ laudis adoreâ
Germen, perenni ſubvehêris
Caſtalidum ſuper aſtra pennâ.
Te ſic euntem tramite nobili,
Patrem vocabunt publica *Patriæ*
Suffragia, & proni ſequetur
Civis amor, populiq; plauſus.
Te fama cœli delicium, & nitens
Virtutis aſtrum concinet ac novum
Inſtar, quod omnes æmulentur,
Carpere nonniſi livor auſit.

In

In
Novam Universitatem Chilonienſem.

Cœlitus ætherio ſpiramine percitus Heros,
Dux Holſatorum, pulcra corona Ducum,
Excitat adflictis tranquillo habitacula Muſis,
Et vocat è variis nomina magna plagis.
O nimiùm felix & fauſta Holſatia! bellum
quæ tali mutat pacis amore ſuum.
Hæcce novi jubeat Pindi nova prata virere
Cœlicus æternùm & creſcere Muſageta
Tù verò, Princeps Fundator & Altor ad annos
Vitam inconcuſſam vivito Neſtorios!

Subjectiſſ. & humilimæ gratulationis ergo, ſcrib. Norimbergæ ipſis Kalend. Octobr. anni M. DC. LXV.

Joh. Michaël Dilherrus,
P. & P. P

BONUM FACTUM,
Cum
Academia Kilonenſis fundaretur
applaudebat,
Heinricus Meibomius.

CIMBRIA florenti bellis bene cognita Romæ,
Dives opum, dives pecorum, ditiſſima frugum,
Oceano vicina magis, fœcundaque rivis,
Plenaque piſcoſis lacubus, quâ vergis ad ortum,
Quâque vides proni devexa cubilia Solis.
Ante alias dilecta Deo, cui prodiga multum
Indulſit natura boni, cuique obtulit uni,
Quæ ſolet in varios aliàs diſpergere tractus;
Cimbria tolle caput, veteresque abſterge dolores,
Nam memini in terris his omnia plena tumultus,
Cum, non unius certantes viribus orbis,
Arctoi Reges inter ſe bella moverent.
Tum vidi exuſtasque domos, armentaque rapta,
Abſtractosque greges, plenasque nocentibus urbes

Præſidiis, ut nec ſua civi tuta ſupellex,
Matronisque pudor: quicquid ſcelerata libido
Juſſerat, audebat damnatus ad orgia miles,
Nec gladii metuens, nec torti è cannabe funis.
Nunc iterum preſſis amplectitur otia turbis:
Squallentes renovati agri, tutique pererrant
Arva greges: obit indemnis ſua munia quisque
Claſſica nec ſomnos rumpunt, vacuæque timore.
Ante focum reſident inter tenera agmina matres.
Aurea pax redit, &, quæ concomitantur euntem,
Juſtitia & toto Pindi de vertice Muſæ.
Cimbria tolle caput, rebus lætata ſecundis.
Non tibi gemmiferis merces mittuntur ab Indis,
Eoæque Arabum meſſes, non proxima Thetis
Balthiea vel Tagi vel divitis amplior Hermi
Muneribus rutilas præceps advolvit arenas.
Dvx tibi dat majora tuus. Cape nobile donum
Et reverenter habe & famam venare merendo.
Mons qui verticibus petit arduus aſtra duobus
Intremuit rupitque latus: tum vertice moto
Inſonuere cavæ, genitumque dedere cavernæ.
Egreditur Phœbus Pater, &, pia turba, ſorores
Mnemoſyne genitæ, lætæ comitantur euntes
Felices animæ, ſua queis doctrina, laborque
In ſtudiis poſitus dederunt hac ſede fruiſci.
Ad Boream, ad Boream tendunt. Ibi Caſtalis unda,
Atque Aganippei properant emergere fontes.
Cernite, quam verſo currant momenta tenore,
Et faciem rerum inſolitam, multumque priori
Diſſimilem ſorti. Nunquam vertigine tanta
Nunc venit in terras, terris nunc eripit undas
Oceanus, fluctuque ferit ſeptemplice portum
Aulidis, Euboicoque mari confini rura
Mobilis Euripus: quantum variantur in horas,
Inque dies, annosque vago mortalia caſu.
Hæc loca diverſæ coluerunt tempore priſco
Belligeræ gentes; variabant nomina, cumque
Nominibus ritus, Martis tamen omnibus idem
Ardor & armorum rabies; ſceptrisque potiri
Pluribus & gentes vi ſollicitare quietas
Ardua cunctarum ſuperabat culmina laudum.
Quin etiam ignorum pelagus ſulcare carinis
Audebant, patria extorres, ſpe divite prædæ.
Novimus audaces Jutas, Angloſque feroces
Finibus egreſſos patriis, nova regna petentes,
Orbe alio poſitos armis adiiſſe Britannos,
Et juris feciſſe ſui, quæcunque locorum
Thetyos occiduæ ſcopuloſo à littore ad uſque

Lu.

Luſtra Caledoniæ procurrunt invia ſylvæ.
Ante quidem Oceani refluas ſulcaverat undas
Edomitis Cæſar Gallis, aquilasque repoſto
Monſtrarat Tameſi, dubios ſed mente revolvens
Ancipitis belli caſus & jure ſine ullo
Sepoſitas gentes invita ad prælia cogi,
Verſa laceſſitis oſtendit terga Britannis.
Quos cum terribiles aliquot poſt ſecula Picti,
Scotorumque manus prædis diteſcere ſvetá,
Immani premerent bello, totique pararent
Excidium regno, præſens diſcrimen adegit
Saxonis auxilium precibus tentare benigni
Promiſſisque avidas largis impellere mentes.
Tunc Hengiſtus atrox atque impiger Horſa ſubegit
Regnum opulens, amplum, moresque abolevit avitos,
Induxitque novos, quibus hæc etiam utitur ætas,
Atque (quis hoc credat?) devictæ nomina genti
Indidit, ut veteres jam pridem fama Britannos
Sedibus in propriis ignoret, & occupet Anglus
Omnia voce ſua. Tantum fuit inſtar in ipſo!
Quid memorem Cimbros, animis bellacibus auſos,
Tentare Italiam, mundique laceſſere culmen,
Cum compos vix Roma ſui, veterumque laborum,
Conſiliique capax? Marij ſed dextra pugna
Perdidit atroci, nec quisquam ex agmine tanto
Incolumis patriam cognataque rura reviſit.
Hi fuerunt mores Cimbris: non littera nota,
Non artes placidæ. Cereri ſua dona ferebat
Agricola & miles faciebat ſacra Gravido.
Nullus honos Muſis, non notum ad littora nomen
Doctrinæ. Si quando animus per pocula mollis,
Facta inconditis ululabant patria verbis.
Sed vertit fortuna vices. Jam Barbara non eſt,
Excuſſitq; ſitum, ſeque admiratur & audet
Cimbria Romanis nec non contendere Grajis.
Nunc habet illa DUCEM, magnis qui colla ruinis
Subdidit intrepidus, cumulataque pondera tergo
Penè fatiſcentis Patriæ moderamine dextro
Suſtulit & rerum faciem reparavit avitam.
Non truculenta ſonant toto jam claſſica cœlo,
Stridentesque tubæ, lituique & cornua rauca
Nec longum & vaſtum tonat ærea machina belli,
Condenſatque diem fumo & caligine opacat.
Sed citharas molles, quas tu, Polyhymnia, tecum
Adduxti è Pindo: ſed, quæ mulcere tumentem
Oceanum poſſint, audimus carmina vatum,
Tempus erat, memini, cum primo in flore juventæ
Ad bellum traherent cognati fortia Regis

 Fœde-

Fœdera, cum doctâ vibrantem fulmina dextra
Obstupuit Mars ipse DUCEM; fuit inclyta belli
Gloria, quæ decuit magnis à regibus ortum.
Nunc omnes veterum laudes & prisca tropæa
Majorum superare volens, struit atria Musis,
Accitosque alacres non una è gente ministros
Doctrinæ omne genus jubet instillare juventæ.
O! si qua êst Cimbris pietas, quæ plurima Cimbris,
Huic date tura DUCI. Non vobis ille relinquet
Turrigeras urbes & propugnacula certis
Multiplicata locis: Vera ornamenta videte,
Cimbrica queis posthac elata superbiat ora.
Quæ sonat in templo, in cathedris monstrabitur una
Relligio, quam nulla hominum commenta prophanaut,
Scripturæ & primis post Christum consona seclis.
Quas dedit ingenuis mens dia Solonis Athenis,
Lycurgus Spartæ leges, quas Roma recepit,
Interpres vasto scriptas ex codice tradet.
Sed nec Apollo suas, queis præsidet, invidet artes.
Mille tibi Medicus morbos & mille recenset
Herbarum species, & quis labefacta resurgant
Corpora nostra, modos: &, quod Patavina theatra,
Belgica quod stupeant, aderit qui cuspide cultri
Dissecet ad certas humanà cadavera leges.
Ut taceam socias artes, Grajûmque petitam
Fontibus & Latij rivis illimibus haustam
Doctrinam; mores quæ de meliore metallo
Fingit & arcanam naturæ pandit abyssum.
Nec tantum à scabra linguam stribligine purgat,
Sed flore eloquij, cultuque decente serenat.
Quicquid laudavit Scythicis Anacharsis in oris,
Quicquid Socratico dudum manavit ab ore,
Quicquid Aristoteles gradiens, dixitque tacendo
Pythagoras, quicquid doctis Epicurus in hortis,
In terra inque tuis disces, Holsate, theatris.
Et dubitatis adhuc vestras animare camænas,
Et vestrum celebrare DUCEM? qui primus honore
Mactavit Patriam, ut cunctis contendere possit,
Si quibus à Musis provenit adorea, terris.
Impleat hæc fastos Pietas, vatesque fatiget,
Non unâ cantata chely. Viden ordine quali
Musagetes CIMBER cum semideo comitatu,
KIELMANNusque gravis, quo præside læta superbit
Curia, nec similem novit doctrina Patronum,
Nobiliumque animosa cohors sacram intrat in Urbem,
Ut voveat Phœbo. Musæ comitantur ovantes.
Pars manibus puris violas & roscida spargunt
Lilia, pars dextram tangunt, atque oscula figunt.

Eido-

Eidora cum Slejâ velox allabitur agris,
Utraque læta novos ſeſe contorquet in orbes.
Ipſe etiam extremis Moravorum è finibus Albis
Jungere ſe cuperet, mutatoque ordine Balthen
Intrare & lætæ muros amplectier urbis;
Lene fluit Pater Oceanus criſpantibus undis,
Et tumidam rabiem, ſpumoſaque murmura ponit,
Pieriæ veritus ne turbet gaudia lucis.
Tu quoque Nereides, &, quotquot in æquore, Nymphas
Nunquam viſa vocas prius ad ſpectacula, Triton.
Salve magnorum PRINCEPS generoſe Deorum
Progenies! avibus fauſtis ACADEMIA ſurgat!
Ex qua largifluo veluti de fonte perennis
Copia doctrinæ & ſacrarum manet opum vis.
Utque tuis factis amplam tu ſpemque tuorum,
Auguriumque PATRIS vincis, ſic vincat & illa
Spemque tuam, auguriumque tuum, & floreſcat in ævum!
Vos ego, Majorum Manes, Umbræque beatæ,
Obteſtor, quocumque loco vos inter alumnos
Heroum Elyſii ſpectant penetralia campi,
Audite hæc Patriæ Indigetes, venerandaque ſeris
Numina poſtgenitis, ſpectate hæc facta Nepotis.
Te teſtor, FRIDERICE Parens. Huc æquus ab alto
Reſpice & arcana tibi gaudia concipe mente.
Vivis apud ſuperos, ſed noſtro hoc vivis in orbe,
Dum tua poſteritas hæres virtutis, opumque
Enthea inoffenſo ſequitur veſtigia greſſu.
Jam fueras, FRIDERICE, tibi dum vita manebat,
Hoc meditatus opus: magna hæc & ſedula cura,
Hoſpitium ut Phœbo in patriis exſurgeret oris.
Invida fata tibi obſtiterunt, ne gloria cælo
Æmula jamdudum cumulo hoc ſuccreſceret aucta.
Sic quondam Hebræo in populo Jeſſeja proles
Ædificare ſacras Domino decreverat ædes.
Non potuit bellis vir deditus, acer in armis.
At ſanctus Salomon, atque in meliora relapſus
Tempore, cum argenti vis magna & divitis auri
Afflueret, Judæa, tibi, nec belliger Ammon
Pacta, nec Aſſyrij violarent ortia Reges.
Quæ pia vota Pater dederat, cum fœnore ſolvit.
Quis major dic, Muſa, mihi? Natus ne, Paterne?
Quod genitor mediatus opus, fauſto omine natus
Exequitur. Vobis manet indiviſa duobus
Gloria, ſed nullum comitatur tanta Monarcham.
O factum ſapiens! ô digni laudibus auſus!
O ſancta & pura ambitio! via nulla parandi
Nominis inventa eſt unquam meliorve, priorve.
O! utinam ſupereſſet adhuc de ſtemmate Divûm

JULIUS, à cujus retinet sibi nomine nomen,
Et canit æternas defuncto JULIA laudes.
Quam sanctum laudaret opus, stimulumque volenti
Adderet & doctos cuperet misisse colonos.
Par studium & pietas & prodiga dextera utrique.
Qui procul illi autem? video agnoscoque per umbram
Obscuram innumeros juvenes, qui præpete cursu
Ad bene dotatæ contendant mænia KIELAE.
Jam sese accingit vicinior accola Balthes,
Borussique acres, falsi queis æquoris undæ
Ubere proventu flaventia succina gignunt.
Gedanum mittit, mittit Livonia opaco.
Sub Borea cives, Memeles quâ à finibus orsa
Ad mercatricis procurrit mænia Narvæ.
Et tibi cognato veniet sub Principe Svecus,
Et jam tranquillo bellorum gurgite Danus:
Et Saxo occiduus, Rheni vitreique Visurgis
Limitibus clausus: veniet submotus ad Albim,
Quâ Senonum campos & Bardis culta vetustis
Rura obit, & tandem fluviis, rivisque receptis
Pronus in occiduam delabitur Amphitriten.
Quid referam, qui alijs aderit Germanus ab oris?
Quâ Sala vitiferos colles & amœna vireta
Tyrigetûm obliquo percurrit flumine, & ipse
Hospitium Musis & Phœbo nobile præbet,
Quâque vadis Phyliren Musam fœcundat Elyster.
Westvala cumprimis tellus, quo latior exit,
Compluresque suo populos complectitur orbe,
Hoc etiam plures tibi sedula mittet alumnos:
Et quâ navigero bene cognitus amne Visurgis,
Quâque mali metuens Amesis, quâ Lippia manat,
Romanas ubi victor opes & robora quondam
Herminius cæso pugnacis milite Vari
Fregit & amissum patriæ solidavit honorem.
Quâ sacer exundat Padus, non Italus ille,
Sed nostrâs, Caroli toties tentoria Magni
Intuitus, validosque armorum robore Francos.
Felicem te, Pade, cui sua carmina cantat
Non plebejæ animæ. Præsul tuus ora resolvat,
Et me credidero redivivum audire Maronem.
Quo ruo? non possum cunctos comprendere versu.
Quos desiderium impellet laudabile fructus,
Svadebitque solo patrio præferre remotos,
Ignotosque Lares, ut veræ compleat uber
Copia doctrinæ & cælestis adorea ditet.
Felices juvenes, quos his fortuna beabit
Sedibus! en aderit cunctarum opulentia rerum.
Tota urbs quicquid habet, sua fortia mœnia, campos,

Æquo-

Æquora, ſeceſſus, viridaria, flumina, rivos
Conſecrat, &, quantum potis eſt, intrantibus offert.
Cernite, viciniſacies quàm ſplendida ruris!
Quam favet hîc Ennæa Ceres, quàm Flora ſuperbit!
Credo equidem hîc habitare, ſuis digreſſus Athenis
Deſerto cuperet Senior Gargettius horto.
Omnia adulantur vobis venientibus, ultrà
Naturam, Geniosque ſuos, infidaque certam
Præſtabunt elementa fidem: cupis, Hoſpes, adire
Oceanum, Æolio claudentur carcere venti,
Ridebitque tibi placidi pellacia ponti.
Vos modo, quo vires animi, quo fortior ætas
Quo veſtri officii ratio vos provocat, ite.
Meſſis in his umbris, alieno parta labore,
Munere divino conceditur, aurea meſſis,
Doctrinæ meſſis, proventu ubertima meſſis.
Ne quisquam luxu mentem ſibi perdat inerti,
Et patrias male limet opes: ad propria tentet
Limina multa animum cumulatus dote reverti.
Non bene concordant, nec in una ſede morantur
Luxuria & ſtudiis induſtria debita noſtris.
Utque perit tacita vitiata teredine navis,
Feſſaque ſcinduntur putri rubigine tela:
Sic juvenum mentes enervat luxus, humique
Penitus affligit divinæ particulam auræ.
Exempti de plebe eſtis, Phœboque ſacrati,
Nil quoque plebejum veſtris in moribus adſit,
Nil eat in vitam. quid prodeſt ire per omnes
Scriptores, quos vel Latium, vel Græcia cœlo
Extulit & ſacros illis ſuperaddere libros,
Dicere de cunctis, quoties opus, ore diſerto,
Si nihil hinc fructus animo, ſi gratia nulla
Moribus & nullo pietas ſe comprobat actu.
Diſcite, ſpes patriæ, juvenes, adverſa cavere,
Commodaque amplecti. Sera eſt ſapientia, cum ſe
Adverſo oſtendit præceps occaſio vultu.
Hoc vos ſollicitus genitor, hoc anxia mater,
Hoc indefeſſi vox flagitat æqua Magiſtri,
Hoc Dux ipſe monet, ſumptu hinc gazaque profuſa
Hanc ſacram Muſis arcem & ſublime theatrum
Erexit, largisque etiam proventibus auxit.
Quæ tibi pro tali debentur munere grates,
Regia progenies & Cimbri ſidus Olympi?
Si quid adhuc ſupereſt perituro temporis orbi,
Ultima nec rerum vivuntur ſecula nobis,
Poſteritas facti fructus & commoda noſcet.
Degeneres animi & ſinceræ laudis egentes,
Quos nulla exſtimulat ſolidæ virtutis imago,

Non exempla movent magnorum ſpendida Avorum
Nec generis manifeſtus honos, ceu ſidere nati
Averſo, æternum tenebris damnentur opacis,
Nec mereant plectrove cani, faſtisque notari.
At quorum placuit melior ſententia menti,
Qui non abſimiles dijs immortalibus, acti
Hoc unum ſtudio egerunt, ut pura vigeret
Relligio, ut doctæ colerentur rectius artes,
Omnibus his æternus honos & gloria cedet,
Quam non imber edax, non deleat ulla vetuſtas,
Non validos livor, neque dira calumnia rodat.
Macte ALBERTE Heros! dum debita præmia Muſæ
Virtuti ſolvent, dum Caſtalis unda Poëtas
Imbuet & magnos Regumque Ducumque labores
Eripiet buſtis, etiam tua gloria vivet,
Te noſcent omnes populi, te fama loquetur,
Oceanusque Pater, quoties caput exerit udum
Fluctibus, & portu quoties egreſſa carina
Omnia pervolitat diverſi climata mundi,
Mutuaque extremas vocat ad commercia gentes,
Te noſcet Boreæ quisquis de frigore torpet,
Quique Ararim bibit, & quem veræ laudis egentem
Umbra Caledoniæ ſpectat tutiſſima ſylvæ.
I nunc, Æacidasque tuos, cantataque Regum
Nomina Peliden calidum, Priamique ferocem
Cæde Neoptolemum & magno Telamone creatum,
Atridasque duos, animique ſagacis Ulyſſem,
Neſtoraque & nulli ceſſurum voci Periclem,
Et quos præterea longum diffundis in ævum,
Græcia, ceu fas eſt, cumulatis laudibus age.
Tuque orbis domitrix antiquos Roma Quirites,
Scipiades, Juſtumque Numam, pravoque potentem
Fabricium, Gallisque genus fatale, Camillos,
Vincentemque morâ Fabium, Deciosque ruentes,
Si potes, ordinibus magnorum adſcribe deorum.
Sed veniam da, Roma, mihi; da, Græcia mendax.
Nemo Ducem hunc noſtrum factis illuſtribus æquat.
Quantum ſideriis cedunt mortalia rebus,
Lunaque nocturnis formoſior eminet aſtris,
Quantum velivolo ſuperantur flumina ponto,
Oceano pontus: tantum ſua cælica facta
Æneadum ingentes vincunt Grajumque triumphos.
Sed, quid ego in tantas cupio deſcendere laudes?
Non, mihi ſi Latium ſuffundat Mantua nectar,
Et ſedet Verona ſitim, monſtretque ſonoros
Sulmo lacus, vehemensque ſuos det Corduba fontes,
Pieriis valeam numeris comprendere famam
PRINCIPIS. Unanimi canat hunc ACADEMIA cœtu,
Au-

Auſpiciis extructa ſuis. Ego pauca locutus
Obſequium oſtendi, devotaque pectora CIMBRO,
Et retuli voces, viridem quas fudit ad Elmum
JULIAS alma, ſuæ Natali læta Sororis.

Ad

Illuſtrem Præſidem

DN. JOHANNEM ADOLPHUM KIELMANNUM à Kielmans-Eck.

Academiæ erectæ Directorem
Επιμελητήν.

MAgne Camænarum vindex, Phœbiq; voluptas:
KIELMANNE, & Cimbri forma columna Jovis.
Quem ſua facundus Romanâ Pollio in aula,
Quem ſua Mæcenas munia habere velit.
Quod fera bella ſilent, pax læta perambulat urbes
Eſt ſtudii atq; operæ pars pretioſa tuæ.
Præmia quod juſtis & quod ſua pœna nocenti,
Præſidio debet Cimbria tota tuo.
Sunt hæc magna quidem, ſunt & digniſſima magnis.
Reſtabat major gloria, majus opus,
Non Patriam tantum ſed totum jugiter orbem
Dum cupit Heroo demeruiſſe animo
Dux Pius, innocuisq; parat ſolatia Muſis,
Hîc animi dotes enituere tui.
Entheus ille vigor, prudentia maxima, fervor
In patriæ & publici commoda certa boni.
Ipſa etiam tales, &, Phœbo judice, veros
Calliope in Pindo protulit ore ſonos:
Non alius potuit PRINCEPS fundare Lyceum:
Non alio huic potuit PRÆSIDE fama dari.

VOTIVA ACCLAMATIO

A

SON ALTESSE

MONSEIGNEUR

CHRETIEN ALBERT

Heritier de Norvegue

&

Duc de Slesvic Holſtein &c. &c. &c.

MONSEIGNEUR.

VOTRE ALTESSE ſouffrira, que parmy les acclamations publiques, que tout le monde, & principalement ſes bons & fideles ſujets luy font, pendant qu' Elle dreſſe des temples aux Muſes, je m' approche de ſes divins Autels, non ſeulement pour m' acqitter des devotions, que je luy ay; mais plûtôt pour admirer ces grandes & eminentes qualitez, & adorer ces hautes Vertus dont la Nature & la faveur du Ciel l' a pourveuë par deſſus plûſieurs grands Princes de ſon âge. Il eſt vray, MONSEIGNEUR, que la haute Naiſſance eſt vne grace bien eilatante & extraordinaire, voire la plus ſignalée & la plus ſpeciale, qu' on ſe puiſſe figurer, & que l' on ſçauroit pretendre du Ciel. Vôtre tres Auguſte & Royale Maiſon, dans laguelle Dieu vous a fait nâitre, à cet avantage, d' étre vne des plus anciennes & des plus Illuſtres de toute l' Allemagne, & d' avoir donné & donner encor aujourd' huy à vos voiſins tant de braves & grands Roys. Mais comm ce beau luſtre, qu' vne Race ſi brillante vous donne, ne depend que de la Fortune, & comme diſoit autrefois Ariſtote : NOBILITAS EST SORS NASCENDI; VOTRE ALTESSE adéja fait voir à tout le monde, qu' Elle n' en fait pas tant d' état, comme de ſ' evertuer de parroître, par des actions toutes Rogales & dignes d' vn degré ſi eminent ; & qu' Elle a pris à tâche de ſe mettre en veneration par ſes propres vertus plûtôt, que par celles de ſes Ancêtres, qui commencent à reprendre aujourd' huy vne vie toute novelle en

ſa

ſa Perſonne, & paroiſſent ſous l' Ame la plus Auguſte, & plus Heroique, qui fut jamait. La generoſité de ſa conduite, la vivacitê de l' Eſprit, qui charme tous ceux, qui ont l' honneur de l' approcher, la ſolidité du jugement, les inclinations qu' Elle a pour la Juſtice; la Pieté, la Clemence, la Moderation, & ſurtout, la ferme resolution, qui luy de meure, de ſoulager ſon Peuple, la mettront dans la bouche de la Renommée, voire méme dans le coeur de toute l'Eternité, & au rang des plus grands Princes de l' Europe. Mais, MONSEIGNEUR j'aurois mauvaiſe grace, de vouloir entreprendre vôtre Eloge dans ſi peu de papier, & renfermer vôtre tres illuſtre Nom dans vn ſi petit eſpace. C'eſt vn point trop haut que vôtre Gloire, dont j' ayme mieux étre l'adorateur dans vn devot étonnement, que d'en profaner les beautez par la foibleſſe de ma Rhetorique, laquelle n'eſt point à l' épreuve de tant de merveilles. Je ſupplie ſeulement VOTRE ALTESSE de me faire la grace & la clemence de regarder de bon oeil ce peu de choſe, que je luy preſente avec toutes les ſoû miſſions & humilitez, qui ſe doivent à vn ſi grand Prince, & de ſ' aſſûrer, que je ſeray eternellement.

MONSEIGNEUR

de

VOTRE ALTESSE

le
tres humble, tres obeiſſant
& tres fidele Sujet

Nicolas Martini.

ALBERTE PRINCEPS, Cimbriæ tuæ Septum,
Amorq;, DIVI PATRIS æmulus Sangvis,
Regumq; ſtirpe purpurâq; ſublimis,
Præluſtre Nomen, Anima fœta Virtutis.
Cui naſcituro Mater ipſa Lucina,
Dum famula cunas intuetur Infantis,
Favens & Æther ſumma quæq; juravit;

Cui Diva pulchram Pallas imbuit mentem,
Heroicosq; Parvulo indidit vultus,
Altumq; ſpirans atq; Regium Pectus.
Qui glorioſum Gentis Inclytæ culmen,
Orbiq; notam ſtemmatis vetuſtatem,
Aſtrisq; dignum PATRIS ac Avi Numen
Cedro notandis transgredi tumes factis;
Celſæq; in alta victor Arce virtutis,
Oblivioſam fugere niteris Lethen.
Depone, PRINCEPS MAGNE, paullulum faſces,
Piisq; mentem placidus expedi curis,
Quas ſubditorum dat TIBI ſalus usq;,
Tuis & iſte Cimbriæ premens orbis,
Libratus humeris quem ferocis Alcidæ,
Inſtar, labore ſuſtines Atlanteo;
Dum grata cœptis barbiton tuis tendit
Plectrumq; ſumit, entheum gerens pectus
Tuis Camœna laudibus, cothurnosq;,
Magnis adaptat greſſibus ſophocleos,
Tenuemq; ſoccum ſpernit; haud tamen totum
Famæ Theatro ſiſtere audet HEROA,
Levesq; ſaltem pulpito ciet plauſus;
Dum ſole feſto, comprobantibus cunctis,
Venuſtiorum quotquot aut Athenarum,
Latiive docti ſe ferunt Amatores,
Delubra Phœbo, fornicesq; ſacratos,
Novamq; Divæ Palladi dicas Arcem.
Vix dira ceſſat fulminare balliſta,
Vix illa cinctus exuit paludatos,
Gratam ſeveris imperans moram bellis
Ferox Enyo, quando TU, DUCUM SIDUS,
Divinore concitatus impulſu,
MAGNIq; PATRIS æmulatus exemplum,
Ad mitiora Delii vocas ſigna
Erectioris ingeni Juventutem.
Tot pro ſalute publica obrutum curis
Ægrisq; inerrans uſq; cladibus Pectus
(Quas longa belli ſcena fecerat Cimbris)
Non ceſſat alta permeare Parnaſſi,

Cho-

Chorosq; multum cogitare Cyrrhæos,
Æviq; laudat Romuli vetuſtatem,
Grajove quicquid Cecroptis latet muro.
Quin ære magno, Regiis & impenſis
Æterna Pindi Templa Civibus ponit,
Adytumq; Muſis ac Apollini pandit
MUNIFICUS HEROS, Elegantiæ vindex,
Omnisq; Juris liberalis Aſſertor.
Urbs eſt, propinqum Wagriæ ſolum ſpectans,
Chilonium vetuſta ſecla dixere,
Qua pandit altum Balthicus ſinum Nereus,
Fidumq; præſtat navigantibus portum;
Opifice clara, dives atq; mercatu,
Notisq; multum nundinis frequentata.
Hanc optat Artis, hanc ſcientiæ ſedem,
Novasq; Athenas, Porticumq; proclamat:
Quæ ſcita docti proferat Stagiritæ,
Torvi Cleanthis, mollis ac Ariſtippi
Senſus refutet, atq; Lojolitarum
Technas revelet impias Juventuti,
Ac monſtra mille, mille detegat fucos,
Tutamq; præſtet fraudibus Palæſtinam,
Quæ Jura Eoo juſſa Cæſari quondam,
Foriq; flexus Bartholiq; Rubricas,
Totq; impeditam noctibus Themin pandat.
Quæ, quid Machaon quid Galenus, & Cous,
Et qui renatum Virbium patri reddit,
Scivere rarum, monſtret, inq; Naturæ
Late patentes docta prodeat campos,
Et quod virente continet ſinu Flora,
Quas Colchis herbas, quasve Caucaſi rupes
Palesve amoenis graminum thoris nutrit,
Dictet Juventæ: Quæ Scholaſticas Thomæ,
Scotiq; nugas, involucra Lombardi,
Et opinionum fœda monſtra configat,
Queis ceu columnis incubat ſuperſtructa
Romæ Tyrannis, atq; Præſulis faſtus.
Hæc magna tentas, hæc ACHATE KIELMANNO,
Tantum decente PRINCIPEM modo præſtas.

Et jam Theatro Diva ſiſtitur claro
Doctrina, curru nobilis triumphali
Gaudet dicatum Phœbus ingredi Templum,
Pompaq; cultæ Regia tument Muſæ.
Vicina tanta ſceptra Tethyos feſto,
Longum inquietis ocium imperant ventis,
Cavaq; Triton mitis inſonans concha,
Gratum propinquis nunciam vadis mittit,
Chilonenſis feſta perferens urbis.
Quid nunc Athenas, illitamve braccatis
Stoën Vetuſtas vana jactitas Medis?
Gargetiive ſtulta prædicas hortos?
Quidquid beatæ creditum Palæſtinæ,
Chaldæus olim quicquid ac Magus Perſa
Druidesq; Galli, vel ſagacior Thuſcus,
Niloticiq; noverant Sacerdotes,
Dudum ſacrato pectore abdidit Teuto;
Alpesq; Muſa transvolante, Germanus
Armis ut olim, ſic Scientia præſtat.
Nec ſæva tantum Martis efferri monſtra,
Transgreſſa fulmen impetusq; Pellæos,
Famæ cruentos bellicæ ſititores,
Vultumque tectos caſſide & manus ferro
Arminios, truces & Arioviſtas,
Varumq; victum ſaltibus Thuringorum,
Multoq; fœdum ſangvine exhibet Rhenum:
Sed eruditos, ſed ſcientia plenos;
Et qui vetuſtis gloriam aufferunt Grajis,
Vel ſi quid usquam doctius notant Faſti,
Bellator ante, nunc diſertus oſtentat.
Valete ſecla barbara ac in humana,
Nunc ire funus exſequi licet vobis.
Holſata priſcis ſæva Teutonum ſeclis
Tellus, cruenti clara prole Mavortis
(Ad arma cujus Italus ferox olim,
Et iſta quondam gentium triumphatrix,
Fatalê cunctis Nomen horruit Roma)
Gaudeto, namq; te CHILONIUM docta

Apolli-

Apollinares inter efferet Terras,
Orcheſtra belli, nunc Lebethridum ſedes.
Divine Scazon, tuq; nobilis Clio,
Quæ facta Regum fulgida, ac Ducum geſta
Injurioſis haud ſinis premi Parcis,
Noctisque vinclis eximis tenebroſæ,
Hæc æviternis magna ſcribito Faſtis,
Grandiq; ſigna PRINCIPEM charactere,
Si ſtructa celſos Pyramis facit Reges,
(Turrita quondam qua ſuperbiit Memphis)
Murusq; clarat, atq; penſiles horti
Penna merentur ardua celebrari;
Si luctuoſum Conjugis tegens oſſa
Marmor, præalto conditum nimis luxu
Oblivionis ingredi vetat nubem,
Ævumq; vivax hæc caduca promittunt,
Quæ Mira Mundi priſca jactitant ſecla:
Quos grata noſtro PRINCIPI eriges cippos
Ventura proles? quive ſuppetunt Hermæ?
Quæ digna tanto grex ſtrues Camœnarum
Monumenta laudum Nomini ſecuturis
Manſura ſeclis? ipſa mille, TE, lingvis,
DIVINE PRINCEPS, Fama poſteris tradet,
Alpesq; & ultra Tethyos volans æſtus,
Feros ad orbis incolas Hydaſpéi,
Præcone Phœbo, grande Nomen extendes;
PATRISq; per TE, Gentibus ſub Eois
Quæſita nuper pulchra laus reviviſcet.
Cernisne, quanto geſtan; Deæ niſu
Semper virentem legere vertici florem?
Aſtræa roſeas nectit infulas virgo,
Enſemq; Juris vindicem ſui jungit:
Ederam Thalia, Cypris expedit myrtum,
Ducisq; ſpondet Regiam thoro flammam,
Fauſtasq; tædas, atq; fulgidam prolem:
Croceos honores Memnonis parens ſpargit,
Et albicantes lucis advehit flammas;
Et liliorum Gratiæ nives fundunt.
Pingues olivæ Pallas adjicit fœtus,

Rictus-

Rictusq; monſtrat PRINCIPI Meduſæos,
Sago Togæq; forte præparans Pectus.
Tetis corollas, thura Najades portant,
Vitreiq; dona Nerei implicant ſertis.
Violas ſuaves torva Mænalis donat,
Arcumq; coſtis applicat, pharetasq; ,
Queis & leonum ſæva ſubjacent ſecla,
Apriq; fervor, atq; tigris Hyrcana.
Lauru ſed altum Magna verticem cingit,
Ac firma Juno ſceptra ſubdit HEROI,
Faciles ad æquum cogit ad jugum gentes.
KIELMANNIANIS fulta floreat curis,
Orbemq; totum nobili impleat plauſu,
Fines & ipſos invidentiæ linquat.
AUGUSTA nulli comparabilis FRATRUM
VIRTUS, Bootis queis ſuperbiunt plauſtra,
Nec, clara quamvis, pignora invident Auſtro.
Vos toſtus Afer, frigidiq; miretur
Jovis colonus, quiq; marginem Cœli
Viasq; ſolis claudit ultimus Celta,
Et qui renatam pronus excipit lucem.
Longum fruare, SPES, SALUSq; CIMBRORUM,
MAGNANIME PRINCEPS, Patriæ tuæ fulcrum,
Faventioris munus arduum Cœli,
Mortalis ævi ac lucis hujus uſura,
Vitamq; quâ tot ſpiritum trahunt Cives,
Sero Nepotum Parca ſtamini nectat.
(Nam TE per Orbem Cimbricum gubernante,
Feliciores ſubditis eunt anni,
Ipſiq; cunctis purius nitent ſoles,)
Quin & caduco quando corporis vinclo
Solutus, Aulæ Cælitum redonatus,
Natura curſum quem dedit, peregiſti,
Terrasq; dedignatus, Aſtra tranſcendes,
Magnumq; tandem trans Inane raptatus,
Qui venit Alto, Spiritum inferes Cœlo,
Lucebis ipſo fulgidum polo Sidus,
Ubi lata magnus brachia explicat Perſeus,
Animæq; parte qua locantur HEROUM.

Cim-

Cimbria quam plenis complexibus ambit utrinque
Oceano commiſſa Thetis, quæ libera ſervas
Jura tibi, partimq; æqua ſub lege teneri
Teutonici gaviſa ſoli, dominantibus Arcton
Faſcibus egelidumq; jubes ſervire Booten,
Excelſum modo tolle caput, nimboſaq; tergens
Nubila luminibus, tua nunc placata tuere
Regna, & cimmerias Hyperiona condere noctes,
Mavortis ceſſere minæ, quæq; aſpera nuper
Arma & Gorgoneos Virgo ſuccincta furores
Terruerat feralis agros, jam caſſide dempta
Mitis, & abjecto clipeo, ablutoq; cruore
Pura manus, noſtras demulcet provida terras.
Adſpice Mnemoſynes & blandas pacis alumnas,
Virgineumq; chorum, ſed qui ſit mater honeſti
Et genetrix fecunda boni; quam dulcia noſtras
Barbita nunc feriunt aures, modulamina mentes
Pertentant, feriuntq; oculos tot lumina, vibrat
Quot facies Phœbeja faces, cum Tethyos ulnas
Linquit, & elato ſurgunt temone jugales!
Ecce revertentis Saturnia regna Themiſtos.
Quam firmo ſtat Diva gradu, directaq; juſtis
Conſurgunt momenta libris, dum lumina vittæ
Velant, ſed vigiles oculos mens omnibus offert!
Jam quoq; Pœonios herbis florere receſſus
Cernimus, Aſclepiq; aditis totoq; ſacello
Sana Amithaonios reſponſa ſonare Melampos.
Quin etiam noſtris illuſtria pandit ocellis
Culmina ſancta Sion, arx opportuna receptis
Civibus, & noſtræ radians Cynoſura ſalutis,
Unde animis fulgetra tonant, prædulcis & una
Nimbus agit raptas in cœlica gaudia mentes.
Ecquis hic eſt, Cives, divini muneris autor
Delius? an nobis priſcos Saturnus honores
Reſtituit? num Sidoniis novus exul ab oris
Cadmus Agenorides Muſarum pignora ſulcis
Credidit? an purgata ſuo nunc ſecula ferro
Amphitryoniaden reddunt, ut monſtra triumphans
Barbara, Pierio ſtatuat victricia clivo

Signa, & neglectos Musarum instauret honores?
Tu nobis Hermes, nobis, Dux magne, vocaris
Musagetes, refugas revocans ad pensa Sorores
Atq; recens structis reparans delubra sacellis.
O nimium dilecte Deo! cui splendida cœli
Atria dimittunt tantas ad sceptra Magistras,
Et servas quoq; mente Deas; cui publica mundi
Procurata salus privata & prima regenti
Cura fuit. Non hæc Pellæum gloria cœlo
Sustollit juvenem, quæ te, Dux magne, tuorum
Auspicio annorum fastis inscribit, & omne
Parnasso plaudente feret per secula punctum.
Ille annis vernansq; animis crudelibus orbem
Bellonæ studiis sibi despondebat; in herba
Annorum tu dulce tuis seris emolumentum
Civibus, excultumq; facis mitescere seclum.
O nimium felix! quem dum canit undiq;, totus
Orbis amat, quandoq; stupent tua facta Parentes,
Illa simul sero tradunt servanda nopoti,
Sic prohibet te Musa mori, tu luminis usum
Sufficis & Clarios latices intonsus Apollo.
Qualis enim tunc splendor erat, cum mœnia nostra
Parnassumq; tuum visu propiore salutans
Clementes præbendo manus, sic vincla noveni
Stringebas collecta chori? Spirabat amoris
Aura tui, rutilum referebant lumina solem,
Et cœli faciem vultus. Non ista tueri
Nubibus immersus poterat Maurusius Atlas.
Nubila mox difflans demissos pronior armos,
Et simul obliquus vicinos signifer orbes,
Explicuit radiante polo. Vibrabat acutos
Pulchrior ignivomos oculorum Cynthius orbes,
Et terræ arrisit facies, crispataq; flammis
Cærula Regali tu spectabaris in ostro,
Atq; alto sublimis equo, claudente sinistrum
Fratre latus, ceu conferrent felicia rursus
Lumina Ledæi concordia pectora fratres.
Te juxta summi Heroes aulæq; ministri
Ibant Semidei, quales Semeleja sequuntur

Classi-

Claſſica, gemmiferi cum nutant cornua Gangis.
Ante tuos Phœbeia gradus, pia turba, ferebat
Te ſanctum flectente chorum. Cum templa ſubires
Quas ibi non laudes, quæ non ſoteria votis
Conceptis ſonuere ſacræ ſuggeſtibus aræ?
Induperatorem quoq; tunc audivimus illo
Ore Leopoldum nobis bona verba loquentem,
Quo, Dux magne, tuis gaudes reſponſa referre
Civibus; Actiacis quod ſi ſonuiſſet in oris,
Vatibus Argolicis Cyneæ memorabile nomen
Non foret, & Pylium ſpreviſſent Neſtora Graji,
Kielmanni ſi ſuada animos armaſſet in hoſtes.
Exoptata dies! qua noſtram ſurgit ad Arcton
Doctrinæ fecunda ſeges, Edenis in hortis
Conſita, quâ domus Auroræ, Phariusq; ſacerdos,
Brachmanumq; genus, Runæ, Druidesq; verendi
Et Pandioniæ quondam tumuiſtis Athenæ
Tu quoq; Romiludum gens, & Nabathæa ſophorum
Templa per Heſperios nobis pandentia tractus
Omne ſacrum. Nunc, queis fugiat, ſapientia nullas
Proſpectat manſura plagas. Hîc Terminus eſto
Immoti Muſas cuſtodivere Triones.

FUrſt aller Fürſten Zierd/ du Außzugk deiner Ahnen
Du Helden Ober-Held. Du haſt in Tugend-Fahnen
Dein Königlich Geblüt ſchon längſten eingemahlt
Aus welchen dein Gemüth als Phoebus Antlitz ſtrahlt/
Wil ich ins Sonnen-Licht/ denn meine Kertzen ſtekken
Und dieſes Dein Geſicht mit meiner Hand verdekken
Die itz die Feder führt/ daß ſie das helle Bild
Entwerffe/ das den Nord mit ſeinem Schein erfült?
Ich möchte lieber itz die Hand am Munde legen/
Als ſelbig' in dem Sand und Ufer pflügen regen/
Erſtarret ſteh ich ſchon/ in dieſem erſten Blikk/
Eh ich daß gantze ſeh/ ſtekk' ich imerſten Stükk.
Wer kan doch in dem Thal Pyrenes hohe Spitzen
Erſehen überall? Daß Strahl- und Feuer-Blitzen
Von Titans Angeſicht/ berührt die Erde zwar/
Dennoch erſieht ſie nicht ſein Goldgebrandtes Haar:
Wie kan denn ich die Höh in dieſer Grufft erreichen
Und meſſen deine Gröſſ? erzitternd muß ich weichen/
Und laſſen meinen Zirk/ wann ich umbſchlieſſen will
Die Thaten ohne Zahl/ die Tugendreiche Füll.

So leuchtet uns dein Sinn/ so schiessen deine Strahlen/
In lauter Freundligkeit; Wolt itz Apelles mahlen
Der Sanfftmuth Muster-Bild/so gebe dein Gesicht
An seiner Farben-Schild ein wiederscheinend Licht.
Wer wil der Perser Trotz den Alexander sehen/
So groß in kleiner Zeit/der muß zum Spiegel gehen/
Darinnen deine Jahr/so wenig an der Zahl/
Von vieler Tugend-Meng/zu sehen tausendmahl.
Wer sucht den Salomon in seiner Pracht zu schauen/
Der seh dein junges Haupt in alter Weißheit grauen;
Das richtet Salomon/was David nur gedacht/
Das stifftet **Christian**/was **Friedrich** nicht volbracht.
So müssen nunmehr dich die Königinnen preisen/
Gleich als den Salomon/und eine zu dir reisen/
Wenn sie der Fama Ruff zu deinem Tempel führt/
Daraus dein grosses Lob der Völcker Zungen rührt/
Und schallet überall/und streitet mit den Zeiten/
Der Sieg ist Ewigkeit. Was wil ich dann außbreiten/
Daß so unendlich ist/weil diß zusammen klingt
Aus aller Völcker Mund/man entzeln es nicht singt.
Drum still Melpomene. Es ist in deinem Orden
Der Lust und Hochzeit Tag. Zieh' auf und stimm die Korden
Biß Abends Venus wird am Himmel oben stehn/
Und von des Pindus Spitz dein Fürst zu Bette gehn.

Adamus Tribbechovius Phil. moralis Prof.

Epigraphe
super
Cunabula novæ Cimbrorum Academiæ
CHRISTIAN - ALBERTINÆ
Kiloniensis,
applaudente
B. N. J. U. L.

Feliciter! feliciter!
Sic tandem cessit ex voto. Quod erat in votis.
Si non plerisq; omnibus.
Animis certè candidioribus.
&
Quibus cor modèstè situm est.
Nam
Quod ab illustrissimis Avis Attavisq;
non minùs optatum quàm speratum.

A pro-

A providentiſſimo Sapientiſſimoq; Parente,
felicibus auſpiciis affectum
Id jam nunc à magno Nepote & Filio.
cunctis ſuper vota fluentibus,
fauſtiſſimè effectum
&
In rem præſentem deductum eſt.
Favete linguis & bona verba dicite,
Novo litterarum Statori,
Reverendiſſimo atq; Sereniſſimo Principi
ac Domino
DN. CHRISTIANO ALBERTO,
Hæredi Norvagiæ. Epiſcopo Lubecenſium Electo,
Duci Sleſuici. Holſatiæ. Stormariæ, Dithmarſiæ,
Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt.
Auguſto, Pio, Pacifico.
Patri Patriæ.
Principum Coronæ.
Generis humani Amori atq; Delitio.
Qui magno animo
Magna & honora auſus,
Magnificeq; conata exſecutus.
Ad occidua CODANÆ BALTHES littora
Ubi paulò antè algebat Apollo
frigebant Pierides.
Helicona virentem & Ædem Sapientiæ
recens condidit.
Cujus
Portam ſanctam. ſolemni pompa,
præſentis auſpicio Numinis.
Ingeminatis ad pulvinaria ſupplicationibus.
Inter fauſtas acclamationes,
Et lætantûm jubila
Magnum CIMBRIÆ jubilæum inferens.
III. Non. Octobrium. A. cIɔ Iɔc LXV.
Pontifex ipſe aperuit.
Largus in Muſas.
Indulgentiarum beneficiorumq; Diribitor.
O bonum factum!
Immortalitatis ac Famæ præconiis
Quàm digniſſimum perennari!
Nimirum ita,
Divi quoq; Imperatores.
Conſtantinus. Theodoſius. Carolus Magnus,
Qui maxumo ſemper Populorum
deſudarunt commodo.
Eodem pientiſſimæ ſollicitudinis munere.
Romam. Conſtantinopolin. Berythum,
Cœterumq; Romanum Orbem,

Inluſtri ad poſteros documento.
Impartire haut dedignati ſunt.
Queis ſtudium fuit, ſtudiis velificari.
Et togatæ munia haut minus militiæ,
Quam ſagatæ ſtrenuè obire.
fortunamq; belli inter dubia.
Virtutem inter certa ponere,
Hinc
In illius ſpeciem hanc aſſimilare,
Palanteis Muſas ſub ſignum colligere,
Ordines. Stipendia. ſequacibus aſſignare.
Coronas. Congiaria benè meritis diſpartiri.
Ludos atq; palæſtras pro Tyronibus inſtituere.
Ubi.
Stylo non pilo. Arte non Marte
depugnabatur.
Ubi
Non corpora. Sed ingenia.
Non manus. Sed lingua.
exercebantur.
Atq; ejusmodi divinæ operæ navandæ.
Avidiores illi fuêre.
Quam.
Bella moliri & ingentes alere
In prælia Spiritus.
Vel
In Amphitheatris. Circis. Hippodromis.
pulverem colligere
Aut publicos plauſus dare ſive exſpectare.
Felices animæ!
Quæ hâc via. Solium. quod dicitur. Jovis;
Et extremos in mortalitate
Immortalitatis terminos attigêre,
Quarum laudes Fama usq; buccinat,
Memoria ſempiterna eſt.
De Te. *Sereniſſime Princeps.* nemo eſt,
Qui paulo minora ominetur.
Tu enim nunquam vacuus pro Rep. curis,
Nunquam non vacans DEO,
Regium. quem à Regibus derivaſti. Sanguinem
CHRISTIANO & FRIDERICO primis.
Heroicos quos ab Heroibus hauſiſti ſpiritus.
Ducibus magnis & egregiis,
Non ludicris non vanis.
pro captu ætatis.
Sed quàm maximè ſeriis
ſupra ætatem
Ad
DEI gloriam. Virtutum ſtudia.

Sub-

Subditorum commoda. patriæ decora.
Germaniæ illustramentum.
Illustria sanè & regia omnia
gloriosè impendis.
Nam
Bella equidem minimè bella doctus,
Postquam,
Sororio olim Tuo.
Invictissimo Suedorum Monarchæ.
CAROLO GUSTAVO
Victori & Triumphatori.
forti. felici. inclyto.
Prima castrorum rudimenta
naviter approbasti.
Marti amplius nullas.
Pietati primas.
Musis secundus tribuens.
Egregiam Paci famam circumdedisti.
Dum indultu
Imperatoris Cæsaris Augustissimi
FERDINANDI III.
Sæculi sui Salamonis.
ductu
LEOPOLDI I.
Victoriis Julii. felicitate Augusti
Bonitate Trajani. Asiæ Terroris. Europæ Tutoris.
Ex voto.
Parentis tui gloriosissimi.
FRIDERICI
Principis incomparabilis.
Omnibus ingenii. Virtutis ac Studiorum quondam.
Dotibus eminentissimi.
Qui ad exemplum.
P. Scipionis Africani.
Nil in vita nisi laudandum. aut fecit;
aut dixit ac sensit.
Æternas Eusebiæ aras religiosè consecrati.
Perpetuum Themidi thronum sublimè extulisti.
Novum Apollini Parnassum.
Commodas Minervæ sedes.
Omnibus Sapientiæ Thesaurum.
In Urbium Ocello
KILONIO
Diis hominibusque plaudentibus.
Monstrasti. immò dedisti.
Adeo ut nunc
Vandalia. Ungria. Cimbria. Nordalbingia.

Mu-

Muſtea bona ſua ſic ſatis intelligant.
Antiquam barbariem & mores hiſpidos
Cane pejus & angue deteſtentur.
Quando
Vetuſtiſſimi Incolæ. Raptores orbis.
Lucos pro templis. Monſtra pro Diis.
Zuanteuitum. Pronoxem. *Zivvam.* Rhadegaſtum.
Queîs humanis etiam hoſtiis litare
penſi habebant
coluêre.
Gens latrociniis adſueta. crudelis. inquies.
ferox. ſuperſtitioſa.
Et utcunq; belli gloria ingens.
Infelix tamen.
Quod litterarum ſecreta viri pariter
Atq; fœminæ ignorabant.
Sed quantum oppidò demutata ab illis
Tempora!
Cum jam nunc benigna rerum vice
Omnia in melius verſa.
DEI nutu. cuncta moderantis.
Qui
Cimbriam Cimmeriis tenebris.
Vandalium vandalis.
Vagriam Idolis.
Nordalbingiam inſcitia.
Prorſus exeruit atq; defœcavit.
Sibiq; ſedem. Moſis Hoſpitium.
Sapientiæ Domicilium. Virtutum Coloniam.
eſſe voluit.
Fato omen adprimè firmante.
Quippe
Sicuti quondam ex hæc Vaginâ Gentium.
Magna non tantum Gentium Confluges.
Evaginata & evagata.
Quæ
Italiæ. Africæ. Hiſpaniæ. Galliæ ferrum.
Angliæ nomen & ſceptrum.
Europæ Colonias
Orbi terrorem.
Cimbriæ ſplendorem.
intulit.
Verùm etiam ex eadem.
Splendidiſſima doctrinæ & ſanctitatis Lumina.
Anſgarius. Poppo. Vicelinus. Helmoldus.
Aliiq; orbi affulsêre
Qui
Slavis converſis. Septentrionis inprimis Noctem.
Denſâ errorum caligine diſcuſſâ.

Cla-

Clarissimâ fidei & Miraculorum Luce,
Collustrârunt & perfuderunt.
Sic nunc potiùs
Ex novo nostro Lycéo,
Emporio multijugæ Eruditionis,
Arce sapientiæ.
Capitolio Religionis.
&
Virtutum Seminario.
Tanquam ex Equo Trojano
Innumeri se effundent
In omnes terrarum tractus,
Qui
Exedras. rostra. fora. pulpita
studiis decorare,
Regna. Provincias. Urbes. Aulas. Domos.
sapientia regere.
Pietatem. doctrinam. bonos mores.
Ubiq; ingerere velint & possint.
Quo
Nil beatius. nil gratius.
Hoc præsertim tàm sævo & infesto
Virtutibus ævo.
Ubi.
Musæ admodum arctè frigideq; habentur.
Calore nativo multùm indies abscedente.
Sive id Consilii sive Ærarii publici
inanitate,
Cujus utriusq;
Cara apud magnos maxumè sæpiculè annona est,
Hinc mirum.
In Cimbria tot bellis non ita pridem defuncta.
Tot incendiis atq; rapinis deturpata.
Abs tot sanguisugis & Argenti exterebronibus,
divexata & exhausta.
Superesse tamen nervos.
Quibus hæc Machina movetur atq; ferruminatur.
Quibus Musarum patrimonia dapsilè ampliantur.
Totum.
Muneris sanè id DEi est.
Providentiæ Principis,
Industriæ viri Illustris.
DN. JOHANNIS ADOLPHI KIELMANNI,
à Kielmansecf.
Patriæ Atlantis & Cimbrorum
Fortunæ
Cujus provisu.
Ærarium vires redintegrat.

Cujus consilio.
Ita Cimbriæ semper benè est.
Ut conterminæ Gentes admirentur.
Longinquæ stupescant.
Age igitur nunc Cimbria
&
Benignissimi Numinis indulgentiam.
Indulgentissimi Principis benignitatem,
Principalissimi Ministri sollicitudinem.
Justis laudum præconiis,
Perituris nunquam monumentis
grata ac memor
L. M. Q.
persequere
Cum ea nunc domi atq; in sinu habeas,
Immortalis gloriæ tuæ magmento,
Quæ paulò ante foris & apud exteros.
Impensius quærere fuerat necessum.
Sed
Tu. ânte omneis, KILONIUM.
Studiorum Mater.
Plausibus persona.
Quod fulgentissimus hic Titan.
In tuo Hæmisphærio exortus.
Quod tàm beneficum Sidus.
Inter tot feralia nuper signa.
Tibi cumprimis prosperrimè illuxit.
Quod
Magnus noster Apollo.
pronubo Mercurio
Felix cum Pallade connubium
Gratiis famulantibus.
Apud Te pepigit, immò firmavit.
Nimirum.
Sic voluit Optimus Princeps.
Ut hæ tædæ auspicatissimum futurarum.
Quod DEus benè vortat.
præludium essent.
Ut
Minerva chorum duceret.
Venus pedisequa fieret.
Hymenæus agmen clauderet.
Sic voluit munificentissimus Mœcenas.
Ut præ cœteris hæc Tibi Honoris prærogativa
daretur,
Quò sanctiùs & reverentiùs
Novos Marones,
Maximos Genios,

Ve-

Veneranda Musarum Sacra
Instar Romanorum Ancilis
Vel
Trojanorum Palladii.
In tuum gremium cœlo dimissa
Haberes. curatiusq; asseruares.
Sic voluit faventissimus Evergeta.
Aureum Os Principis. Promptuarium Consilii.
Et ut verbo absolvam. Caput hujus rei.
Ut.
Tam firmo tibicine stares.
Tam salubri succo succresceres.
Tam immarcessibili flore vireres
Hinc
Tantum KIELMANNO suo debet KIELonium,
Quantum SORBONÆ suo debet SORBONA.
Et ni valdè fallor.
Brevi debebit Cimbria suis Athenis.
Quod Alcinoi Hortus suo Cultori.
Quando
Fructiferas Ecclesiæ plantas.
Ceu Religionis fulcra.
Magnos Curiis Surculos.
Ceu Reipub. pedamenta.
Vivificas Mortalibus Herbas.
Ceu Languentium Spes & Solamina.
Omnibus Oracula
Singulis Ornamenta
DEO genioq; propitio
abunde sufficient.
Quando Minerva.
Cupidam disciplinarum Juventutem,
Secundum tenorem virtutis.
Quomodo Mercurius obæratiores & foro mersos,
Secundum rigorem antiquæ legis.
Obstagio attinebit.
Donec residuum inscitiæ
Sicuti illi reliquum æris
ad assem persolverit.
Vivat ergo æternum hic Apollus.
Sacrorum Antistes.
Ut benè irriget & sacræ semper
fructificet rei.
Vivat longùm Tribonianus.
Justitiæ Sacerdos.
Ut per legitimos tramites omnium.
iniquitates expellat.
Vivat immensum Æsculapius.
Sanitatis Arbiter.
Ut mortalitatem Mortalibus proroget.

Et omnes benè valere jubeat.
Immò
Vigeat & floreat amicus Plato.
amicus Socrates.
Sed tamen magis amica Veritas.
Qua
Nosmetipſos quod verè ſummus.
Sine fuco noſcere diſcamus.
Deniq;
Ut vivat CIMBRIA diu incolumis.
Vivat extento fortunatiſſimus ævo.
Magna Cimbriæ anima.
Sereniſſimus atq; Eminentiſſimùs Princeps
CHRITIANUS ALBERTUS
Horum ſapientûm.
In iſthoc Orbe Cimbrico.
Primus ſtator atque Conſervator.
Quo
Nihil majus meliusve terris
Fata donavere, boniq; Divi.
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Secula priſcum.

SCRIPSIMUS ô PRINCEPS! Oculis dignare ſerenis
Carmina, quæ properans noſtra Thalia dedit.
Cumque tuis dux ſis, DUX FELICISSIME, Muſis,
De cujus claro lumine lumen habent:
Cumque ſua ſeſe ſatis illæ voce loquantur,
Ut laus in toto, qua patet, orbe ſonet:
Hós radios quoque crede tuos, credatur & echo
Te reſonans. Hoc, ſi quid placet, omne tuum eſt.

MUSAGETÆ PRINCIPI.

Plauſus bono & ſumma veneratione datus.

SAncta dies & feſta! Deus, Deus otia Muſis
Inſperata facit. Facit ejus numine plenus
CIMBRORUM PRINCEPS. Linguis animisq; favete,
Quicunq; in ſacris, quæ nunc celebrantur, adeſtis:
Qui nec adeſtis, amor quos hic tamen urit honeſtus
Aonidum, Linguis omnes animisq; favete!
Sunt ſacra, quæ nunquam venient repetenda futuris
Temporibus. Fauſtis aperitur luce Lyceum

Hac

Hac ipsa auspiciis, quam nobis promere gestit
Sol pater exultans radiis, & cetera læto
Sidera felices ad nos mittentia vires
Lumine perfundunt. Illam scripsere volentes
In mediis astris, fama celebrante per orbem,
Nunquam delendis, Musæ cum Pallade, signis.
Sancta dies, & festa! Deus per pectora mittit
Summa ducum arcano sanctas spiramine curas:
Ille suo, quos esse loco vult seligit; ille
Incitat. Humanæ est illis tutela salutis
Credita. Præsidibus civilia commoda surgunt
Talibus. Hinc quodcunq; bonum est, quodcunq; venustum
Nascitur in populis. Sed quid præstantius unquam est
Doctrina cultuq; animi? Cum copia felix
Civilis vitæ multis completa bonorum
Perficitur cumulis, animi cultura triumphat
Ante alias, quos vincit, opes. Virtute beamur
Inprimis, redditq; Deo sapientia gratos,
Et similes. Hæc sunt summæ fastigia laudis:
Huic bona, quæ corpus recreant, famulantia parent.
Omnia concedunt animi, suprema petentis,
Dotibus. Hic Deus est, ubi sunt hæc munera sancta.
Hæc curat PRINCEPS. Hinc doctas voce benigna
Advocat Aönides. Properant ad limina jussæ
Hæc nova, ductoremq; suum reverenter adorant,
Hanc sibi gaudentes arcendi hoc tempore lucem.
Sancta dies & festa! Deus per secula certa
Dividit heroas, quæ reddunt maxima mundo
Commoda, sublimes animas. Emolliit Orpheus
Sylvestres homines, aurum repetivit Jason
Velleris eximii, Theseus conjunxit Athenas,
Liber ovans Indos, Ægyptum ornavit Osyris,
Et Minos bimarem Cretam, Spartamq; Lycurgus,
Roma patri debet sua fundamenta Quirino:
Autor & in nostra est antiquus gente Tuisco,
Et plures aliis magna incrementa tulerunt
Præsidibus. Cimbris Musas (ô gloria) donat
CHRISTIANUS DUX ALBERTUS, Musisq; colendam
Ædem rite dicat. Fortunatissime princeps,
Et dilecte Deo, cui fata faventia doctis,
Et faciles veniunt ad templa exstructa Camœnæ.
Cuncta tibi, Princeps spondent hac luce sorores.
Sancta dies, & festa! Deus loca plura per oras
Sparsa dedit plures, doctrinaq; crevit & aucta est
Sedibus in variis. Urbes sapientia cœlo
Extulit haud paucas. Babylon en claruit astris,
Et Memphis pariter studiis se erexit, & illa
Condita Alexandro. Qui doctas nescit Athenas?

Quis montes, & aquas linguis variisq; repletas
Artibus? Et Berytus erat celebrata colendis
Ingeniis: Arabum genti prælata Marocco est
Ut taceam reliquas. Postquam depulsa recessit.
Olim barbaries, claris Europa refulsit.
Musarum hospitiis. Non paucis dicere par est
Versibus. Atq; suis Germania nostra Lyceis
Sublata est, & nunc meritò se celsius effert:
Nam clades, & damna piis illata Camœnis
Pensantur, Cimbrisq; novæ reparantur Athenæ,
Queis quasi natalis lux hæc hodierna putanda est.
Sancta dies, & festa! Deum veneremur ad aras
Rite precaturi. Fas est bona dicere verba,
Fasq; vovere piis. Deus audiat optimus autor,
Autor doctrinæ & vindex certissimus omnis
Omnipotens Deus: hæc illi sint munera sacra,
Redduntur sua, perq; preces & vota dicantur.
Sit felix, sitq; ille bonus! descendat olympo
Huc veniat, pacemq; ferat delapsus, opemq;!
Excitet hanc sedem Musis, defendat, & ornet,
Depulsisq; malis æquet per secula longa
Doctrina famaq; polo. Quodcunq; doceri,
Quodq; potest disci pulchrum doceatur, & omne
Hic bene discatur. Contendat Balthica Tethys
Nunc queiscunq; undis, & terris Cimbrica tellus.
Servetur Princeps, è cujus pectore Musæ
Hæ quasi nascuntur: lætus dominetur ubiq;,
Et medias inter Musas dux alter Apollo,
Doctorumq; pater! Sit vitæ Principis ordo
Aureus, & sero cœli se sede reponat,
Nec nisi cum natis has post se deinde regendos
Tradiderit Musas, quas præ Peneide lauru
Excellens acri virtute Urtica tuetur.
SERVETUR PRINCEPS! Ex multis millibus una
Vox sonat. Et FELIX SIT LUX HÆC PRIMA LYCEO,
Accinitur: veniatq; boni quodcunq; precamur!
Vocibus obruimur, tamen usq; loquamur & usq;:
SANCTA DIES, ET FESTA! DEUS FACIT OTIA MUSIS,
ATQUE FACIT PRINCEPS! LINGUIS ANIMISQUE FAVETE!
EVENIAT QUODCUNQUE BONI QUODCUNQUE PRECAMUR!

F. Hamburgi

MICHAEL KIRSTENIUS.

Sca-

Scazon..

DIvine Princeps, Infulas odorandas,
Et Stemma ſacrum, Sanguinemque Majorum,
Rariſſimæ Virtutis incluta Exempla
Cantent, quibus furore ſubſilit pectus
Apollinari. Totus orbis applaudit
Novis Athenis, queîs beata Cimbrorum
Tellus ſuperbit. Tuquò Conditor Princeps
Veris liquescis gaudiis, perennantem
Kiloniam dum candido beas vultu.
Tot inter alta gratulantium vota,
Limbos, coronas, carminumquè ſuffitus,
Accedo ſupplex & cliens peregrinus
Raptus decore nobiliſſimi Facti,
Æternitatem comprecor Domû Auguſtæ,
In quo Camænæ Gratiæquè convivunt,
Et Ipſe Princeps eſt ſerenior Phœbo.
Sanguis Deorum, ſeculi aurei Phœnix
ALBERTE Fama eburneo vehit curru
Tuum decus ſummamquè adoream laudis
Per Univerſos Orbis hujus anfractus.
Quid umbra Solem lucidiſſimum adſpecto?
Obtundor & me major impetus vexat,
Sed blæſa verba non decent ſacras aures:
Hoc dico: Muſas penè ad incitas actas
Ornavit, auxit & ſinu ſuo fovit,
Apollo Principum, ſtupendus ALBERTUS.

An

An den
Hochwürdigsten/Durchlauchtigen/Hochgebohrnen Fürsten und Herrn/

Herrn Christian Albrechten/

Erwöhlten Bischoffen des hohen Thum-Stiffts Lübeck/

Erben zu Norwegen/ Herzogen zu Schleßwig/Hollstein/Stormarn und der Ditthmarschen / Grafen zu Oldenburg und Delmenhorst.

Als

Ihre HochFürstl. regierende Durchl. in Schleßwig-
Hollstein/durch Gottes Gnade/ und längst-erlangte Freyheit / von Ihrer Röm. Kaiserl. Mayst. eine Universität/in Ihrer Fürstl. Hollsteinischen Haupt-Stadt **Kiehl**/Anno 1665. den 5. Tag Octobris, styl. vet. feyerlichst auffrichtete/

Unterthänigster Glück-Wundsch/
aus Breßlau/
Gehorsambst übersendet/
von

Heinrich Mühlpforten.

DAs Dir/**Hochwürdigster**/itzt die gelährte Welt
Gedächtnüß-Tempel baut/und Ehren Säulen setzet/
Dein Lob in Täffeln gräbt/die keine Zeit verletzet/
Für **Deinem** hohen Thron/aus Deinuth/niederfällt/
Heischt die verbundne Pflicht/die sich noch mehr bemühet/
Nachdem sie gantz entzückt/ein neües Glükke siehet.
Des Stammes Göttligkeit der Tugend Sonnen-Glantz
Hat **Dir** zwar längst ertheilt viel Tausend Lorber-Cronen/
Itzt/da der Phoebus soll persönlich bey **Dir** wohnen/
So hat Er sich erkühnt zu winden einen Krantz/
Von Blumen/die Ihm selbst **Dein** Helikon gegeben/
Nun **Du** jhm Sitz erbäust/und heist jhn bey **Dir** leben.
Wie frohlockt **Holstein** itzt/ob seiner göldnen Zeit/
Wie manch berühmter Kiel wird **Kiehl** unsterblich preisen/
Wie wird der **Cimbern** Blut begierig dahin reisen/
Zu sehn die Hohe Schul und die Vollkommenheit
Erlesner Wissenschafft/den Kern von solchen Gaben
Die hohe Seelen nur gerecht und eigen haben.
Durchlauchter/weil der Kreiß der Erden bleibet stehn/
Wird **Dein Hoch Fürstlich Hauß** ein ewig Ruhm vergöttern/
Die Lorber/die **Du** trägst/ist frey von Blitz und Wettern/
Und dieses Musen-Schloß wird ein Gerücht erhöhn/
Daß zu den Sternen steigt/und groß an Herrligkeitten/
Sich von den Norden kann biß zu den Süden breitten.
Es rühmt solch löblich Werck der Auff-und Niedergang/
Es schwelt der nahe **Belth** aus Freuden/seine Wellen

Nun

Nun ümb sein Ufer sich die Gratien einstellen/
Und suchen Schutz und Ruh. Mann hört den süssen Klang/
Auch übers weite Meer/den Deine Nachtigallen/
Zu Ehren Dir/ô Fürst/anmuhtig lassen schallen.
Was vor Dein Helden Stamm und Königliches Bluth/
Mit tapfrer Faust verübt/und Land und Volck beschützet/
Wie es dem Atlas gleich das Vaterland gestützet/
Den unerschrocknen Geist/den rechten Löwen-Muth/
Zeigt itzt Dein Musen Volck/durch sein erfahrnes Schreiben/
Und wirds der Ewigkeit Register einverleiben.
Ertzt/Marmel und Porfier bricht und zermalmt die Zeit
Saffier und Goldt sind nicht befreyet vom Verderben.
Alleine/grosser Fürst/dieß Lob kan nicht ersterben/
So Deine Hohe Schul aus Schuld und Danckbarkeit/
In klugen Schrifften weist/mann wird dich preisen hören
Biß das die letzte Glutt diß gantze wird zerstören.
Aegypten trotzte sehr auff seine Wunderwerck'/
Itzt sind sie bey der Welt beruffne Särche worden/
Diß istwas Göttlichers/das hoher Printz von Norden/
Dein Auffsicht hat erbaut/es ist der Musen Berg/
Und nicht nur Staub und Grauß wie dort von theuren Steinen/
Hier sieht man weesentlich der Weißheit Pharus scheinen.
Unendliches Gelükk/beschwinge Deinen Thron/
Durchlauchter/was zuvor in Griechen-Land geblühet/
Was man von Künsten sonst hochschätzbars irgend siehet/
Komm überschwenglich reich/auff Deinen Helikon/
Denn wird/was gleich die Welt an Künsten hat verlohren/
Durch Dich/beglückter Fürst/in Hollstein neu gebohren.

Super Illustrem

CIMBRIÆ PANEGYRIN,

Institutam

Sub ENCÆNIA

NOVÆ ACADEMIÆ KILONIENSIS,

AN. CIↃ IↃC LXV,

III. Non. Octobr.

EPIGRAMMA.

D. O. M.

Futuræ hoc scribitur ævitati
Fecit scilicet ita nunc CIMBRIA.
Quod præter-itis in votis erat seculis.
Quod futuris felicitati erit,

g Dum

Dum
Sereniſſimus Cimbrorum Dux.
CHRISTIANUS ALBERTUS
Princeps verè Auguſtus.
Quum is.
Quos â Regibus atavis.
CHRISTIANO I. & FRIDERICO I.
Regios hauſerat ſpiritus,
Illuſtribus oſtenſurus erat factis.
Non ad Martiales eoſdem proritavit impetus,
Non ſaxa ſaxis ſtruendo. Et
Molibus ſurrigendis. inſumpſit,
Sed ſuper illuſtria omnia. Et
Quidquid monumentorum eſt,
Eſſe cenſuit.
SEDEM MUSIS. LAREM SAPIENTIÆ.
ponere
Bonum factum!
III. Non. Octobrium. AN. cIↄ Iↄc LXV.
Qua BALTE ſe CODANA KILONIS infundit,
Heliconi novo. Muſæ inductæ ſunt,
Domicilium ſuum Pallas agnovit.
Honori illud omnia moderantis Dei.
Nomini æternaturo.
Sereniſſimorum SLESEVICI & HOLSATIÆ
DUCUM.
Terræ NORDALBINGÆ decori emolumentoq́;.
Quæ quidem.
Uti auſpiciis primo,
Divi FRIDERICI IV.
Ducis SLESEVIGO-HOLSATIÆ Regentis.
Indultu.
CÆSARIS AUGUSTI FERDINANDI III.
Conſiliis & cura,
Viri verè Principalis.
Et qui Regnis par moderandis,
JOH. ADOLPHI KIELMANNI.
In tanti decoris poſſeſſionem
Se iviſſe lubens profitetur.

Nec

Nec vicinæ quidem terræ
Iſtam invident CIMBRO felicitatem.
Bellicoſus ſcilicet SUEO. & Regii Triones.
Regium etiam FRIDERICI. per DANOS
NORVAGOSQ; induperans nomen.
Sereniſſima. per HENETORUM veterum,
Sedes. & HASSORUM. ſceptra
SAXONUM etiam & BRUNOVICENSIUM.
Illuſtria omnia & DUCUM maximorum nomina.
QVorum pleriq;.
Ut ipſo facto faventiam oſtenderent.
Miſerunt. ex ſuis illi copiis.
QVi frena heic moderandæ Juventutis
Capeſſerent.
Omnigenæq; eruditionis ſpargerent ſemina.
BRITO etiam. & BELGÆ.
Quamvis Infelices inter ſe ſibi
Laurus raptant.
MINERVÆ heic baccas ſeri. & frondes
pacatas.
Non inviti CIMBRO gratulantur.
Solus. inter ADRIAM & TUSCAS undas. ITALUS.
Obliquum huc flectere oculum videri poſſit.
Qui quidem
Quod Muſæ. quæ dudum ALPES migrarunt.
Nunc ad GOTHICUM mare ſedem ſibi legant.
Et. qui ROMAM olim proruit. CIMBER.
Heic Muſis ſtruat domos.
Et Religioni vetuſtæ Arcem.
Si non miratur. certè ringitur.

f.

M. G. H. BURCHARDUS.

Ejusdem

VOCES PUBLICÆ,

Quas

In Solemni Panegyri collegit.

MACTE SIS, MACTE! PRINCEPS SERENISSIME, isto quod divinitùs hactenus molitus es consilio: quod nunc felici, in actum deducis auspicio. Ita tot TE gratulantium hodie circumsonant voces: Ita & in easdem, dum in illustri hac CIMBRIÆ panegyri, natalis HOLSATÆ Academiæ festivior se infert dies, dum solennes jam in pompam imus, non segnior sese nostra CIVIUM tuorum, excitat pietas: iterumq; jubet dicere & iterum: MACTE SIS hoc ipso, MACTE! PRINCEPS AUGUSTE.

Permitte illud, DOMINE, dum heic ponimus & nos osculum dexteræ TUÆ, & tot inter gratulabundi gratulantes, dum sistimus propiùs, dum in vultu Tuo tot eminentium virtutum expressas vividè notas, gaudio tacito perfusi, legimus, indulgeamus heic paulisper & voto & lubentiæ nostris.

SALVE nobis, REGIUM verò SANGUEN. In te scilicet per tot DUCES proavos, per atavos REGES, induti stemmatis non turbata descendit series. In TE illi, si redivivi adsint, non spem modò, sed maturata jam indicia virtutum suarum, ita propitium, nobis porrò Op. Max. faverit Numen, non falsi deprehendant.

Non tamen heic, vel ad VITEKINDI usq; sceptra, inter majores imprimis, TUOS numerandi, quia CHRISTO ista primus sceptra subdidit: non ad CHRISTIANI, *Atavi* TUI, per tria Regna venerandum diadema; ad purpuram FRIDERICI I. *Abavi*, has gentis Tuæ imagines revolvimus: poteramus JOHANNIS ADOLPHI, *Avi* TUI, sacras ex *Bremensi* Archiepiscopatu, tiaras; poteramus ADOLPHI *proavi* per *Belgium* & *Hispanias*, sub Cæsarum duorum, CAROLI V. & MAXIMILIANI, auspicia, clucentem bello virtutem; *Proavi* item alterius paterni FRIDERICI *II.* Regios titulos, & par fastigio pectus, à quo facer ille REGUM Daniæ continuus deinceps ascendit ordo, cum pompa heic inducere:

Scimus quid pietas TUA dici mavelit: quid inter illa majorum eminia, iudulserit eximium felicitas: Scilicet, quòd DIVUM FRIDERICUM, principem PIUM & SAPIENTEM, *patrem*: quòd MARIAM ELISABETHAM, ex Electorali SAXONUM domo, illaq; domo dignam stirpem nactus sis *genetricem*.

An-

Annus fuit cIↃ IↃCXLI reparati per CHRISTUM orbis, qui TE modò natum ad prima gratulantis CIMBRIÆ, tuæ terræ, porrexit oſcula.

FELICITER ITE ſcilicet, CHRISTIANE ALBERTE, (ô nomen noſtræ *deliciæ*) Fatorum clementia, quûm illuſtris ille PARENTUM tuorum thalamus, octona maſcula ſobole fecundus felixq; fuiſſet, octona femella, noſtræ deſtinavit felicitati : quæ licet in omnes prodigi cœli bona, & quod purpura olim dignum eſſet indulgentiſſimè profudiſſet: quûm tamen diſpexiſſet ſæpius, quûm blandiente non ſemel voltu recenſuiſſet: probavit quidem omnes : & illuſtribus dignos natalibus, ſpe gentium, quid tamen, niſi illud faventis Fati, id eſt DEI noſtri, credimus fuiſſe decretum ? Tu quidem HEDEVIGA ELEONORA, induperantium TRIONUM ſceptris : Tu CHRISTIANE ALBERTE, CIMBRIÆ imperio, deſtinamini. Habebit & cœteros ſuum faſtigium.

Nolimus heic unguem in vulnere ponere : & tamen agnoſcimus, in quo noſtra olim, nunc habeat fomenta acerbitas.

Bis ire in luctus, bis illa nomina juſſi eramus ſuprêmûm acerbiſſimo in dolore clamare, quæ noſtris credideramus deſtinata & ſpei & votis: hinc ITALA tellus, inde CELTICA, triſtes urnas & *Cimbriæ* rigandos lachrimis Cineres (miſeramus nos PRINCIPES noſtræ juventutis & terræ) remittebant.

CHRISTIANE ALBERTE (permittes enim frequentes hoc uſurpemus nomẽ, quo amicabile & venerandũ magis nobis non eſt) Tu eras, cujus felicitate noſtras iſtas clades ſe penſurã, pii Numinis decrêrat benignitas.

Et conſenſit in hoc ille à tot atavis DUCIBUS deſcendens non degener *Tibi* ſanguis: illa curatiſſima, etiam ſupra privatorum moroſitatem, liberalis tamen & planè regia, juventæ tuæ formatio, non tam ſub præceptorum lentis monitiunculis, quàm ſollicitiore SERENISS *Parentum* cura agitata eſt: DIVI imprimis, quod domeſticum Tibi præſtò fuit & vitæ & imperii felicis exemplar. Ex illo habes, quòd ſupremo O. M. Numini, ſceptra tua ſubijcis, & ab illo, veluti unico felicitatis fonte, dextima conſiliorũ & eventuum, non ficto mentis caſtiſſimæ cultu, derivanda, æſtimas : ab illo habes, quicquid in Imperantibus virtutum, ſæpius voveri quàm eſſe ſolet : illius eſt, quòd divæ Themidos æquatas diſpenſas lances, nec illam, qualem plaſtæ malè cauti fingunt obvoluto lumine eſſe, cordatus ſinis: habes inde, quòd ſæpius de levanda ſubditorum infinita calamitate ſerius cogitas: de frenando luxu intendis quod iniquitas Te horret : pallet rapina : harpyjæ trepidant, & tandem verentur eſſe, quo ſceptra tuente, furari publicè, non impunè ſit. Liceat autem ire ad Te, tanquam tutelare numen, etiam infimis, & de agro & gurguſtiis hominibus, & queri de ſuis iſtis hirudinibus, oſtendere vomicas, & quàm dudum ultra cutem ſit tonſura.

Annus erat O.R. cIↃ IↃCLVII. quùm ſolito acrior vicinus in ſe infeſtis iris armabatur BOREAS. Tum illud fuit, quùm inter undas ſuas CODANA intorpuit BALTE. non frigore ſolùm fatali ſtricta, ſed quod trans hiemes iſtas ſuas pedeſtria volitare ſigna, ire acies, rapi ſuper rotas tormenta, ungulisq; quati equorum, freta GOTHICA videret, non niſi remis ſueta verberari. Dixerimus indoluiſſe tunc naturam errorem ſuum, quæ pontem in ponto præbuerit, gentibus ita vicinis in mutuas conruituris mortes: niſi illud piè ſciamus & ſanctè fateamur, eſſe Deum, qui ubi crimina mortalium ulturus eſt, hiemes ita & compedes ipſis injiciat fretis.

Iſta nos non niſi inter grandia ſuſpiria meminimus NORDALBINGI. Noſtra ſcilicet hæc terra, & CIMBER erat iſthmus, quò ſeſe tot legionum infeſtæ volvebant undæ & deprœliaturæ numeroſæ ibant manus. Nec enim AQUILAS hùc ſolùm *Auſtriacas* ad prædam vidimus volitare & minitari ungues, inferre etiam miſeris: Sed & à *Boryſthene* ſuo emiſſum *Sarmatam*, interq; iſtum, & *Threſſas* fulgere lunas, & diræ gentis ora tum primum HOLSATIA quùm vidit, horruit. Abominemur factum! Nec unquam ita dirum & ferale quid *Codanus* poſthac videat *ſinus*, piè precemur!

Quarto usq; anno ſub his malis ingemuimus: & fuit inter acerba iſta, cujus maximè ſenſum ad ipſa viſcera rapuit dolor: dum ſcil. quùm adhuc claſſica paventibus occanerent, PRINCIPIS noſtri, FRIDERICI, Tui, CHRISTIANE ALBERTE, PRINCIPUM optime, PARENTIS, nomen quo glorioſius non novimus *Cimbri*, ſupremûm clamatum fuit. Ah graviſſimum inter tot jam ante nobis incuſſa ad ipſa vitalia adactum vulnus!

Quæ non tunc miſeri, ſuper illa, quæ jam degravabant, timuimus! Navem quis cogitet: prædam jam ferè *Boreæ*, prædam *Auſtro*: procellis tantùm non evictam: hærentem tamen adhuc ad clavum fidam *Palinuri* manum: illum obliquantem ſinus, cedentem decimæ undarum vi, placantem infeſti cœli iras: Quem dum videas, ſperes: ſi & ille cedat; quid niſi ut fatiſcentis jam carinæ ſupremos gemitus, capite obvoluto, exſpectet vector, ſpoliaq; ſua victor ſorbeat oceanus?

Tempera tibi dolor! non moriuntur PRINCIPES, ubi, per divinæ providentiæ curam, par virtuti parentum ſtirps eſt, quæ relicta capeſſat frena. Et, TU, is eras, PRINCIPUM *optime*.

Habebat Te, tum forte contubernio ſuo junctum, per Regiam induperans *Arcton*, REGUM fortiſſimus CAROLUS GUSTAVUS, à quo, ubi generoſæ inſueſcere iræ poteras, & bellicæ indolẽ innutrire virtuti, elegiſti ex tanti Regis virtutibus illam, quæ monet, SUBDITOS AMARE, civium ſaluti conſulere.

Huc ergò quum feralis TIBI nuncii index venit cera, neſcimus, an altiùs hoc tibi pectora momorderit, qnòd PARENTI urna ponenda eſſet: an quòd interim ſine rectore, inter iſtas ſubditus tibi eſſe videretur turbas.

Et

Et memineras tamen, non sine indulgentia pii NUMINIS, esse domi TIBI cũ cæteris virum, quem non sine honore nirninamus, TUUM J. A. KILEMANNUM de KIELMANSEGK Illustrem verè, titulisq; quotquot sunt suis, majorem, in quem imperii istius TUI sese securus reclinet axis, & cujus super cervices, id est fidem, consiliorum dextima, curasq; infatigabiles, regiminis Tui feliciter Tibi torqueatur sphæra. BONUM FACTUM! Subiisti ergô, DEO cum propitio, illoq; rerum omnium Induperatore jubente, ad terrarum nostrarum gubernacula.

Euge! dicimus iterùm, & *feliciter!* CHRITIANE ALBERTE, *Principum optime:* indulge, ista amori nostro nomina TUA & agnosce, quid in istis promiserint nobis faventia fata: CHRITIANUM spondent: ohe! Felicitas nostra. Ergò CHRISTI amantem: & illi filio, supra quicquid est Regum, nato, oscula tua, non ad sandalia *Quirinæ* sellæ positurum, ostendunt. ALBERTUM spondent, verè ADEL-WERTUM dignum fastigio isto, dignum tot votis, nostris & spebus.

Et vide, quid eas, vel inter ipsa regiminis *Tui* exorsa nobis fecerit firmaritq;: innoxia Te incesserat cupido, videndi aliquando extera, & quid habeant tandem illa adeò eximium, de quo *Vertumni* & *Vlysses* nostri adeò ampullãtur, & ad ilia usq; ducta verbosi crepant: ibas igitur, ibas, noster, PRINCEPS, AMOR: & nostra tecum vota. BELGIUM tunc TIBI visum est, & terra ista, quæ pileum indignantibus PHILIPPIS extorsit. Placuit acris & obstinans se pro libertate, ira. Placuit ibidem FRISONIS, (primum adiisti, tunc pingui securum pace, quem nunc sacer miles, & extra chorum suum prosultans turbat præsul) rusticana, proba tamen simplicitas: BATAVI solertia: BRABANTINORUM splendor. Heic *Caroli* V, Cæsarum maximi, natalem urbem, *Gandavum*: *Brugas Philippi*, ejusdem parentis: & lustrasti, & visus es, quod heroæ mentes solent, loci assurgere genio: probare etiam poteras à *Toletano Andoverpiæ* posita munimenta, & in munimentis nomina; non crudelẽ viri ambitionem: SALVE, inde dixeras, CELTICA terra! Et vidisti præsens illam Martiæ sobolis fœtam à tanta ætate matrem: cultiorum magistram morũ: uber felicis glebæ solum: nec heic, quod angustæ suevere mentes, illud tibi discendum rebare, quo ritu scapulæ trahendæ, quibus femora tegenda braccis. *Regis amor* in generosa gente: placuit: In REGE, vividæ frontis indeflexa majestas: nisi quantum Regem ille comissimis miscet officiis & ab suo fastigio pronum se dignis demittit. Præsentem ita salutasti: & agnovit ipse, quantum amplexu isto ligaret hospitem. Tenuisset Te amplius amœna tellus & officiosus in cultum Tui, in incolis morum decor: sed nescimus quid se TIBI nubilũ insinuasse visum est: forsan fuerat, quod in hujus terræ olim sinu, ô doloris nostri adhuc superans cicatrix! fraterna supremùm pressa lumina? Ita fuit, PRINCEPS verè PHILADELPHE. Ergô transcursus inde HELVETUS Tibi est: & admiratus es, eò usq; fortem esse nationem, ut & pretio in mortes se licitetur, & mercede positâ, vitas prodigat. Ab iis, Te venerantis

 Rhe-

Rheni accepit amnis: & PRINCIPEM se sui imperii vehere, sensisse visus est. *Germaniæ*, *Rhenus* amnis est: Et hic veterum illud probasti: NULLI MORTALIUM, ARMIS AUT FIDE, ANTE GERMANOS SUNT. Cordatus ita censuisti! poterasq; invenire in istis, qua ingressus eras *Germaniæ* partibus, quod curiosos peregrinantium pasceret oculos. Et tamen istis tramissis terris, quæ nisi hæc vox tua fuit: TERRA PROPRIA, TERRA OPTIMA.

Euge, PRINCIPUM PRUDENTISSIME: acceperunt ergò inde famulantes TE TUI ALBIS undæ, & ad nos remiserunt desideratissimum. Sensit se recepisse TUA TE tellus, & veluti tum primùm & positura sordes, quas miles & infestus toties hospes fecerant, & resumptura cum animo, quantum liceat, lætantior, voltum, non semel illud vetus visa est exclamasse: ΠΑΝΤΑ ΕΣΤΑΙ ΚΑΛΩΣ.

Cordatum felixq; eventu suo augurium! Ab eo scilicet tempore, Tu quidem, PRINCIPUM *optime*, illud TIBI in animo semper fuit: SATIS ESSE, ALIORUM VIDISSE TERRAS, TUÆ TE ESSE NATUM.

Ergò & ex illa die, qua divinæ benignitatis præsidio, sospes nobis revenisti, veluti optimus familiæ pater, circumferre ubiq; sollicitus oculum: cogitare seriò de levando subditorum onere: & ad curas illorum TUAS intendere: nec subtrahere TE iis: nec per internuncios verba dare, verba accipere: ipse adeuntibus præsens adesse: præsens, si consultanda sint, momentis rerum attendere: ipse trutinam tenere dexter: consultata urgere.

Et nec vel ad degeneres lusus & aleam obtorpere: vel ad saltus & silvas parùm sanâ venandi intemperie perpes rapi:

Ubi istæ peractæ TIBI horæ sunt, quas publicis non fatigatus impendis curis; ubi & illæ, quas NUMINIS divini seriò quotidiè cultui religiosus destinas, innoxii TIBI secessus, & sine luxu sobria quies: quam si motu interpolare allubescit, vel in MATRE SERENIS. ô noster verè PHILOMETOR, visendâ pietatem exples: vel si nemora interdum TE vocant, si feram generosus dejicis aut subsistis, credis & heic TIBI esse, quo tuorum commoda veneris. Heic scilicet ditionum Tuarum situm, discrimen, portoria, præsens inspicis; limites, vias, confinia, curatè dignoscis: Agrestium etiam heic nonnunquam querelas benignus audis: & præfectis istorum illud crebrò ingeris, quid PASTORIS BONI sit: & ne ad vivum ita radant. Meminimus, & in lignis non semel heic & sectis arborum truncis, nescio quæ non satis fidæ securis TE deprehendisse vestigia & monuisse cordatum.

MACTE prudentiâ istâ PRINCEPS, nostra spes & AMOR! imple porrò feliciter, quæ pia nobis, FATA de magis firmante se TUA ætate promittunt: quæ jam in ista præsenti ubertim indulgent.

Et ecce, insurrexit altior TIBI animus: Moliturus eras, quod super

pegma-

pegmata omnia & obeliſcos, & quodcunq; ſaxis vel adraditur, vel ex iis fit: quod anteactis in votis, nondum ſpe eſſe poterat, ſeculis: quod poſt naſcituræ nepotum genti, decori, gloriæ, felicitati eſſet. Quàm enim Muſæ paſſim inhonoræ ſint, memineras: quàm exſul ſapientia: bonæ literæ extorres: religioni aut vis aut fucus inferatur: Inſcitia contrà regnet; impietas triumphet, & illud jam malorum penè evicerit, ut decrepitus dudum & ætate delirus verè orbis, in iſtis ſuis obſtinatus malis, exſequias ſibi ipſi jam inclamet. Tetigerat hæc cura penitiùs, DIVUM PARENTEM TUUM, ſapientiſſimæ animæ Principem: & ecce, uti erat illius, & magna cogitare, & cogitata generosè exſequi, jam is per VIRUM, quem eidem in quo & TIBI eſt, faſtigio ſuo adſtituerat, perq; quem quicquid egit, egit feliciter: hæc in AUGUSTISSIMI CÆSARIS FERDINANDI III. aula aperuit deſtinata; ſubſcripſit CÆSAR, annuitq; proniſſimè *apex Auguſtus* iis, quæ petebantur, juſſitq;: HOLSATIAM CIMBRICAM, SCHOLAM HABERE JLLUSTREM. QUAM ACADEMIAM VOCANT. DIGNITATEMQUE. MUNIA. DECUS. QUÆ PRÆCIPUARUM SUNT. EANDEM POSSIDERE.

SALVETE PII MANES! TUQUE INDIGES. BEATARUM MENTIUM SEDIBUS ADSCRIPTA A CHRISTO SALVATORE. ANIMA. FRIDERICI. PRINCIPIS ÆTERNUM GLORIOSI. SIVE TU NUNC COELESTI EBRIA NECTARE AD INDULGENTEM SE TIBI DEI CONDITORIS TUI FACIEM, FUTURORUM PLENIUS GAUDIORUM PRÆSENTISCENS PARTEM, TERRENA DEDISCIS: SIVE TUÆ TAMEN TERRÆ NONDUM IMMEMOR. PLACATA EIDEM CUPIS NUMINA. AGE. SI FAS EST. MORTALES ITA DE IMMORTALIBUS SENTIRE. VELIMUS. TUIS ILLUD GAUDIIS ADDI GAUDIUM. SENTIAS. DIEM HODIERNUM. QUI III. NON. OCTOB. ANN. cIↄIↄc LXV. ESSE. QUO ILLUD QUOD, HEROA MENTE COGITASTI. QUOD AFFECTASTI CORDATUS. FILIUS. TUARUM UTI DITIONUM ET FASTIGIO PAR HERES. ITA ET VIRTUTUM EX ASSE POSSESSOR. CHRISTIANUS ALBERTUS SANCTISSIMI NUMINIS UTI PRIMO HONORI. ITA NUTU ADJUTUQUE IN ACTUM FELICITER DEDUCIT.

Morati hactenus pompam ſumus, ita Tui Princeps SERENISSIME, blandior nos quidam amoris rapuit involvitq; gyrus.

Eundum jam eſt: ordo nos vocat. Et ibimus feſtiva inter agmina ſolemnes, ubi elegantior ipſa *Muſarum* TIBI facundia faciet, quod rudes heic voces noſtræ conabantur.

Siſtet ibi primò ſe TIBI diva RELIGIO: non qualis vel *Latialem* perſultat orcheſtram, neſcio quarum ſe traditionum ceruſſâ pingens, & otioſorum, ſæpè & impiorum, rituum ſyntheſi perſonata: vel qualis alibi humani judicii cothurno audacior, inde & præceps, ſe infert; ſed quæ priſca gravitate venerabilis, ſimplici, honoro tamen

men, cultu decora, greſſum modeſta, genas nuda, & ſine fuco, niſi quâ virtutis eam genuinus color inficit: hæc grata agnoſcet, CHRISTIANA heic Lycæa, Serenis. DUCIS CHRISTIANI juſſu condi pietatis munimenta: Religionis ſanctæ arcem.

Succedet apertâ fronte, ſed qualis indignantium ſolet eſſe, & qui optant vindicari, THEMIS VENERANDA: quæ his tandem reddere ſe terris cœlo volet: & TE, DUX INCLUTE, aſſertorem ebuccinabit.

Sequetur, illa humanæ valetudinis officioſa adminiſtra, fatorumq; benigna diſpenſatrix, HYGIEINA: quæ ubi, honoratam à Te induci ſe videbit, quid niſi ut indeflexo firmitudinis vigore in ſeram ætatem ſoſpes inoffenſa, TIBI, OPTIMO PRINCIPUM, decurrat vita ſeriò precetur?

PALLAS inde innoxia, & PALLADIS familia, CAMOENÆ novem, CHARITES ternæ: & PHOEBUS comes, & comes SUADELA, quàm habebunt, quod facundo omnes decurrent ore, & in quod totos blandiloquentiæ immulgebunt favos! Et PALLADIS ſanè hæc erunt.

SALVE REGUM INDUBIA STIRPS, CHRISTIANE ALBERTE. DUX AUGUSTE. DIVÆ RELIGIONIS VINDEX. SAPIENTIÆ ASSERTOR. ARTIUM HONESTARUM PATRONE. MUSARUM TUTELA ET DELICIÆ. Meminimus equidem, quàm hæc terra olim TUA, domitorem orbis populum profuderit cujus armis & virtute concuſſum capitoliorum culmen, & ROMA collibus ſuis detracta Oceano GOTHICO *Tiberim* famulari, faſſa eſt. At verò quòd nunc *Atticas* heic oleas ſeri, & frondes pacatas, cernimus: CIMBRIAM ſapientiæ hoſpitium fieri, CHILONIUM ſedem Dumq; ceterus orbis profanè turbat, innoxiam heic candidis mentibus quietem parari, *Muſis* larem: illud poſtera, ſi futura ætas eſt, TUI ſeculi felicitati, gratâ perenniter memoriâ aſcribat.

Huc ergò, blanda orbis ſpes: humani generis flos delibatus: anxia parentum vota, devota vitæ ſapienti JUVENTUS: hùc, ad ſapientiæ aperta adyta, te ſiſte: imple ſubſellia, nec ſine, ut ſolis cum *Apollinæ* ſuo *Muſis* ab Antiſtitibus Ipſarum occinatur: haurienda heic vobis, ſi modò non *Scytharum* more, dies in ſingulos paſcua ſcientiarum migretis, unde, ſorte licet diſpari, laturi tamen olim rerum humanarum eſtis arbitrium.

TU verò, iterùm MACTE ſis hac gloria, DUX INCLUTE, & quod cœpiſti, cordatus urge: Deo ſervi, id libertatis eſt: Religionem aſſere, felicitatis eſt: ſubditos ama, hoc planè patrium: Juſtiti-

litiam tuere ; benè merentes fove : improbitati frena iniice, magnarum iſtud omne mentium. Ita pro lauru ſacra , & quicquid frontes evincientium frondium eſt, URTICÆ TUÆ folium , RUTÆ innexum, perennè TIBI vireat : generoſa LEONUM vis, non deſit : ſi adverſa ſe inferant, in SIGNO SACRO vincas; candida usq; ſors, in EQUITE albo adſit : gloriæ perpetim ſe TIBI gentilitius pandat CAMPUS : Et quæ corona in CYGNO, TUIS ſe inter faſtos nominibus ſuperaddi æternùm velit. Nihil addimus nos. Dicent iſta pronobis *Muſæ.*

ACADEMIÆ DUCALI

KILONIÆ

felicibus auſpiciis initiatæ.

NUnc optata diu fauſto Lux *ſidere* venit,
Cimbria ; conſpirant in tua vota poli
(*Sidere*, quod credo FERNANDI Cæſaris aſtrum,)
Et radiis, Cæſar, Lux, LEOPOLDE, tuis.
Deſpice de cœlo terras, Friedrice, relictas,
Dux, quo non juſto major in orbe fuit.
Reſpice, quam forti niſu tua cæpta ſecundet
Sangvinis Heroi magna Propago tui.
Sic decet ut doceant armis defendere leges,
Legibus arma piis condecorare DUCES.
Mens abit in numeros, ſpirant præcordia Phœbum,
Munere tantorum lætificata DEûM.

Plau-

Plaudite nunc Charites, ter tres cantate sorores,
Urgentes hilari plectra sonora manu.
Tu quoq; Virtutum sedes, Kilonia, plaude,
Tergeminos referant pulpita & astra sonos
Vallibus in gelidis habitas quæ garrula Nympha,
Addis si votum, dic, rogo, quale? E. Vale.

ita applaudebant.

AOnides.

VISIO JOVIALIS

Quam

LUSU INGENII INGENUO

Feſtis, faſtisque Apollinaribus

&

Academicis literarum Encæniis

FAMÆ. HONORI. GLORIÆ.

KILONIÆ

Novo Inaugurationis ritu

Noviter

Erectæ & Aſſertæ

SAPIENTIÆ

CHRISTIANO-

ALBERTINÆ.

TANTIS NOMINIBUS

Plauſu Publico,

Privato Studio,

Voto Peregrino

Prodidit

atq;

Sacram æternamque

Vovit. Juſſit. Voluit.

Interpres bonæ mentis, & obſes virtutis

MUSOPHILUS.

SLESVIGÆ excudebat JOHANNES HOLVVEIN, Ao. 1666.

REVERENDISSIMO,

SERENISSIMO, atq; CELSISSIMO

PRINCIPI ac DNO.

D. CHRISTIANO ALBERTO,

Electo Lubecensi Episcopo, Hæredi Norvegiæ, Duci Slesvvigæ, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ. Comiti in Oldenburgh & Delmenhorst. Dno. Domino Clementissimo.

H*Aud quaquam miraberis* CHRISTIANE ALBERTE, Princeps Opt. Max. MUSAS peregrinas, *in auspicatissimis inaugurationis Tuæ solemniis, atq; lætissimo consecratæ* Sapientiæ *triumpho, postremò adesse; postremum locum occupare; postremas, vultum* Serenissimæ Celsitudinis *TUÆ subire, voluisse. Quæ, ex privilegio* SAPIENTIÆ *publico, & privato bonarum mentium charactere; cum domesticis; primæ, ad optatissimos TUOS complexus evolare; primæ, munificentissimis manibus osculum reddere; primæ, in TE pietatem, & TUA in se merita, cultu, verbis, voceq; testari, potuerunt. Non id accidit, instinctu æmulationis invidæ, quam, ne Eruditos atterat Genios, in fidâ literarum statione, solidum sapientiæ Tuæ coërcet imperium: sed, cum tam multos TIBI gratulatores, Virtus, Dignitasq; Tua, undiq; cogeret, adeoq; frequens salutantium caterva, TE quasi ad sublimissimum Ducalis* Sapientiæ *solium comitaretur; ut omnis ferè ad* TE *aditus, tenuitati illarum, intercludi videretur: commodum duxerunt, tantisper silere, dum ille gratulantium fervor, nonnihil conquiesceret, liberioremq; & illis fruendi TE, & TIBI, re-*

ſpiciendi eas, relinqueret facultatem. Siquidem hæc MUSARUM *natura eſt, ut in turba loqui nequeant; &, ubi multi loquuntur, ibi minimè audiant, & audiantur. Patere SERENISSIME PRINCEPS, ſerio loquentes; & ignoſce, ſi ſerius paullò loqui maluerunt, quam nunquam audiri.*

Atq; in ea quidem tam curioſè expetita, tam ſolemniter coacta, tam TE PRINCIPE, *digna POMPA, quam in publica INAUGURATIONIS ſolemnitate, uni SAPIENTIÆ, excitaſti: multi utiq; mirabantur multa, laudabant multa. Suſpendit quosdam, comparatus ad omnem magnificentiam cultus: habuit alios attonitos, Sereniſſima auguſti vultus TUI majeſtas: omnes, in ſtuporem & admirationem conjecit, multifarius ad inexcogitatam animorum oculorumq; voluptatem apparatus. Quorum alii laudabant, rariſſimam in publicis actibus ordinis & affectuum harmoniam: alii prædicabant in ſplendido cultu luxuq; invitatorum ampliſſimam dignitatem: nemo erat, qui non inſolito geſtientis animi gaudio, miſceret cum admiratione vota, gaudia, gratulationem. Ac ita quidem in publica hac undiq; confluentium populorum gratulatione & lætitia: hi te STATOREM SAPIENTIÆ vocabant, illi PRINCIPEM feliciſſimum appellabant; omnes PATREM PATRIÆ prædicabant & mirabantur. Abeſſe, à plauſu communi noluerunt MUSÆ* peregrinæ, *ne audirent inhumanè, quæ, niſi humanæ eſſent, MUSÆ profectò non eſſent: & in hac ſolemni votorum nuncupatione & populorum gaudio, non patiuntur ſuas quoque voces deſiderari. Nam quemadmodum Gentis TUÆ decus impensè ſuspexerunt; & in Ducali faſcia, regia cunabula veneratæ ſunt, ita præſentem quoq; GLORIAM TIBI, TUAM feſtiva narrationis VISIONE, & luſu ingenii ingenuo, quam maxime poſſunt, & ex animo gratulantur.*

Tametſi cum Virtutum, tum meritorum Tuorum laus, fama, decus, gloria, non ſanè promptum nobis gratulandi officium reddere videntur; quin hærere neceſſe ſit, cui nam potiſſimum, & quid gratulemur. An DUCALI PURPURÆ? quam, tam ſublime provectus, etiam laude SAPIENTIÆ cumulaſti: An PATRIÆ? quæ feliciſſimis dexteritatis Tuæ auſpiciis, in ſpem meliorem erecta, & reſpiraſſe ſibi, & vires reparaſſe videtur. An eorum BONORUM, quæ, in Sacra, *Sacrorumq;* Antiſtites, *in* LI-

TE-

TERAS *ac Literatos*, *in* Cives *&* Exteros, *populumq; subjectum*, *deniq; vel proveniunt*, *vel ex Te profecta sunt*, *vel in posterum profectura sperantur*, *secundum DEUM*, *STATOR*, *AUTHOR & ORIGO extitisti.* *Dabis veniam Serenissime PRINCEPS*, *si dum studemus simplici veritati*, *Tuæ minus parcimus aut paremus* Modestiæ. *Siquidem non soli de Te*, *nec sine authore Testium loquimur.* *Locuples sanè testimonium est insignis PIETAS Tua*, *quæ*, *ita TE cælo adstrinxit*, *ut minimum id arbitrere*, *si summo illi bono solus adhærescas*, *nisi plerosq; ad eundem fontem*, *vel ducas volentes*, *vel trahas invitos.* *Nisi quod hodie probrosum seculum*, *non tanti faciat*, *si laudes* PRINCIPIS *à* PIETATE *veniant*, *quæ*, *turpius à summis Viris deseritur*, *quam colitur gloriosius.* *Vel hoc nomine laudatissimum TE fateamur oportet*: *quod ea re*, *tantopere abundes*, *quæ*, *ad* Regiam, Ducalemque *fasciam sustinendam*, *adeò conducat.* *Nihil enim virtutis est*, *quod non in fervida*, *zelosaq; reconditum sit PIETATE.* *Sine hac* Diva, *nec* Æquitas *justa*, *nec sapiens* prudentia; *nec constans* fortitudo, *nec* imperia *tranquilla*, *deniq; nec VITA hominis videbitur esse humana.* *Sed demus aliquid irreligiosæ malitiæ*, *neq; sola* Pietate (*tametsi virtutum omnium fundamentum sit*) *Serenissimum* Ducalis TUÆ splendorem *metiamur.* *Spectat insigne cum sapientiæ*, *consiliiq; Tui lumen*, Augustum, *in AUGUSTO LEOPOLDO* Imperium; *extollit*, *fortunatos inchoatæ moderationis TUÆ conatus*, *Sacra Regum occidentalium* Majestas: *miratur supra omnem ætatis indolem*, *felicissimos successus*, *vicinorum circa populorum*, *Electorum*, *Ducum*, *Urbium*, *Rerumpublicarum*, *Prudentia.* De *CLEMENTIA quid dicam*? *oculis hic quisq; suis adhibeat fidem*, *non dictis alienis*, *& experientiam capiat* Civis *&* Peregrinus *ab* EXEMPLO. *Ita comi facilitate*, *plenam animi* Clementiam *moderaris*, *ut domesticis*, *& exteris*, *& omnibus*, *pateas.* *Ut & qui TE diligunt*, *ob hoc revereantur*; *& quos suapte conscientia timere cogit*, *non te possint*, *non venerari.* *Ut admirabili quodam modo*, *juncta Clementiæ* comitas, *amorem TIBI à* Civibus, *fidem à* Peregrinis, *partu fortunato*, *parturiat.* *MUNIFICENTIAM TUAM non loquimur*? *loquitur eam satis*, *& magnis impendiis conditum*, *& doctissimis Viris instructum*, *Urbe KILONIA* sapientiæ Athenæum; *quod*, *quidem ardentis in DEUM Pietatis*, *effusæ in* LITERAS *ac literatos beneficentiæ*; *deniq; propensi in bo-*

nas ARTES studii, æternum jussisti stare monumentum. *Non erunt ingratæ MUSÆ TUÆ, neque prius à celebrandis TUIS laudibus destiterint, quam evaserint elingues.* Prædicamus *&* *NOS, pro nostra tenuitate, serenissima VIRTUTUM TUARUM decora, quorum non* Elenchum *numerando teximus; sed id, quod in omnes mereris, debita observantiæ, amorisque testificatione, indicamus. Vidimus antiquissima DOMUS, Regiæ Prosapiæ, cunabula. Laudavimus gloriosissima maximorum* HONORUM *ornamenta. Mirabamur, Regalium non magis conatuum semina, quam Ducalium, & supra ætatem, successuum, fructus uberrimos. Atque huc usque quidem, & NOS, vel judices, vel testes esse potuimus, cætera immortalis FAMÆ, HONORIS, GLORIÆ, fastigia, silentio, & admiratione veneramur.*

O si viveret! viveret, Genitor *ille Tuus, FRIDERICUS, quem, communis quidem lux mortalitatis, in alterius vitæ coloniam, eamque ut gesta illius sperare jubent beatissimam deduxit.* Divus (*inquam*) Genitor TUUS, *plaudit hodie loco felicissimo tranquillitatis, cui gloriæ maximæ est GLORIA TUA, ut vel fato functus, merito gloriari possit, suam sibi famam, splendorem, gloriam, quæ, in TE cumulatè contulit, tanto fœnore redhiberi. Ita Tu* Serenissime atque Celsissime PRINCEPS, *jam honoris splendorisque* TUI, *etiam in cœlis conscius, sicut honorem, splendoremque extra te minimè quæris, neque nos eum in terra consectabimur. Tantum, REM, omnibus gemmis opibusque pretiosiorem; omni vetustatis commendatione pulchriorem, cunctisque magnificentissimorum ædificiorum monumentis, & ad hominum labores in pœnam exercendos, an potius ad sublevandos, in humanas delicias destinatis fastigiis, excelsiorem; nimirum TEIPSUM; TIBI, quàm amanter, tam reverenter gratulamur: Lætamurque TALEM, ac TANTUM, non solum haberi, sed etiam esse. Qui, etiam cumulatissimè impensos honores, atque attributas laudes & encomia, serenissimis virtutum radiis, illuminare, & possis, & soleas. Gratulamur TE spectaculum factum, ob amplissima in* Patriam, Literas, Cives & Peregrinos *merita, quod, mortales juxta & immortales oculos mereatur. Atque hujus lætitiæ, gratulationis, denique voluntatis NOSTRÆ, has ipsas JOVIALES &* peregrinas *MUSAS, & interpretes, & obsides fieri cupimus, atque supremo rerum nostrarum ARBITRO,* Vota, *supplices nuncupamus. Ut*

præ-

præsenti propitioq; semper Numine, magnæ MENTIS TUÆ, *magna consilia, ita secundet, provehatq; in* majus: *ut universi non tammirentur, celsissimam Virtutum, Meritorumq;* TUORUM *laudem, in* Terra, *voce mortali delatam esse: sed ut maximè divinam, in* Cœlo, *immortali præconio dilatam: perspiciantq; æqui, & iniqui, non* famam, honorem, Gloriam, TIBI, *sed* TE, *famæ, honori, Gloriæ, fuisse authoramento & ornamento. Annuat, annuat, & faciat Majestas æterna, à quâ, &* Vitæ *diuturnitas, &* Pacis *securitas, &* Virtutum *gloria, &* Opum *abundantia, promanant, ut CHRISTIANE ALBERTE,* Princeps, Pie, Felix, Sapiens, Fortunate, *cum Regio, Ducaliq; semine, sanguine,* PATRIÆ, Literis, Civibus, Peregrinis, *vivas, crescas, floreas; nec prius ad emeritos immortalitatis fructus evoceris, quam velis; nec velis, antequam* PATRIAM, Pacis *Cornucopiâ;* LITERAS, *consummato ornamento:* CIVES, *optata tranquillitate,* PEREGRINOS *conceptâ clementiâ,* virtute, sapientiâ justitiâ *ac* beneficiis: *bees, ornes, fortunes, restituas.*

Ita precatur

Alexander Julius Torquatus à Frang.
Baro & Colonellus.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.

VISIONEM *JOVIALEM*, *Lector*, vides. Hoc Nomen, hic titulus placuit. Multum referebat, ut more, locoq; , triumphantium Romanorum Quiritum, inter sales bonorum, & improborum convitia; etiam in publico *Cimbriæ* plausu, & solemnibus *INAUGURATIONIS* Encæniis, trabeatam in triumpho *Palladem*; jocoso, festivoque stylo; & tamen sensu, & intellectu gravido, cothurnata, & bracteata, sequeretur, Artium Genitrix, *Minerva*. *LUSUS* etiam est, non puerilis, &, per par & impar *ludentis arundinis*: sed ingenui *INGENII*, & maturi consilio; in qvo nil marcidum, aut flabro tumidum invenies. Finguntr *hic*, & *illic*, multa; non sine magnæ Veritatis copiâ. Ut fabuloso cortice (sicut mos Apollinis) prodigum sensu, & verbis augustum, celatæ sapientiæ nucleum, ludentibus ingeniosè, & supra Poëtarum *Jovem* sapientibus, aperiret. Haud magnum intervallum, inter *VISUM*, *LUSUMq;*, si tecum bonam mentem, & non lividum oculum attuleris. De mali ingenii *GENIO*, nil censeo: pronius enim carpuntnr literæ, quam discuntur. *Invidia* autem sibi prudentiam suffurata, aliis quoquè contagiosa fuit & infamis sapientibus. Sic, *hic*, & *illic*, *vide*, *lude*, *lege*, ut per *Jovem*, *TE* vidisse, *ME* lusisse, legisse *OMNES*, neminem pœniteat.

VISIO

VISIO JOVIALIS.

Ulmus opaca fuit, quam sedem somnia vulgò
Vana tenere ferunt, foliisq; sub omnibus hærent.

SUb hac consederam, cum jam non mediocres tenebræ opacum nemus involuerent, & eriperent oculis diem, viamq;. Ergò Legulorum partes secutus, magna noctis parte, ea, quæ fugitiva oblivio, de *fortunæ* meditatione subtraxerat, privata memoriæ sedulitate revocabam: cum animus meus tot cogitationibus fessus, incidit in visa varia, earum fortasse imaginum, quas vigilans infortunium sensibus impresserat. Ita illicò mihi visus sum, cum Philosopho plures orbes somnianti, in illo orbe clausis oculis versari, qui multum extra sydera, & vias solis esset constitutus: hinc, horrida solitudo, illinc ingentis cujusdam ab orbe nostro intercapedinis hiatus & vastitas. Adeò jam non horrore tantum concussus, sed & ipse á me desertus eram, ut quo fugerem, nisi dormiens, ad somniantis animi præsumptionem, aut, si vigilassem, ad ipsam *Mortem*, tanquam omnium malorum præsidium, non esset. Quis putaret in tantis angustiis, & in ipso mortis arbitrio, patuisse vitæ ac solatio locum? fortè moriturus sustuleram oculos, cum ex improviso, adstitisse mihi visus est quidam humana fronte augustior, profectò (si auguror) Numen fuit, aut Genius Temporis Dei, quem ingentia votorum desideria, tacito quodam monitu & consensu, ad hæc invia, deviaq; locorum spatia perduxerunt. Hunc, ut conspexi oppidò ex ejusdem vultu, si quid ad rem, ut sinistrum omen averterem, cœpi præterita, præsentia, atq; futura rerum fastigia, & abstractas á rebus ipsis imagines, abditaq;, & á vulgo semota simulachra tacitus venerari. Sed ille ut religionem advertit, ad me conversus, post blanda salutationis officia, atq; raram in peregrinis terris benevolentiæ significationem, in Nomen, Patriam, & Causas itineris placidus inquisivit. Ego, nondum excusso Regionis horrore, etiam repentino pudore confusus, luctantibus per suspiria verbis, respondi, *me, præteriti discipulum, præsentis ministrum, futuri augurem, simul vero universi Temporis, mancipium esse; &, si errorum, vicissitudinumq; bis in regionibus aliquis affectus, aut memoria, obsecrabam, duceret errantem ad templum Fortunæ, in eam viam, timorem & securitatem meam me conjecisse, &, si rectè litassem, Deæ judicium expectare.* Ille, ut humanitatem testaretur, non tantum jacturâ coloris, sed & lachrymis, quas improvidè cadentes, sub hilaritatis larva, prudens dolor absorpserat, non nihil cunctatus, mecum paululum processit, &, *Hem* (inquit) *si miser esse cupis, hanc Virginem adora.*

Hic templum fuit Virtutis: in sordido & obscuro loco sublimis Deæ facies cernebatur, & dejectis ad moderationem oculis, non constabat satis, an flere mallet, an deberet irasci, fortè, quod paucos numeraret cultores, aut, quod illius Alumni paucos invenissent Mecænates. Multi locum sua solitudine vilem & obscurum contemptim transibant; plures, in modestiam Deæ, cavillaban-

tur, quod, *Divitiis animosa suis* se potius, quam alios coleret, pretiosas res, sibi sola servaret; cellas, & promptuaria vectibus clauderet; suppellectilem eximiam velis obduceret, secum latens habitaret, sibi saperet, sibi sola loqueretur. Quæ causa est, cur in censum virtutis, contemptus, silentium, & obscuritas referantur; quorum omnium pretium, est labor, dolor, egestas, necessitas. Paucissimi ab officiis Deæ, ac ministeriis fuerant, sed & hi, velut fulmine tacti, jamq; publico funere educendi, rigidam tot malis reflectebant cervicem: alii, mœstissimo vultu, & manibus ad miserationem compositis, plane elingues, vano pietatis studio, lachrymabundi, pingebant in pulvere

Tristis Virtus, perversa tulit, præmia recti.

Ad notas querelarum voces, eo tandem redij, aut potius delatus sum, ut funeri simillimus, aut Umbræ viderer: adeo, ut Genius quoq; in vultu meo fortunæ exequias, ac ultimam necessitatem legeret cum lachrymis. Ut ad me paululum redij, ductorem meum palpans, quin hinc eximus (ajebam) ubi nihil est quod agam, nisi trepidem, aut oppidò moriar. Ille vero arrepta vestis meæ lacinia duxit trementem in amœnissimum campum, ac subito disparuit. Non procul ire oportebat, nam hæc terra omnis fortunandis ingeniis sacra erat, fortunæ occasionibus dedita. In eminenti loco fanum fortunæ fuit, stabat ad Aræ fastigium operosum miraculum, ad ostentationem divinitatis excogitatum. Machinam é cristallo, conflavit nescio quis, non tam dolandi quam adulandi pretiosus artifex. In hac cœlestium moles orbium inclusit, cursum Solis, ac Lunæ, syderum moras, conversionesq;. Cœlo supposuit aërem tenuissimè explicatum, cujus superior regio, salubris atq; innocens, libera esse debebat á turbis atq; turbinibus. Inferior, mutationibus obnoxia, modo amœnitate, ac luce blandissima ridebat, modo tempestatibus movebatur: rigentem quoq; procellis imbribusq; videre erat, mox tonantem, fulgurantem, mentita quoq; fulgura contorquebat. In media mole, *Fortunam*, alio stare nesciam loco, insculpsit é gemma, veluti Deam, operi immistam suo, ac grandi supercilio terrarum dominia sustinentem, omnia moventem, ac dexteræ jubentis imperio moderantem, sæpius turbantem. Delectabat oculos pulchritudo, & simul animos terrebat immensitas, ac jure poterat esse miraculo, tam elaborata, in tanta mole vitrea felicitas. Ante ipsam Aram, de supplicantibus, aut querulosis, *Casus & Temeritas*, felix exercebant judicium, procul inde inter momenta prudentiæ, tabescente gementeq; incerto labore, *Solertia*. Vultum Deæ observabat *Adulatio*, quæ, delineationibus persuncta, Leges & regulas præscribebat, quibus, fortunati Alumni, ab ipsæ felicitatis inconstantia regerentur: mirabile in iis prostabat violentiæ arcanum, quod magnetico quodam impulsu simul omnes motu suo movebat. Ridebat illa, cachinnabantur omnes; dolebat, lachrymabantur omnes: bibebat, inebriebantur omnes, dormiebat, stertebant omnes: Si hominibus irascebatur, armabantur omnes: Si DEO adversabatur, cœlum impugnabant omnes. Cursitabat, volantis instar, Mulier quædam inverecunda, quæ, nec penitioribus naturæ scrutaminibus parceret, staturæ longioris quam sexum decebat, oculis aquilinis, & naso sagacissimo, hanc, postea didici, Ambitionem, vocari, quæ, quoscunq; approbasset in servitio fortunæ, eorum oculos acutissimo scalpello circumcidebat, & mox ignito ferro, cum superioribus palpebris, attollebat supercilia;

cilia: ut jam exinde omnium hominum & Deorum contemptores, in aliud semper intenti, discerent altius aspicere, & sapere cæteris *plus ultra*. Itaq; superbiebant multum, qui ita in cultum Deæ fuerant recepti & á tyrocinio redeuntes, mirificam felicitatis seriem sine periculis recitabant. Interim dum omnia rumino, acie fixa observabam *fortunam*, quæ sæpius ab intervallo obvertebat vultum, objecta interdum manu. Si quos benignius respexisset, eorum capita peplo tenui, ac nubibus persimili, magno divinitatis augurio obvolvebat. Libido animum invaserat Numen adorandi, si oculorum cæsuram, & palbebrarum adustionem atq; superciliorum stuporem perferre potuissem. Cumq; jam fanum religioso gressu circuirem, veni ad eum locum, in quo Antistes Deæ, fortunæ munera dispensabat, aurum, nummos, honores, sceptra, famulitium, voluptates. Ut me conspexit: Et hem (inquit) hospes fortunate, & dignus orbis imperio, quid eges? Nam quæ multis singula debentur, ea tuo succumbunt ingenio, & fortunatam in Te auram adorant: immerge te opibus, & fruere post tot infortunia fortuna. Tum, ut efficacius faceret, quam diceret, thecam tenuissimo sindone involutam, & subtilissimo filo, ceraq; munitam protrahebat é sinu, hanc, posteaquam refixit, tantus illico splendor refulsit, ut oculorum eriperet aciem, efficeretq;, ut in meridie cæcutirem. Arcula erat extus tota ex ebore tornata, ut nemo ab arte fucum metueret posset; aut á colore desiderare candorem. Intus, opus Phrygium, cælato Artemidori artificio, multiplicibus cameris cellulisq; distinctum: quibus, quot recessus artifex incluserat & umbras, tot proferebat ideas Regalium, Ducaliumq; favorum & Gratiarum, singula tam specioso incrustata titulo, ut putares ad speciem promissæ magnificentiæ, non tantum privati hominis collapsas posse reparari fortunas; sed si fides, etiam atteritas Orbis opes, majoribus restitui divitiis. Jussus inspicere, non multum renui, & explicatis quas intuitus fui, opibus, ita admiratione absorptus sum, ut curiosam contemplationem facile omiserim. Nescio enim, quam pellucida mihi apparebant, quæ solida esse oportebat; & tinnientia, quæ spissa dicebantur; & levia, quorum magnitudo, pondus aliquod insigne exigebat: Igitur seduló æstimationem subducere cœpi, nam quæ aurea credebantur; vitrea erant: quæ adamantina, liquescebant: quæ magni ponderis, per auras volitabant. Fortunæ sectator, in nugis hæsitabam, & felicitatis amasius, unius horulæ favoribus tabescebam. Dum omnia, aut lubricitate sua manus meas effugiunt, aut scabritate offendunt, ne unquam ad felicitatis æstimationem pervenirem, auream porrexit pixidem, dicens. *Accipe hanc & sume ex ea quantum voles, neq; enim fortunam, absq; hujus præsidio, occupabis.* Nova animi cupiditate conversus, cum hanc sollicito perlustro labore; proh superi! intelligo, Deæ Pandoræ pixidem fuisse, quæ cœlis illata, rebus omnibus vacuam, sola SPE, repleverat, ut quotiescunq; ad fortunam aspirare vellet, *sperare* tantum & *suspirare* disceret mortalitas. Neq; jam quisquam indignaretur calamitati suæ, quæ Astris extorris, non alium locum, quam terram, ubi deportatæ exulant syderibus miseriæ, debuit occupare. Ita suos fascinat spe, Clientes, Fortuna, quippe in ipsa expectatione interdum, arrhas locat præmii, in quibus ludat semper, pupas fingat, & simul lasciviat & mentiatur. Cum ista animo diligentius expendo, nescio quam imprudenti' fugæ cogitationes prodidi: cum ille mutato vultu Sacerdotis, Præstigiatorem induit, atq; offusis

repente tenebris, & die, quasi in noctem abeunte, sese oculis meis, velut Excetra popularis & lubrica, subduxit. Exinde oculi mei caligarunt, obsurduerunt aures, & tactus ipse propè soporatus est. Cumq; me paulò recollegissem, cum primum videbar mihi longius abreptus, in regione frequentia mentium aspera, aut nimis & maximè sterili æstu torrente, consistere; nescio an oculis meis fides habenda sit, credo tamen me in meras præstigias incidisse. Videre enim hic fuit, quadrupedes aves, asinos volantes. erectos serpentes, & repentes bubalos. Perstrepebant lusciniæ, modulabantur anseres, balabant lupi, rugiebant oves. Sero hic intellexi, non sonos saltem, sed & figuras licere cuivis animali, quascunq; vellent, libere induere: nec minus Aquilam, quam Noctuam, mentiri. Idcirco ventorum flatus & spiracula vehementer observabant, ut inde conciperent formas, quas vellent assumere. Præerat illis vorax aliquod animal, quod omnibus mortem sine remissione denunciabat, & frustra transmutantia, frustra cantillantia, frustra quoq; saltantia & obsecrantia, ridens etiam eorum lachrymas, passim devorabat. Nec jam voces deerant, quæ inultas occisorum voces adumbrarent, nunc in acutiorem sonum elatæ, nunc tanquam deficiente Natura flebiles, & ad horrorem quandoq; intercisæ silentio. Regio in se quoq; horrida, ubiq; exercebat timores, supra fas humanitatis & odii sævos, ut non facile exitus pateret abeunti, nisi quem ad supremam vitæ lineam tulisset desperatio. Ego cogitabam hic exitum calamitatis esse, quem suis Cultoribus præscribit instabilis Dea, cum ad summum pervenêre; aut æterna sperantium exilia, quorum inania vota & desideria, exultans, insultansq; contempsit fortuna. Movebam hic pedes, tentabamq; si ambulare possent, nescio quò; nam ex quo vertigo caput meum occupavit, non est relictum mihi, probandi aut reprobandi judicium; credo tamen ibi effugisse, ubi primum licuit, adeò miseris nulla optio est. Posteaquam tantum ambulatione profecissem, ut nullo teste possem irasci ac dolere, liberrimè in illos affectus solutus sum; & primum quidem nihil loquebar, ne me alia obrueret caligo, vel occuparent præstigiæ; sed minas, quas ferox ardensq; casus instillabat, miscebam suspiriis, tandem ut mollitiem meam fatear, non tenui lachrymas, & exclamavi

> O fortuna viris invida fortibus,
> Quam non æqua bonis præmia dividis!

quam cœco ubiq; palans impetu, & æquabili inæqualitatis tuæ inconstantia oberrans, nulla probitatem reverentia colis! quem foves, decipis: quem tollis, dejicis: alios, ne infortunati sint, injustos facis, & mendaces, quasi per scelera debeat quæri felicitas. Occurrebat memoriæ machina quoq; illa è crystallo excogitata, ut identidem dicerem, Istud Musophile inventum, atrocius verè argumentum est, quam ut ludicrum figmentum fuisse existimes: alii ibi ventorum turbines declinandi sunt, aliæ procellæ pertimescendæ, aliis deniq; impendentibus telis subtrahendum caput. Illud Cœlum, ille aër, seriò tonat, ac fulminat: tempestates meras, non simulacra tempestatum creat. Alibi fortasse luditur, isthic pugnatur. Manu ibi sunt facta, non ficta, omnia: ad ferrum & chalybem, non ad speciem explorata. Bellorum motus, irarum explosæ manus, pericula hominum, eversiones urbium; rerum implexa negotia, privatæ utilitates ac publicæ, amicorum fides, aut etiam perfidia, deniq; tot nodi, nexusq;, nisi Deo vin-

dice

dice dissolvendi. Illa ipsa Dea, quæ, in medio præest operi tanto, ut muta & elinguis, & sine sensu fingitur, non ita cum illa levissime transigitur, ut imperium in homines, non suis verius juribus, quam alienis manibus moderetur. Juvabat meditationem meam, erectus ad Amphisibenæ bivium Cippus, atrocibus fortunæ funestatus exemplis, in cujus latere ad orientem hæc legebantur,

STA. VIDE. LEGE. VIATOR.

Hic
Exitus cadentis fortunæ est,
Et terminus si immoraris
Famæ & Vitæ.
Quia
Error á Sapientia & Virtute
Ne errantem superbum Deæ fastigium fallat,
Prudens vestigium averte.
Sacrum est
A Fide, Vita. Constantia.
Positum
sapienti studio.
Vano desiderio favorum.
Annum, mensem, diem, horam
Ne quære
Nisi in solis Retrogradatione
Ad occasum & orientem.
Quippe
Quem dies vidit veniens, supetbum,
Hunc dies vidit fugiens, jacentem.

Ad alteram Columnæ partem, quæ respiciebat meridiem, brevissimi versus erant; nec tam ad venustatis leporem, quam ad doloris acumen inventi. His præfigebatur, ut Viatores bonæ mentis, & fortunati propositi pungeret verius, quam moraretur, Inscriptio.

Insana Consilio.

Si tam Consilio firma est fortuna, potensq;
Quam palpat sensus, lætitiaq; capit:
Anteferenda aliis cunctis foret unica; verum
Fortunæ raro mens bona juncta bonæ.

Tertium latus ad septemtrionem, insigni cælatoris opere, repræsentabat Icari, altius quam par erat tendentis, periculosam ambitionem. Siquidem cera, tota fortuna oblinita est, qui ad illam accesserit, capietur: nisi Dædali modestiâ, insidias declinârit; cum ad ceram hanc, quæ tenacissima est, pleriq; pennas suas amisêre. Propterea monebat in Emblemate, fortunatos, cerea felicitas, quam facile liquesceret, ad imperium Dominæ, si illam Colentium reverentia destituat; atq; in altissima positos felicitate, docebat in Icaro diuturnioris periculi fabulam, & momentum hoc hypogrammate.

Sustulit sic, posuisse gaudet.

Tramite securam medio decurrite vitam
Sit satis hoc Pueri vos didicisse malo.
Torrida Phœbæo qui dum loca pervolat igne
Ignoto posuit nomina prima mari.

Ultimum latus, vergens ad occidentem, referebat non absq; spectantium lachrymis, casum luctuosum Phaëtontis. Ut iniquissimus fortunæ Genius, eos potissimum, qui nunquam componere mentem cum prosperitate voluerunt, hoc est, ad insaniam usq; fortunatos, admoneret moderatæ cupiditatis, hac Inscriptione.

Ruitura levat.

Dum Patrios moderatur Equos, puer impare dextrâ
Perq; ignota vagum sydera currit iter
Orbis opes varias cinerem mutavit in unum,
Discat fortunam noscere quisq; suam.

Oportet igitur in ipsius fortunæ palmis lacertos infelicitatis tentare, aut superare, vel saltem experiri vires infortunii prævidendo, & providendo suas sine venia vices. Singula dum diligentissime expendo, cœpi damnare cupiditatem meam, & quæcunq; me vota eo provexissent ignoscere errori, quoniam sapientior evasissem. Et, per stygem (ajebam) Musophile, si in hominibus infortunium est, omnium infortunatissima fortuna est, cum etiam scelesta sit. Subduc me quisquis Loci Genius ades, anxiæ mortalium cupiditati. Eludant fortunatissimi homines inopem securitatem, illi suis cupiditatibus sopiti sunt; nec integri vivunt sub flagello fortunæ, & cum eos interitus occupabit, fama, & nomine morientur. Alumni sapientiæ ignorant fortunæ imperium, ac scelerum necessitatem, & tunc florebunt maximè, cum extinctorum desiderium, immortalis memoria excitabit. Dum plura rumino, & inconstantis Deæ levitatem, ad maturitatem sapientiæ compono, jam non hostibus tantum, verum & Amicis irascebar; aliis, nisi feliciter scelesti esse non poterant; aliis, ne fortunati essent, reverentia virtutis obstabat; donec furore Apollinis abreptus, sub veteri quercu, quam versus & ingenium plantaverant, hoc votum profudi.

Quis me, quis Zephyrus levi
Vectum flumine per Nemus
Ornos inter & Ilices,
Bullantem prope rivulum
Curarum vacuum locet?
Insanis procul Urbibus,
Ubi simplicitas thorum
Reclini imposuit jugo.
Quem non ambitio occupat,
Quem non purpura polluit,
Non vestis Tyriæ rubor,
Non concha Assyrij freti,
Non dentis Libyci nitor.
Namq; Virtutum seges

Talibus

Talibus vernat in locis.
Hic felix ter amplius
Divûm muneribus fruar.
Securus; via fulminis
Aulæ quem statuat modum:
Securus mare Caspium
Quâ Notus rabie domet:
Quo strictus properet chalybs:
Quis sceptrum regat arbiter:
Solus in Musis amor
Tutis noster inæstuat.

Jam animus fuit, eo loci consistere, quo me Fortunæ collocaverat atrocitas, atq; inter immania saxa, scopulosq;, sapienter securam quietem, & nesciam fallere, vitam operiri, nisi me novus viarum anfractus, ad ambulandum excitasset. Igitur in angustum viæ spatium progressum, Lacus quidam naufragiis infamis excepit. Stabat in litore, ut spem vitæ faceret, vetus, & plenum rimarum navigium, quod, quantum poteram, de cœno, cui adhærebat, avellebam, veteresq; rimas & hiatus, concisis ad eum usum laciniis, parabam reficere; jamq; refectum, tentabam si navigare possem. Verum, ne nocturna velificatio, fieret longissimæ etiam supra quam vellem navigationis exordium, expectabam in infesto litore, aliquod é Cœlo fulmen, quod animum meum, ista in nocte caligantem perstringeret, aut illustraret. Sed opportune post noctis medium Latonia Virgo, fortè ab Eleusiniis redibat sacris, orbe jam suo, has quoq; terras depulsis tenebris illuminabat. Cujus splendido beneficio, me in viam regiam conjeci, atq; multum progressus, post molestum tenebrarum iter, ne me in aliam miseriæ plagam ignorantia emitteret, sol oriens vertiginem meam excepit, & ad regionis amœnitatem composuit. Captus terræ desiderio, recreabar opportunitate placidissimi loci, in quem sæpe me dabam, non secus ac ratis emenso laborum pelago, plurimis jam laxata partibus, ac plena rimarum. Regio ipsa (ut postmodum didici) vastissimis campis, & sylvis conspicua, multisq; circum lacubus potens, & mari contigua propè insulam fecit. Umbriam dixêre veteres & recentes, & quamquam hodie ob deserta locorum spatia, minore se campo jactitet, nihilominus apparet, hasce etiam inter angustias de Gygantibus triumphasse, quorum tamen ob frequentes hiatus, nullos tumulos invenias. Ut singula penitius cognoscerem, eminentior tumulus curiositatem meam invitabat; in cujus cacumine stabat antiquissima moles, index quondam maximæ tempestatis, inscriptiones columnæ varias, naufragantium clade, & furore bellantium infames, dehonestabant exesa puncta, & maculæ, quas cœli quoq; ac temporis invexit injuria; cæterùm magnis adhuc prostabat literis, ut monerentur hoc monumento transeuntes, an etiam Regnantes! *Partes, nec facere, nec sequi.* Conversis ad occidentem oculis, prospiciebam in recessu, mœstissimam Urbem, in ipso sese vertentis paludis cubito collocatam, quæ, quamquam altissimis immersa radicibus stabat, moveri tamen in speciem navigantis, & pelago veluti revulsa secedere á me, ac sensim refugere videbatur. Hic Ego, ad meipsum, Proh Musophile! quantum horreo hujusmodi illecebra ludificantis aspectum!

ctum! Verum ut postmodum accepi, hanc ipsam Urbem non alienis modo, sed suis quoq; sæpius affectibus perturbari; neq; jám aliena violentia, verum propria movebatur tempestate. Animus fuit, omnia penetrandi, cum Urbem propius accessissem, & semesas diuturni belli morsu reliquias, ruinasq; vivaces attentius admirarer, planè videbar ejulatum mundi cum lachrymis publicum audire; etiam nunc inter cruenta rudera personantem. Ut vicum intravi, augebat miraculum Civium insania, quorum tamen magna prudentia fuit, cum personam quilibet suam in scena exhiberet. Erant, qui post pallium sumptum, sapientiam profiterentur: qui stolà involuti, adorarentur: & Carnifices, qui purpurati publicam salutem procurarent. Observavi plerorumq; vota impia & inania, nec facile Viro Bono credibilia, si quis vultum tantum probet, & corporis schema. Quos enim hic cordatissimos iudicabam, puerilibus afficiebantur: & quos leones dixissem, mures extimescebant. Vidi Aulicos, qui grobianitatem in delicijs habebant; & Eruditos, qui ferulam admirabantur: & sacerdotes, qui offulas deperirent: & judices, qui sacrificabant; & milites, qui vitam vendebant; & plebem, quæ volebat decipi. Dum mecum Urbis, Civium, morumq; insolentiam rumino, proh scelus! Obvium accipio fortunæ sacerdotem, qui ut accessit. Et ades (inquit) fugitive, adsum & ego vindex ingeniorum, & fortunæ defensor: adsum exprobrationis iniquissimæ accusator, fugæ reprehensor indecoræ, & castigator inertium querelarum. Idq; ut aliquando felicius præstem, á te incipiam. Libet tibi ante oculos genium tuum, & omnium ingenium proponere, & te in omnibus intuendum & explorandum dare. Næ ego tibi querelarum fibras omnes evellam, & fortunam, quamvis non uno modo, bene tamen de omnibus meritam, ab injuria tua & multorum contumeliis vindicabo. Omnium rea fortuna accusatur; cujus nullas culpas agnosco, nisi vota hominum, qui, ut satiari nunquam ejus beneficiis, sic nec opprobriis in illam, nihil magni ab ea se recepisse queruntur. Jam hoc ultimum flagitium, exprobant, detestantur, conviciantur, donum arbitrari, quod est mutuum: & proprium, quod commune: & injustitiam, quod fortunæ jus, & ejus arbitrium. Infelix Numen! cujus singula munera, sunt damna: benefica nullius, multorum injuriæ: omnium videlicet; quibus non dederit, ab iis multa convitia, ab accipiente nullam reverentiam lucratur. Ut sane apertissimum sit, quam inclementer, quam iniquè, & secum, & cum fortuna se gerant ij, qui ex minima perceptione injuriæ, aut modico Deæ dissensu, sic argutari solent, ut inde successum, aut desperationem in singulis metiantur. Verum ad te redeo, sperabam ego ab hac ætate majorem sapientiam, ut scilicet, antequam in augustissimum fortunæ templum pedem intulisses, tantisper in vestibulo morareris: dum te probe dispiceres, atq; ad indolis Deæ, geniiq; mei regulam explorareris. Quod, si á multis, si ab omnibus fieret; haud ita plurimos videres, quos, tecum, aut é medio felicitatis cursu, facti pœnitentes retrahit desperatio, aut ad finem usq; nullo operæ pretio, pertinacia verius, quam progressus perducit. Cum ista ingenio quidem peracri ac prompto disputasset fortunatus Antistes, etiam ad furorem conversus trahebat ad tribunal trementem & invitum. Jam totus populus in foro convenerat, vel, ut suas quoq; querelas judicibus proponeret; vel, ut curiosius exciperet alienas. Amphiteatrum fuit, in quo, ex aureo pegmate statua lignea proponebatur in vulgus,

gus, illi cervix affixa mobilis, & quibusdam quasi vertebris ad circumspectum idonea: brachia quoq; lentula, ac flexilia, levibus inserta nodulis, ut circumagi facile possint: sub pedibus trochuli, rotulæq; trusatiles occultæ, ad molem quo jusseris promovendam. Mox callidi intra proscenium machinatores, arcanis quibusdam, planeq; intestinis fidiculis, humanum illud automaton moderabantur, ad gestum, ad nutum, renutumq; imò ad vocem, sermonemq;, veritate usq; adeò repræsentata, ut aliquando non desint, qui, nisi vivere ac loqui hominem ligneum, stipitemq; jurent; stipites ipsi sese, & caudices arbitrentur. Hanc Statuam, sibi Cives, & Regionis incolæ DOMINUM fingunt, illumq;, non ex argilla Prometheum, sed tanquam ex atomis, hoc est, volantibus per cœlum idolis rerum, ita instituunt, ut habeant sequacem, obsequentemq; Qui nunquam irascatur, nisi cum ministrantibus collibitum fuerit; sin minus placeat, truncus hæreat etiam Diis iratis, quid dicam!

Flet, si flere jubent: gaudet, gaudere coactus.

Cæterum ipse, neq; ex damno vel injuria cujusquam, quidquam sentit, neq; sentitur á quoquam, tantum manu famulantium

Ducitur, ut nervis alienis mobile lignum.

Ipsi ministri, hujus beneficio artis, redduntur in quoscunq; mundi casus versatiles; sed & Deos facere possunt, & quando lubet delere Potentes. Jus suum appellant, propriam utilitatem; vivendi regulam, licentiam: & humanitatis officium, accommodationem. Ad hos postea quam á fortunato Sacerdote perductus fuissem, apprehensa veste, majori quam unquam furore, rapiebar ad theatrum, & vindictæ ardentissimus sectator, nec dilata inquisitione, voluit eam penetrare partem, in qua stabat lignea moles, judex etiam causarum; ut ob noxium fortunæ caput, festinato sacrificio, siue supplicio expiaret. Me miserum! jam perieram horrore, vel ex imagine mortis, multum enim intererat fortunæ, quam contempseram, si satis, aut pridem periissem. Sed ó Numen! non ingerendis suppliciis, quam differendis clementius! Prohibuère famulantes statuæ manus, loqui fortunæ sacerdotem, ne graviora judicum consilia, leviores interturbarent accusationes, & lites. Fortè Principis ærarium, & maxima bella, & improvidi sumptus exhauserant: Damna resarcire toties populus non poterat; & ad iteratas calamitates, quæ afflictis jam laribus gravissimis exactionibus incumbebant, amiserat patientiam; timendumq; erat, ne, ea populi injuria, factiosorum aliquis ex potentioribus, opportunè uteretur. Neq; enim deerant, qui procellas movere in votis haberent, si commodas in excelsioris fastigii comparationem, censuisset effrænis licentia, dixissetq; utiles in scelera; ut his, qui, negotiorum ministros, vel ex potestatis invidia, vel ex negatis gratiis oderant, ingens voluptas fuisset, Regimen infamari. Igitur inter judices, Proceresq; grandis erat disceptatio, censentibus aliis, unicum ad tot mala remedium, si permitteretur plebs exiguis facultatibus frui: &, apud illos, qui pessimis artibus, in immensas opes creverant, nummi quærerentur. Multæ enim tum *Spongiæ*, totum illud, quod ad irrigandas Provincias satis esset, attraxerant: & ex justitia videbatur, inflatas alienis bonis ac turgentes, comprimere; ne siccitate deficiens imperium, rerum inopia diutius laboraret. Et isti quidem, si quid ad

rem, mihi sapientissimè consuluisse videbantur. Contra disputabant alii, melius fortunis & honori Principis provideri, si populum, tanquam belluam multorum capitum, in copia, factionibus & licentia exultantem, novis exactionum titulis, velut justis gravaminibus, suprema coërceret voluntas; ne ex consuetudine, temerè & pro libitu, incursare possit Principis Majestatem. Nihil enim æque ferocius vulgo. Neq; injustitiam fore, ut eos, quos justissimè fortuna, ut viles, & se incapaces despexit, etiam Principis atterat arbitrium. Proinde nullam oportere illis concedi quietem, ex quâ sæpe furor, tumultus, rebellio: utpotè, quos perpetuis laboribus, oneribusq; destinassent, damnassentq; DEUS, & Natura. Nunquam melius saperent, quam si ad extremam reservarentur calamitatem; quibus tamen neç sic quidem credendum esse. Impleant carceres egeni, & in trabes, in scamna, in scalas, furcas & cruces facinorosorum transeant; illudq; omne jam sit familiaris suppellex, quod prius supplicium reorum fuerat, aut legis iratæ publicum supplicium. O infelicem sapientiam! ne dicam etiam cruentam! en in quæ rerum ludibria ipsa veniunt consilia? dum curantur male; nam ut alia omnia, ita hæc, ubi malitia tinguntur, aut diffluunt, aut non facile consistunt, donec nimiâ saginâ, speciem & dignitatem exuant, aut plane degenerent in crudelitatis pravitatem. Ut major pars, opprimendos miseros concluserat, res mira! illicò videre erat toto theatro venum exponi, quæcunq; adlubuissent Tyrannidi, nam quæ etiam Carnifices non habent, hic prostabant. Scilicet, compedes & catenæ, quibus subditi vincirentur: & cucurbitæ, quibus simplicium sanguis eliceretur: & statera, quibus Civium bona librarentur: & fistulæ, quibus vigilantes soporarentur: & crepitacula; quibus timidiores terrefierent: & baculi, quibus papaverum capita decuterentur: & tubæ & tympana, quibus Regni tranquillitas excitaretur. Infinita erant, quibus etiam forum abundabat, sed illa videre Sacerdos fortunæ vetabat, jamq; mecum tantum processerat, ut scabellum judicum manibus contingere posset; dumq; accusationem molitur, turbavit dispositionem, Umbratilis cujusdam Doctoris authoritas, qui é medio consessu prodiens, pro Rostris, de bono publico, dicturus erat, itaq; Deorum munere hic mihi quoq; data vitæ mora. Mox ut suggestum conscendit, plurima dixit, sed omnia obiter, istud ordine, cum á Cyclopum sententia concluderet. *E re maxima utilitatis fore, si Princeps plus auribus, quam oculis crederet: si semel concessas immunitates & beneficia, diminutionibus, antiquationibus, rescissionibus, restringeret, aut violaret: si nova semper & plurima cum Vitellio moliretur.* Addebat his superstitiones diras, inveniendarum opum compendia transgressus, é subditorum cruore, & miserorum lachrymis compositionem quandam fieri, quâ, si Magnatum postes illinirentur, brevi in eas irrueret, tanta opum vis, ut fodinas ipsas superare possint, & ad properantis fortunæ beneficia, invidiam tabescere, cæteros obstupere oportere. Multis persuadere visus est, singulis hoc sive artis, sive consiliorum secretum, mirum in modum extollentibus; verum ut ex contentionibus omnium apparuit, non intelligentibus Oratorem. Nam erant, qui ex hac compositione elicerent, eligerentquè sagum, alii togam: multi pileum: plures marsupium: omnes

omnes vellent imperium. Hic mihi visus sum, humanos Vitæ ordines animadvertisse, in quos pleriq; imprudentius incidissent. Adhuc quam attentissime hærebat, in gestibus, verbis, & apicibus, pessimi Causidici, fortunatus Antistes, cum ego desperato in Urbe fortunata miserorum patrocinio, intentatam litem celeri fugâ compescui. Jamq; felicissime Urbem reliqueram, cum non infelicius in densissimus sylvis, regij fastigium ædificii conspicio. Collegium Druidum fuit, & habitatio sapientum, ad quos (ut postmodum didici) nemo facile admittebatur, nisi qui curam Deorum immortalium resignasset: avaritiam illis non est quod quisquam objicere possit, quorum magna pars ditescendi copiam superavit; nec facile uspiam religiosiores homines invenias, aut quibus, ex præscripto suæ sectæ, minus largiendi necessitas incumbat. Superest superstitio, cujus ingenium timidum, in eo, quod meticulosa religione repudiat, hic semper libertatem alienam condemnat. Hæc, aut illinc non exulat, aut id quod in natura sua odiosissimum habebat, induit; ut, quam sibi arrogat Veritatem, eam aliis omnibus ex formula tenendam præscribat. Tantus ardor placendi DEO, an magè hominibus, ut invenire causam non potuerim, cur se infestis omnium odiis atq; periculis exponant. Ego, ut ad Ædes perveni, religiosa veneratione, doctissimum locum adoravi, & ne á voto meo discederem, aut errarem á sapientia, unum ex Druidibus accessi, obsecrans, si humilia terrarum incommoda é divino non despiceret loco, misereretur insipientiæ, duceretq; sua sapientia ad profectum Virtutis. Ille, ne alto, aut incurioso supercilio miseram supplicationem despiceret, Platonico percultus amiculo, chlamydeq; multo etiam longiore, quam corpore; profusa quippè lacinia, undantiq; peniculamento, caudam trahebat, jussus sequi, prope Deorum ante me gradiebatur incessu. Cum complura transivissemus conclavia, introduxit me in triclinium, ut verum non dissimulem, non habitus sum ulibi benignius, adeò omnia mea ab eo laudabantur, & approbabantur; nisi quid fortè mihi vellem benefactum: aiebat enim legibus, ac charitatis mutuæ testimoniis omnes solutos esse; hinc, curas curant minime alienas, ne scilicet aciem felicitatis, ad vota miserorum obtundant. Ita sobrium, jejunumq;, virgine salivâ duxit ulterius, ad Lectorium (ut vocant) sapientiæ, quo cum venissemus, ego ex cimicibus & pulveribus judicabam Scholam esse. Ut intravimus, ad me conversus. *Quod si Hospes* (inquit) *ad nostram sapientiam initiari cupis, naturam alio migrare patere; non enim tu hic mutabis quicquam; sed mutaberis, vel sponte, vel invitus, vel in obstinatione tua interibis.* Sedebat in cathedra vir plane in Umbria Umbratilis, sed tamen spirans, verbis non paucis, & sapienter non de re levissima disputabat, de umbra Herculis, de spuma Veneris, de oculo Cyclopis, de expensis Ulyssis, deq; aliis nugis, non anilium fabularum. Postea potissima quæstio fuit, in quo genere nominum collocanda videretur *Luna*, cum á viris (ut vetus ferebat seculum) doctissimis, memoriæ traditum esset; si qui nocturnum sidus, significatione, sexuq; muliebri nuncuparent; eos viros, Conjugum imperio obnoxios, domi servituros. Contra, qui marem dicerent, & quasi viriliter celebrarent, Uxoribus haud dubie dominaturos esse. Ingenium ut apparebat illi multiplex, nam etiam de salute, ac periculo Civium: de capite, fortunisq; miserorum: maxime verò utrum solertiorem faciat rapiendi securitas, quam amittendi metus; postquam non leviter de omnibus disseruisset, suggestum relin-

quens, mihi libellum porrexit, ut primò in Authoris *Regulas* & *Notationes*, homagium, postea pensum dependerem. Dolebam vehementer, quod in primis elementis occupatus, non liceret maturiori judicio, in arcana sapientiæ inquirere. Et cum lynceis oculis omnia percurro, video pro Pædagogo, Pædagogam, non deformem Mulierem, quæ succenturiato opere, vices supplebat Magistri; quam postea Theoriam fuisse didici: & illa tunc quidem magno sudore, condiscipulorum meorum oculos, perpetuis ferventissimorum linteamentorum fricationibus siccabat, ut intrusa capiti, continua speculatione servarent. Istud enim erat loci Hieroglyphicum, nihil in praxi, omnia in theoria habere: & magis præcepta, quam exempla curare; deniq; multa dicere, & facere *nihil*. Hinc, de fortitudine, loquebantur trementes: de sobrietate, ructantes: de cœlibatu, Cynædi: de Liberalitate, Usurarii: de pietate, sacrilegi. Ego, sive discendi ineptias pertæsus, sive moræ impatiens, cum nihil esset, quod ad formandam bonam mentem accederet, nescio, quam imprudentius, in doctrinam tragicam, ac vere perturbationibus agitatam incidi: in quâ, hoc me maxime pupugit, quod fidem meam, quam sapientiæ oppignoraveram, tametsi maximè vellem, inter hos quoq; sapientes redimere non possem. Id ego quam cupidissime volebam, idcirco mentem & ingenium meum identidem refricabam, excutiebamq: facultatem animi memorem, si fortè in pectus inde descenderet, quæ, non pridem desertor & transfuga fortunæ, virtuti, & sapientiæ promisissem; insederatq; illa quidem animo meo altius, quam ut exturbari posse videretur memoriâ. Ergò ut primum potui, ad amœnissimum portum redire statui, ut animum etiam propriis seditionum fluctibus agitatum, ad eam maris optimam malaciam, tranquillitatemq; componerem. Nactus igitur ferias, inclinata cervice, atq; mœstissimo vultu, proripui me é schola, atq; pedes in eam partem, quæ densissimas sylvas respicit, conjeci, jamq; multum processeram, cum me æqua litoris spatia subeuntem, vir veneranda canitie consequitur, quo viso, rediêre repente ad nidulos animi reminiscentis, *Genius Temporis DEI, Templum virtutis, cum Antistite suo, Fortuna, locus horridus, vasta solitudo, & quicquid periculorum, per tot locorum errores, ventorumq; minas exhauseram.* Quæ omnia, cum in aciem educo, ille apprehensa manu, Et quo te (ajebat) fugitive proripis? non per Jovem! Genium falles temporis, aut turbabis ordinem fatorum. Societatem Virtutis, non patitur ingenium fortunæ, cui per scelera non rarò enatæ, infelix sydus, insipientia affulget.

Dos ipsa Virtus est sibi; quam sequax
Licet procetur Nominis ambitus,
Se debet ævo. Sola Victrix
Invidiæ, immemorisq; fati.

Itinera fortunæ, pet tot infortunia quæris, quæ ignoras; semitas Virtutis, quæ omnibus patent, pertimescis? Extra tuam facultatem fortuna est, Virtus voluntatem sequitur, nec abest amanti. Cave, Musophile, cæcum impetum, ad ruinam tendentis: sequere, ut volusti, sapientiam, cujus partus, Virtus est, hujus cunabula in Cimbria, *KILONIÆ* adorabis. Posteaquam mihi sensim, cunctanterq; ac veluti guttatim locum, nomenq; instillasset, dicto celerius ex oculis disparuit. Me miserum! inter hasce maris sese in fretum sinuantis angustias, aperiebatur mihi vastissimus doloris Oceanus: nam quemadmodum sapientiam cum

partu

partu ignorabam; ita nesciebam sub quo orbis climate, *Cimbria* esset, vel duraret *Kilonia*. Eram nihilominus in portu non tam pelagi, quam votorum. Igitur Genium temporis precatus, prioris intentionis ineptias, veluti somnii vanitate delusus excussi; &, postquam me vivere, ac vigilare, ad nomen *Cimbriæ* & *Kiloniæ*, vivax gaudii sensus admonuit, in ignoto quoq; litore, novam sapientiæ Urbem, & Cimbricum Apollinem adoravi.

Demet serratas humeris sagittas
Et chely comptus, viridiq; Lauro
Kilonianos *animose tractus*
Phœbe recense.
Dulcibus pratis ubi mollis æstas
Vernat, & gratas nemorum latebras
Incolit frendens aper, & timendus
Dente minaci.
Inter armentum placidosq; tauros
Sapè ramosâ vaga fronte Cerua
Errat; & velox lepus in propinquis
Pascitur hortis
Hic & herbosos aries per agros
Errat, & secum pecudes minores
Ducit, alludunt gravidisq; misti
Matribus hœdi.
Hic & in gyros fluitans reductos
Suentin, *majori sociatur Undæ*
Cujus ad ripas jacitur recurua
Anchora proræ.
Et per ingentes tumefacta fluctus
Vela contemptis natitant procellis,
Nauticus toto strepit, & remugit
Littore clamor.
Pelei quondam veluti superbi
Regis, auratam meritura pellem
Argo sulcabat Minyis profundi
Æquora Ponti.
Sic & ardentes furijs Achæos
Bellicis, olim proceres videbat
Aulis, in Teucros, Priamumq; tata
Classe ruentes.
Hæ tamen nullis onerantur armis
Bella rostratæ nec amant carinæ,
Orbe sed toto patrijs reportant
Munera terris.
O nimis felix! aliasq; longè
Laudibus Gentes, superans & Urbes

Cùi venit Nomen, CUNEO è ferace
Urbis & undæ.
Vincis auroræ populos remotæ,
Qui diem primo revocant ab ortu,
Cedit & lectis variè lapillis
Gemmifer Indus.
Cedit & Lydo sacer Hermus auro,
Nec suo præstat, tibi tantus amne
Qui facit fulvas gregibus colore
surgere lanas.
Te loquax unam mihi fama jactet,
Nam nihil Cimbro simile est in orbe,
Ipse, ipse ni magnum teneat Tonantem
cedat Olympus.

Dum SAPPHO mea Sophiam æmulatur,&celebrat impensius, *Lesbia* KILONIAM, opportunè video navigium, in extrema litoris parte, portum succedere, quod pertinax Gubernator, ex tempestate in ignoto saxo alliserat, fluctibus tamen & periculo ereptum, in ipso terræ confinio anchoris firmabat. Plurimi descenderant in litus, quorum alii, ut contractum ex sali jactatione nauseam, optatissimo terræ gremio, reficerent: alii, ut regionis opportunitate cognita, novas incolis intruderent merces: plures, ut levigata saburra in fortunata regione, commoda fortunæ propria scrutarentur. Unus supra alios eminuit, & forma major & reverentia. Incessus solitarius, ac pene regius, vultus nonnihil macie decoloratus, capillus fuscus, crispusq;, atquè ipse habitus ad omnem maturitatem conformatus, Virum Philosophum, & severioris disciplinæ magistrum arguebant, ergo ut me in litore deambulantem vidit, vota mea & cogitationes illico cognovit; nam ut postmodum apparuit, introspiciendi abditos aliorum sensus artem admirabili virtute callebat; suspiciosis etiam ingeniis antevertens aut imponens desiderium. Ergo ut meam prævenirct humanitatem, officiosa verborum concertatione, quæ purum affectum etiam obstinatione conciliaret, cœpit blandissimè quærere, *quis essem? & quid in his regionibus facerem?* paucis respondi: me exemplum infelicitatis esse, virtutis videri; jam meliori voto imbutum, post multas fortunæ injurias, ad sapientiam aspirare, quam in his terris nec inter sapientes invenissem; quorum maxima sapientia est, in numerorum confectrice disciplina, & amor studiumq; earum, quæ ad aureum calculum pertinent facultatum, quæq; aureo & argenteo instrumento nituntur. Si diviniora cupias, non isthic Pontificum jura, non augurium, non memoria antiquitatis, non scientia Astrorum, non agrorum cultura, non regnorum Urbiumq; descriptiones, non rerum Oeconomia atq; ordo publicarum. Unicum furorem habent, quo tantopere gloriantur Sophistæ isti, in quo adumbrando, quia colores nulli sunt apud mortales idonei, petuntur immortales é Cœlo, ut adstruant verbis ac vestibus divinitatem. Si cum veritate sentio, nec dissentio á me ipso, verè isti Sophistæ in Umbria, umbræ literarum, & larvæ sunt sanctitatis; nam nomen sapientiæ, quod á diligentia sapiendi minime sortiti sunt, hoc uno satis commento conciliare sese putant sibi, ut non in loco, sed more Corybantum ubiq; insipienter

pienter desipiant. Cum hæc dicerem, ille magnopere suspiravit, ut putarem acrius pro illorum divinitate defendenda etiam animo exarsisse. *Nescis* (inquiebat) ó Bone! ah nescis! cum quibus Numinibus contendas, vide quid agas, qui causam invidiæ, ab imo demum capite ad universam Sophorum nationem traducas, omnesq; simul offendas, quorum, vel cum uno dimicare, satis superq; ducebat Socrates, apud divinum Platonem. Nam quo demum spectant, præclara illa nomina, quorum appellatione divinæ illæ mentes imbuuntur & ambiuntur, á quibus non sanctitatis tantum germanam laudem, sed etiam literarum proventum, de penu eorum non illiberaliter depromimus. Quid quod sicut ad dicendum, ita ad scribendum, animum fere nunquam induerunt, nisi cum propiore Numinis flamma divinitus incalescunt. Desine verò mirari, quod ipsam quoq; Rempublicam Literariam, severam pridem & sobriam hodie luxus afflaverit, & quædam sciendi ultra terminos necessitatis certe, utinam non etiam honestatis ducta lautitia: quando communis hic est rerum omnium morbus, ipsiq; propemodum intestinus ætati. Nimirum ita se res habet, artes & scientiæ seculum sequuntur, atq; ut olim dum Romanæ Reipublicæ frugalitatem Regum luxus excepit, luxuriam quoq; suam literæ senserunt; ita huic tempestati si præterita comparentur evenisse videri necesse est. Tu si placet adhuc dimicatio, vel pugnator accede, vel Judex. Jam solutum fluctibus Navigium in pristinum robur composuerant artifices; cum ille (simul & cæteri) assurrexit, arreptaq; dextera *Mutemus* (inquit) *Forum, & quoniam in Campo sumus, navale potius prælium ineamus.* Tum Ego quasi ad pugnam alacer, Duc me (inquiebam) quo voles, ancipitem adhuc animiq; pendentem, non mea me voluntas, sed tua me reget authoritas. Itaq; æquori permissa navis vento & carbasis utebatur, cum audacior factus ductoris mei reverentia interpello, ô felicissime! sive genus Deorum es, sive proles hominum, cum obsequentem habeas Fortunæ desertorem, fas sit mihi quærere, unde Numen venias, quove tendas? Tum ille, ut placidus erat, Rem (inquit) haud difficilem postulasti, cujus historia nisi ad tua quoq; vota pertineret, facile postulationem tuam, alio traherem obstinatiore silentio. Regio, unde venio, à perpetuis Machinationibus Machaonia appellatur, in suburbio mundi sita, & postquam viribus omnibus Opifex rerum natura consumptis, hic ultimam laboris dolorisq; exonerasset necessitatem, plane alios fines, & qualitatem sortita est, ut sane sicut compendium naturæ mundus est, ita hic hujus extra mundum ultima & rudis delineatio, aut tantum fundamentum, ubi lapides, saxa, sentesq;, absolvere opus, non ut parens sed ut noverca voluit. Magnum istud ac pene incredibile, supraq; fidem est, quod dicam: quam sane fidem, non esset, cur ita religiose requirerem, ut facio, nisi scirem naturæ propensionem, in rebus eam habere vim, ac facultatem, ut si alibi non raro, hic semper prodigij locum obtineat. Nemo est, qui nesciat, modo aliquid sciat, ferro nihil esse contumacius; nihil ad quandam velut disciplinam ac legem accipiendam inertius; istud tamen tantam hujus Regionis invenit indolem, ut jactum sparsumq;, non sine spe maxima fructus, tuto disseminari, ad messem ferream cum fœnore metendum uberrimo possit. Ipse vidi, hisce oculis, crede, callidos regionis agricolas, ferrum, cæsim minutatimq; contundere, tenuissimas illas arenulas, & quasi atomos, humo, seminum more committere, excolereq;, do-

nec

nec inductis ad tempestivas irrigationes, reductisq; vicissim aquis recrearent; tantumq; proficerent, perficerentq; cultura, ut durissimum semen ductis alte radicibus emollesceret, ac progerminaret in segetem, adeptumq; paulatim maturitatem suam, ingenti copia, messem ferream colentibus daret. Cum paululum á narratione repausasset, in effusissimum risum solutus sum. Tum ille, equidem istud quod retuli, verum est, nisi tibi placeat potius, ex prodigiosa hac consitura metalli, traducere ad hominum ibi nascentium ingenia, & animi cultum, ut haud quaquam ridere, vel admirari debeas, si horum omnia studia reperiantur aspera, & ab aliorum hominum captu, aut consuetudine, omnes institutiones tam difficiles ac laboriosæ, deniq; ita feræ ac ferreæ disciplinæ, ut quocunq; jaciantur sparganturq;, ferreas messes semper exhibeant. Civitatem habet & quidem unicam, impedientibus impendentibusq; saxis & scopulis famosam; cujus lævam, lacus vastissimus, dextrum vero latus multa flumina; mediam fluvius oblivionis dividit. Maxima pars Civium peregrinarum regionum homines sunt, qui, ut nomina sua Urbi dedêre, Patriæ suæ, simul & nominum suorum obliviscuntur; horum omnium una consuetudo, tantum facies, larvis distinguuntur. Omne genus carnium pretiosissimum, sola caro humana vilis est, cujus esu tamen abstinent, sed quia ultro sitiunt, sanguine delectantur. Cæterum nulla gens in mundo mortem Principis sui curat libentius, aut exequias colit religiosius; aliorum verò cadavera parum pensi cum Theodoro habent, utrum humi an sublimi putrescant, pleraq; corvis aut vulturibus exponuntur. Homines alibi nasci, hic dices, quotidie mori. Alienæ prædæ multum inhiant, & vivunt ex rapto, quod ut legitimè fiat, Draconis legibus muniuntur, Religionem ne quære, nisi quæ vanissimis hominum opinionibus imbuitur, & nostram veritatem quasi populare mancipium pariter ac fædè compungat, atq; in suprema vulnera Pietatis, in tristia animarum damna, in DEI, hominumq; contemptum, in publicas Regnorum eversiones, in sæva populorum dissidia, in cædes stragesq; mortalium, sinistro non magis numine, quam malo ingenii Genio temere debachatur. Martem & Bellonam ut plurimum colunt, quibus, hodie summos, medios, infimos, uti pecora pronos in sua obsequia pellexerunt, multos auctis & acquisitis possessionibus excluserunt, pudore & verecundia Virgines, fidelitate Cives, sacramento Milites spoliarunt: ut jam Christiana Respub. lamentari possit, cupiditatem hanc ex immodico habendi desiderio immodicam, adultam jam, amplificatamq; suis sæpe cervicibus imminere, & nimium quantum reformidare cogatur, ac pati gentem, nostris potius vitiis ac discordia, quam propria fortitudine atq; merito fortunatam. Habes rigidissimorum morum regionisq; levissimam descriptionem; Causa profectionis & discessus, ut satis ex circumstantiis eruitur, tamen hic etiam votum est, votum inquam ad *Cimbrici Apollinis templum*, quod religioso cultu colit *Kilonia*. Nuper novi ritus, nova DEI incunabula, multos é locis variis excivêre sapientes. Cum hoc magno spiritu dixisset, votivum cecinit Carmen.

Kila vetustis nobile seculis
Nomen renascens, Pindaricam jubet
Deplere Dircen, & Cygneos
Carminibus superare Lessos.

Illinc

Illinc togata fax sapientiæ
Fulget senatus, nec variabili
Substrata Gradivo tropæa,
Atq; animi generosiores.
Quos plena Legum jure scientia
Armauit insons, quos vetus edidit
De stirpe ramosa creatos
Nobilitas Genitrix honoris.
Non fracta bello perpete pectora,
Plebesq; nullis obruta fluctibus,
Ipsisq; mirandos olympo
Et superis, meruit decores.
Tantoq; dignis nomine Ciuibus
Cognata spondet sydera. sic ferox
Lacæna turgentem magistrat
Nominibus patrijs Ephebum.
Sic Cressa nutrix spicula Gnossio
Torquere cornu, nomine Patriæ
Hortatur audaces Alumnos
Aut rigidas timuisse leges.
Non hanc marinus Juppiter orbitam
Delphina frenans, cuspide territat,
Non Pristis, & Cete reuellunt
Tortilibus metuenda caudis.
Non hæc Phaselos sanguine luridos
Portu receptat: non vaga carbasa
Quæ latro, vel dirus celeustes
Naufragijs rapuit Liburnis.
Non hic volucres Æolij fremunt,
Spretaq; aheni lege repaguli
Bacchantur in fractas triremes,
Rostra, foros, tabulata, plectrum.
Tutrix quietos Kilia nam Ducis
Lunat receptus. Tiphys & arbiter
Dicetur Musarum senatus
Kilopolis Pegasæa puppis.
Amica diuis KILIA, cœlico
Floresce cultu, ô KILIA, quæ Ducis
Imperditos sentis fauores
Perpetuo celebranda versu.

Plausum dedere Nymphæ maris, sed & Neptunus tridente suavius cum Sirenibus insonuit, dum interim animum meum, altius pupugit, *Apollinis Cimbrici* Nomen, & Urbis Divæ Kiloniæ memoria. Si (inquiebam) ut conjicio res est, firma tuo nomine, omineq; ó Juppiter fidem! profecto cœlesti beneficio factum, ut ab Umbria monitus discederem. O me felicem, si tum meam fortu-

nam potuissem agnoscere, scivissemq;, non Genium temporis mihi loqui, sed Cimbricum Apollinem dicere, & adesse; qui, quo solertius divinitatem celaret, aliena specie voluit esse obnoxius. Ista cum mecum tacitus voluo, interpellavit cogitationes meas. *Et video* (inquit) *Hospes te supra humana vota rapi in excessum: aut nunc primum tibi Cimbrici Apollinis, aut Urbis Kiloniæ fama innotuit?* hoc dicto: cogebat, vicissimq; expectabat responsionem meam; narrationis sermonem silentio suspendente. Ego conatus dicere, ac bene precari, in vocis primordio, defeci. Ut tamen necessaria humanitate immodicum gaudium finirem, qui in dicendi, discendiq; confinio crescebat, demisso capite vatem, & Philosophum veneratus, inter spem & metum subito obmutui. Tum ille ex vultu meo, cupiditatem conjiciens multum pernoscendi avidam, altius sermonis originem ruspaturus, fecit Historiam. Inter eas nationes (inquit) Hospes, quæ ad famam rerum, ac temporum æternitatem, per prospera & adversa grassantur, ut omnium admiratione posterorum, ab ignavis & casibus intactis, perpetua secernuntur oblivione, etiam Cimbros pono; qui *Nordalbingiam*, quam recentes *Holsatiam* dicunt, per prospera juxta & adversa casuum, ad hodiernam magnitudinem extulêre: donec ferrum laurumq; ferentibus Romanis, didicêre fatalis imperia ferre Majestatis: ad supremum re Romana culmen evanescente, Danorum Regibus, auspicia sua præbentibus, placatis Aquilis, aut repulsis hostibus, arma, pila, hastam, cassidem, caput simul & cervicem submisit. Vertente tempore, quemadmodum ingentia flumina, leni primum tractu á fontibus suis labentia, sed effuso paulatim impetu crescentia, per vasta terrarum immensis præcipitantur meatibus. Ita gloriosissimorum Regum in Dania sanguis, numerosissimorum gloria Pignorum, etiam hodie ex se natam jactat multis in partibus posteritatem. Porro gentis prima incunabula, fines, fortunas, aut Exilia, cum habitationes, Civitates, Leges, religiones, expeditiones & instituta, tibi inspicienda jam proponere non conamur. Etenim gloriam Holsatiæ atq; pulchritudinem, nimius attereret, aut forte extingueret Alienigena laudator. Nam ut omnia in ea clara, validaq;, vel ut accola, vicinaq; clarorum esset ac validorum, ad initia sua qualibuscunq; pervestiganda vestigiis, ingenia deprehenditur invitasse plurimorum; quæ cum multum sua sapientia æstuarent, & cætera suspicionum infirmis sustentari rationibus adverterent, ad Asiam, tanquam ad favillam nationum & Matrem, suarum ambages atq; dubia direxêre conjecturarum. Et nos ex hoc campo pullulantis, ac sensim ad reliqui Orbis extrema delatæ mortalitatis, exigere Holsatorum ordia sustinemus, quorum hodie jam exitus, atq; coronis est, varios apud se populos demonstrare, & tot fluminibus, Oceano, & mari Baltico, diviso quasi naturæ legibus imperio, & *Reges*, & *Principes* pati. Inter Antecessores suos, ex geminis fratribus, & tot Nepotibus, unicus fama, nomine, & gloria eminet *Stinacbrius Erbaltus*, quem populi obsequentissimus impetus, & Christianus in conversis gentibus ritus, malunt *CHRISTIANUM ALBERTUM* appellare; Hujus Principis mentem maximarum rerum capacem, sublimior illa, non tam insedit, quam sibi proprium dicavit sacrarium, SAPIENTIA, cujus æterno beneficio, nihil unquam animo humile, nihil factu indignum tractat vel suscipit. Hic, Urbe veteri Kilonia Ephebæum Virtutis, Prætorium literarum; humanæ divinæq; Sapientiæ Lyceum, disciplinarum officinam, morum palæstram, deniq; propugnacula facul-

facultatum, ubi futuri vitiorum domitores, Virtutum omnium Professores, Patriæ sapienter fortissimi, & fortiter sapientissimi Propugnatores, Orthodoxæ Pietatis Assertores, & consentanea enumeratæ militiæ arma producerentur, fecit, fundavit, introduxit; atq; *Apollinis Cimbrici Stator*, & Musarum author & origo exsistit. Opus hoc grande & ad seculi, gentisq; miraculum, supremi numinis honoribus, atq; omnium mortalium commodis consecratum, placuit jussu & authoritate Principis, & Senatus Consulto, *Orbi Sapienti*, Nonis Octobribus, magno populorum vicinorumq; concursu, ludos Apollinares, & cursus Palladis, cum Encæniis & inauguratione exhibere. Cursum prosperè succedentis propositi, & statim ut fit, excepit fama, & deinceps variis orbis partibus aperuit. Itaq; hæc causa est, ut vides, quæ me cum cæteris, ex barbaris quoq; excivit sedibus, quem scilicet Sapientiæ sollicitat ubertas & messis, Augebis, si voles sapere, venientium frequentiam, & ad invidendam multorum gloriam, alterum *Kiloniæ* Heliconem miraberis. His dictis, ut á cantu narrationem inceperat, ita loqui desiit in cantu; nescio quem Divorum, credo divinum Principis Genium, ut navigantibus faveret propitius, sollicitavit auxilium.

Dive! *quem vasti maris ac profundæ*
Doridos, mundi Pater, & potentem
Cærulæ fecit regionis olim
Oceaniq;.
Ipse nunc Triton tibi paret uni, &
Sæva tempestas, loca foeta ventis
Jussa non spernunt tua, cui tricuspis
fuscina cessit.
Sæpe te puppes maris obruendas
Fluctibus pronâ tenuisse dextra:
Sæpe præsenti posuisse dicunt
Numine ventos.
Sicca tu nobis Helice per altum
Et salutaris Cynosura nautis
Tu locas semper sinuosa portu
Vela secundo.
Huc ades Rector maris inquieti
Nostra felices aditura portus
Cymba, nos vento facili & secunda
Provehat aura.

Finierat cantum, cum ventis toto folle urgentibus, jam ultra spes nostras & vota, fortunatissima navigatione oram *Holsatiæ* tenebamus, ô Spes! ô Vota! modicus portus fuit, & piscatoriis tuguriis incelebris, cum Ego impatiens moræ, nauclerum complexus, magnis precibus petebam, ut me in eam oram, quæ sylvas respicit, placidus exponeret: illico commodato lembo, cum comiti bene precarer, & abirem, in arenam descendi, mox consistens in littore, ut religionem celarem, tanquam maris jactatione debilis, in terram vultu procubui, atq; submissa voce Deos propitios, Lares, Genios, & hospitale solum adoravi. Postea mercurialem acervum conscendens, ad eam me regionem converti, quæ Urbis

vicinorumq; locorum & lucorum aperit voluptatem, *Kiloniam* velut castissimum sapientiæ sacrarium, veneraturus, exclamavi. O *Kilonia! Kilonia!* si fas est, hoc te nomine censeri, quod tibi Diva in Isthmo Cimbrico induisti. Non tu Nympha mortalis, nec de cœlestium vulgo. Nam si in Cœlis felicitas est, felicissima Kilonia es, cum maxime cœlestis sis. O Cimbrica Minerva! Præses sapientiæ, quæ Jovi tuo debes, quod ita nata es. Veneror te numinum sapientissima, neq; me patiaris ignorare beneficium tuum, quo, me arctissima religione tibi devotum, exemisti ignorantiæ, seu magni Principis Genium, seu tuam pietatem secuta. Mox ad votorum auxilium, additæ ab Apolline laudes, & Urbis non vana præconia.

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mytilenen,
Aut Ephesum, bimarisuè Corinthi
Moenia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala tempe.
Sunt quibus unum opus est, intactæ Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare, &
Undiq; decerptam fronti proponere Oliuam
Plurimus in junonis honorem
Aptum dicit Equis, Argos, ditesq; Mycenas,
Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ permovit Campus opimæ.
Quam ingens GLORIA Kiloniæ.

Jam nox in terram descendens umbra sua lucem pepulerat, & funesto pallio absconderat pulcherrima naturæ spectacula; turres quoq; expositas, & oppido conspicuas, nubium voluminibus densaverat, cum ego quietem, alii socios non jam vultu (quod assolet) sed vocibus requirebant. Sonum clamantium secutus, ne iterum aliquem novum errorem, in Urbis suburbio, quod ex adversa fluminis ripa, partem sui meliorem respicit, ad celeberrimam sculptoris officinam diverti: isthic variæ stabant, & jacebant ex truncis & lapidibus statuæ & imagines, quas Praxitelis sedula manus, aut creta aut carbone signaverat, aut distinxerat ad oculorum voluptatem coloribus. Curiosum laborem, magna sollicitantium expectabat multitudo. Istud vehementius intuitus, altum eximo pectore duxi suspirium, ut vix á lachrymis oculos continerem, identidem reputans fortunatos artifices, & statuarios esse, & ubiq; Myronem aut Dædalum, pro Apolline adorandum: donec lassata querela impatientiam meam in somnum composuit. Res mira! noctem illam totam inundans cadentium pluviarum turbo turbaverat, ut ominosâ catastrophe sequentis diei obscuraret spectaculum. Sed non absq; majori omine, & miraculo, matutino diluculo cœlum rubere cœpit serenius, atq; diem placidissima solis temperie, fesso adhuc & sollicito corpori, luce aurea instillare. Subito experrectus, ad serenam madidi temporis mutationem, veniebat in mentem, non dispar fatum tempestatis Romanæ, nec Augusto, nec Cæsare, indignum; unà redditi die postero cum serenitate triumphi, felix adulatio; ut felicius Maronis ingenium, meum quoq; pungeret animum, & torpentem desidiâ venam provocaret ad acumen.

Nocte pluit tota, veniunt spectacula mane
Divisum PRINCEPS, cum Jove, TEMPUS, habet:
Quis majora cupit miracula? summus utrisq;
Author adest; hæc, sunt PRINCIPIS; *illa* JOVIS.

Vix

Vix iſta commodatò in præſentem lætitiam transtuleram, cum adhuc deſidem & ſomnolentum, altius corripuit ſopor, tenuitq; in tam profundum progreſſus, ut me prius vigilare non ſentirem, quam menſam, ſcamnum, lectum, tectumq; ardor & radius perforaret & ambureret ſolis. Augebant ſolares flammas & incendium, primo populi murmur, poſtea armorum ſtrepitus, tandem ut in ſeditionibus fieri amat, publicus tumultus, & clamores, quorum ſingula, tanquam Hanniabal eſſet ante portas, meum provocabant metum, aut ſomnolentam invitabant ad pugnam ſolertiam. Igitur jam non modo vigilantibus ſed etiam armatis in vindictam ſenſibus, aperto feneſtræ orbiculo, cujus nec vigorem ſol, nec pretium nocturna tempeſtas corruperat, publicum hauriebam furorem. Verum ó rerum mortalium mixturam, & corpora quidem noſtra contrariis elementorum virtutibus adſtricta, animas autem mœroris & gaudii diſcordiâ gubernatas! Non furor ille fuit, ſed rumor venientium Nonarum, quibus felicia literarum Encænia, inter feſtos dies, faſtosq;, communi Quiritum ſapientiæ plauſu, & magnis Principis auſpiciis, ad ſempiternam Poſterorum memoriam, Civibus, & Peregrinis vulgabantur. Igitur publico populi geſtientis excitatus gaudio, pigram diſcuſſi quietem; ſiquidem inſolitum videbatur crimen, ſi ad lætitiam ſegnior, quam ſomnum fuiſſem; quam ob rem, ut feſtinationis nomen á Metello Celeri, aut Ptolomæi fulmine mutuarem, ſubito me é domo proripui, ut purificandi ſtudio, domeſticum ingrederer nemus, ubi, me lavacro trado, ſeptiesq; tactum immerſus fluctibus caput (quod eum numerum, præcipuè Religioni aptisſimum, divinus prodidiſſet Pythagoras) purificatus concipio Vota.

Non me doloſo Salmacis alveo,
Non miſta Divis flumina Perſicis,
Non merſus Ætoli Thoantis
Letiferis Achelous undis
Vocat; canoro pectine barbiton
Pulſare, falſis indocilem modis,
Nec Syrticum Cymba profundum,
Imparili ſecuiſſe doctus.
Cartabo Sventin; *qui neq; Sirium*
Latrare Cimbris, æſtiferum ſinit,
Frangitq; ſextiles calores
Quos furiat Nemees alumnus.
O Sventin! *ſacris edite fontibus!*
Quæ me Dearum Naiadum, tuis
Haurire de conchis fluorem
Innocua patiatur unda?
Quis preſſa longo pectora me ſinat
Levare muſco? quis liquidum dabit
Killoniano *lectis in agro*
Jam caput hoc cumulare ſertis?
Comasq; eburno findere pectine,
Umbrasq; fronti texere gemmea,
Rivosq; de mento fluentes
Suppoſita retinere dextra.

O Sventin! *terso lucidior vitro*
Te nullus alta lapsus in ilice
Ramus, nec armenti petulci
Ad niveas properantis undas
Conturbat error: non pede lurido
Annosa cornix; non Aquilonibus
Excita tempestas Boreis,
Sed humiles remorantur algæ.
Tuo natantes gurgite Najadas
Potabis insons, & Dryadum choros,
Atq; ipse Parnassi Colonus
Labra tuis satiabit undis.
Et grandiori Pierias sono
Mulcebit aures: plenior entheos
Quassabit ardores Thalia
Præcipiti generosa versu.
Quid? concitatis arbuta fluctibus
Ramos æquantes tendere gestiunt,
Herbæq; anhelantes ruinam,
Et lupuli sitiunt minaces.
Offensa lætis garrula vallibus
Responsat Echo, nec requiem capit,
Gaudetq; mentitis susurris
Trava *tuos imitata fluctus.*
I Sventin *gemmans, Naïadum quies,*
Insulta adducto littora vortice
Sleiæq; *permistus fluento*
Oceano refer ista Patri,
Si vera præsens vaticinantibus
Latous edit; (credite Posteri)
Perlonga seclorum catena
Attonito dabit ore vatem.
Qui plena nostra flumina Gloria
Feret per orbem, non humili sono,
Et barbito Sventin *sonabit*
Et Cythara generosiore.

Cum hoc votivum carmen, tumente supra solitum ex præconio flumine, Nymphis quoq; ultra desideriorum expectationem gestientibus, effudissem; collectione spiritus plenus, inexpectato sternutamento silentium nemoris bis concussi. Ad quem motum, nescio quis é densissimis arborum gurgustiis, salvere sternutantem jubet. Ego tanquam divino afflatu instinctus, dum circum aspicio, graviore voce

Nil istbic quod agat tertia tussis habet

intonui. Igitur oculis propius admotis, Symmystam venientem conspicio; quam ob rem ad eum conversus: *Si* (inquam) *Augurum filius es, felix nobis sternu-*

tamenti

tamentiomen facias. Ille verò, ut erat quasi ad ambulandum accinctus, ſuccinctè reposuit: *Si quod facio* (inquit) *facis, facio.* Sine mora Ductorem ſecutus, cum in turbas incidiſſem, caſus tulit, ut indigeſta confuſione me lateri Cynici applicarem, qui poſt queſtus, poſt maledicta, quæ etiam Hippoclidis perturbaſſent patientiam; in me quoque, & peregrinum habitum invectus, non pauca indignatione congeſſit, ut auderem convitia quoque expectare. *Quid tu* (inquiebat) *Extorris homo & ignotæ mortalis conditionis*, præterea ut ex vultu conjicio, adverſantibus fatis omnia aggreſſus, ſtolidiſſimè putas, hos feſtos dies, fauſtosq; ad tuum infortunium pertinere? Cum hominem, & humanitatis locum quærerem, ille ſeſe oculis omnium ſubducens, mihi præter ſubverſi animi impetum non reliquit. Ergo ſpontanea remiſſione languebam, & in publico plauſu meo ſenſu pugnabam, tacitus voluens. Hoccine eſt Muſophile quod in iſto cœtu latens aliquod tibi numen inſuſurrat? quid putas? quid fruſtra deciperis? Principi gratulari? quis te in hanc conſuetudinem introduxit? ignorantem, quæ ſtudia? quisve modus, inter homines gloriam aut dedecus; odium aut gratiam foventes? quum iſta dejicerent animum, erat nihilominus in læſi pectoris deſperato ſenſu ſimile quiddam deſiderio, & velut cuniculus longæ ſpei, quæ nondum fatebatur cupiditatem ſuam. Turbatum non modice vultum, Symmyſta meus advertit, qui & latrantem audiverat Cynicum, & blandius ſubridens. *Patere ô Hoſpes* (inquit) *fatuos conditionem ſuam ignorare, & ſint inſipienter prudentes, neq; author eris, ut vitioſam ſapientiam agnoſcant.* Exempto ſapienti conſilio ſcrupulo, ad Urbis portam concesſimus, ad cujus dextrum latus ſtabat immenſæ magnitudinis Coloſſus, quam ſuper aurea decorabat ſtatua, imperioſè jubentis Principis imagine expreſſa. Ad baſim operis breviſſimi legebantur verſiculi ſed heröico ſpiritu conſcripti.

„Pandite, & emoti procumbant cardine poſtes,
„Pandite, & Aſcræos tectis admittite vates,
„Qui tumido mea fata canant inſtructa cothurno
„Qualiter Hectorea natum de Gente Quirinum
„Concelebrant, aut Andinis vox aurea Cygni.

Ego ita monente Symmyſta, veros in marmore vultus veneratus, inclinata cervice brevibus ſalutavi.

Salve Heros dignate Polo: tibi cana vetuſtas
Ponet inocciduos meritæ virtutis Honores.

& priusquam Urbem ipſam intrarem, hoc ſtatim ſacramento pietatem meam obſtrinxi, *Si quidquam dicturus, aut ſcripturus eſſem, ea me in honorem præſentis Numinis, aut cogitare, aut elaborare imprimis velle, quæ cum tempore pugnare, ſi non vincere poſſent.* Annuere genuino propoſito videbatur moles aurea, quam, propemodum ad ipſam vocem, animabant non radii ſolis, ſed divina Memnonis ſolertia. Ingreſſus Civitatem, geſtientis populi concurſus, traxit me non invitum ad forum, ubi jam non Præconum (ut ſolet) officium exercuit linguam & vocem, ſed ipſe Deorum Nuntius ſumebat publicæ hilaritatis cauſam, & novo indutus paludamento cumulabat ſolemnitatem: nam damnatis ultro talaribus

bus humerum ſacrum cingebat balteus, quem Anna & Perenna, opere Phrygio, eo plane momento, quo Genitor temporis diſpenſavit, horas, dies, annos, & ſecula, principalibus virtutum titulis, quaſi gemmis, adhibito in conſortium ſudore, diſtinxerant; hoc cultu prodibat in forum, atque inter feſtivas acclamantium voces, & lætum tubarum tympanorumque ſtrepitum è ſtrato pegmate ſic legationem exorſus eſt.

Quod felix fauſtum, fortunatumq; ſit, & feliciter cedat Rei Literariæ; macti eſtote Sapientiæ Quirites. Nonis hujus menſis Octobrilibus auſpicatò, qui memoriæ Poſterorum, imo æternitati conſecrari meruit, feliciſſimis auſpiciis Reverendiſſimi, Sereniſſ. atq; Celſiſſimi Principis Domini Dn. Chriſtiani Alberti, Electi Lubecenſ. Antiſtitis, Norvegiæ Heredis; tum Schleswiciæ, Holſatiæ, & Ditmarſiæ Ducis; nec non in Oldenburg & Delmenhorſt Comitis; Chilonii, fundamenta Sapientiæ ponimus. Puto me rectè, & cum ratione dixiſſe, nos hodie Academiæ hujus Chriſtiano-Albertinæ, fundamenta ponere potius, quam poſuiſſe. Adeſte candidiſſima Natio, melior hominum portio, & congener vis Divûm, pene ipſi Jovi ſuppar. Ne qua vos invidentia lividet, ne quis livor attaminet, Princeps orat. Macti gaudio & honore, vos publicæ inaugurationis Encænia vocant: adeſte Cives honeſtatis, Vicarii Numinis, Pontifices rationis, peculium virtutis, adeſte, Mercurius invitat, nec vos deeſte, qui ambitioſa honoratioris Sophiæ Numina colitis, aut expectatis.

Excepit noviſſimam Mercurii vocem, ingens tympanorum fragor, tubarumque gravior concentus, atque populi immixtis pueris, innuptisque puellis clamor & lætitia, magna voce ex Heliconis ſedibus Apollinem cientis & provocantis.

Huc ô Caſtalii cultor ades jugi
Cinctus laurigeris tempora frondibus,
Adſis, & Salio pelle ſolum pede
Plectrum concutiens manu.

Hos

Hos tripudians ſequebatur Chorus, cum tibiis, ſiſtris, lyris, fiſtulis, & nullo non genere vocum ac inſtrumentorum, ut profuſam teſtarentur hilaritatem & lætitiam, cantum ad Pyndaricum ſaltum referendo.

Canite ó pubes inclyta Phœbum,
Tibi feſta caput turba coronat:
Tibi virginea laurum quatiens
De more comas Chilia fundit.
Arcus victor Pace relata
Phœbe relaxa.
Humeroq; graves levibus telis
Pone pharetras, reſonetq; manu
Pulſa citata vocata Chelys.

Sub hoc ſuaviſſimo virorum ac mulierum, cum puerorum, puellarumque concentu, Arcem Palladis aſcendimus, pars virentibus ramis, magnæ Deæ domicilium veſtitura; pars, floribus quos

Mitior autumnus, media ſub virgine --

nondum pruina tetigerat, fores & parietes ornatura. Cum ſubito in Aulæ penetralibus, florentiſſima ſcena, virente aditu aperitur; quæ in orbis coronam deducta, minoribus majoribusque columnis, ad voluptatem intuentium venientibus faciat ſpatium. Fons mediam ornabat aream, inſolito artificis opere ad Muſarum miraculum commendatus. Stabat Pegaſus, cujus pedibus, remiſſo tantiſper pondere, Atlas mutuabat mundum, augendæ magnitudini titulus hic, cælatis per ambitum literis, propellebat feliciſſimas aquas, omnibus fiſtulis & venis potentior

Donec totum impleat orbem.

Ex ungulis vivus erumpebat latex, ut putares, flumine non conſilio, duci Apollinis & Muſarum oracula, ad cujus baſim aureis literis hoc Hypogramma legebatur.

Conſpicuum latè fontem ſalientibus undis
Durus Pegaſei ſuſcitat unguis Equi.
Ut vos Albertum tollatis in æthera Muſæ,
Et teſtudinea Phœbe ſuperbe lyra:
Magna poſitura Mundo ſpectacula. Veſtræ
Phœbe; & Pierides, hoc erat artis opus.

Jam tota ad ſpectaculum Concio convenerat, ut per ſuas Claſſes & Centurias, verſicolore diviſam factione & habitu, concolor affectus, ad templum Apollinis duceret. Aderat & ipſe populorum *Pater, Dux, Stator & Auctor* Literarum, multo auro conſpicuus; caput vividum ac ſucci plenum & majeſtatis, in quo matura ætatis inſignia, quam diutiſſimè juveneſcentem honeſtant, & velut candidatam in ipſo candore naturæ cæſariem commendant; & lucidus oculorum vigor & argutus, non tantum alacritatem, ſed etiam tot luſtrorum vivam experien-

perientiam pollicetur: in frontis speciem, veluti perspicuam translucentemq; crystallum ad ingenii sedem ac penetrale facilis & expeditus aspectus. Os, vultus, & tota pars exterior corporis, venis arteriisque conspicuis; quasi fontium capitibus, in ramos passim ac rivos abeuntibus, animi produnt facilitatem, quamcunque in partem ratione vocaveris, obsequentis: aptitudo nervorum & membrorum constans & firma, cursui, venatui, pugillatui, cæterisque virium irritamentis, supra juvenilem in multis ætatem, aptissima, sed animi major, habiliorque dexteritas: Consors hodie publici honoris Principem fecit locum ducalis præsentia, quæ novo circumstantem populum gaudio superfudit. Neque deerat, augusta Romanarum Aquilarum Majestas, ut tessera divinitatis suæ, Festis Apollinaribus, adderet perpetuitatem, redderetque seros honores, officia diuturna, votaque paria cœlestibus. Hæc adhuc inter cassidem & clypeum Palladis, intra loricam & cortinam Arcis fuêre; propterea altum silentium, virtutis & gloriæ avidam multitudinem occupaverat; mox ut intellexit adesse Principem, qui, ut animo DEi imaginem, ita semper præsentiam complexus sit, expendere præsentissimi gaudii magnitudinem non potuit; donec inter suavissimos modulantium concentus, & innoxias bombardarum explosiones, cum variorum collisiones armorum, atque insolitum tubarum clangorem, lætitia gestientis, & exultantis gaudio populi ora solverentur.

Ducebant Pompam Sacra Palladis insignia, *Cassis, hasta, noctua, clypeusq;* immani Gorgone armatus, quæ ad ostentationem prædicatæ fortitudinis, â Candidatis sapientiæ gestabantur: ut auspiciis & beneficiis *CHRISTIANI ALBERTI Principis*, jam se melius armatam jactaret Diva, quam cum olim è cerebro Jovis galeam, ab Ægide hastam; á Minerva noctuam; & à suis meritis scutum formidabile accepit. Alumnos Apollinis sequebatur sacer mystarum Chorus, cum sapientiæ Tutoribus; Hos, Urbium atque districtuum Judices & Præfecti, ut omnium bonorum consensu, cœlestiumque calculis, gloriosior redderetur tantæ solemnitatis apparatus: qui ne aliquo præjudicio gravaretur, sponte sua præcedentium pressit vestigia, nunquam satis ex prono obsequio laudata Nobilium Corona, majorum suorum gloriosa insignibus. Equestris ordinis magnificentia, gravitas, splendor, luxusque, parum à miraculis absuêre. Hos, pro propensissima in Principem voluntate, & in Musas veneratione, qui honores manserint, nescio; me non habebunt adversantem, qui in tantæ rei memoriam, tot coronis honoranda, Equestris hujus Ordinis avita censebunt insignia; quot in triumpho sapientiæ, gestientis ubique hilaritatis & lætitiæ, ostensa sunt indicia. Ut vota solverem, ita primus incepi, stabit Musis gratia, si laudatam Nobilitatem sequi voluerint

Quondam revinctus Palladia caput
Sacrum coronâ, charus Jäsoni
Vates, inexperto chelydri
Mortiferi periturus ore,
Inter Pelasgos Ampicides stetit
Tiphynq;, nonaum gurgitis arbitrum
Jussit per obstantes procellas
Fatidicam celerare pinum

Pup-

Puppisq; stratos Peliaca foros
Nondum expetito vellere nobilem
Calcare pracepit juventam
Auspiciis hilarem secundis:
In transtra fratres Tyndarida ruunt
Fluctusq; verrit grandior Hercules,
Et Mercurl proles Echion
Thessalicos glomerat rudentes:
Frater tenaces Eurytus anchoras
Molitur audax: nec Borea genus
Alas reformidans paternas,
Vela manu revoluta pandit:
Omnes Parentum nobilior decor,
Omnes honorâ progenie sati,
Incognitam Nymphis carinam
Tandem avido posuêre cœlo.
Sic vos, (aviti laurea verticis
Quos fronte prisca cingit, imaginum
Imperditas testans coronas)
Nobilium generosiores,
Nati parentum, Cimbrica Nomina,
Et nota multis nomina seculis
Virtute gaudentes Majorum
Pieriam subiisse mecum
Gaudete Cymbam, linteaq; obviis
Laxate ventis, atq; volubiles
Per invium tonsas profundum
Fluctisonis iterare palmis.
Magnoq; nisu fundite vortices
Depraliantes: dum fidibus novis
In Cimbrica vectus carina
Threicios imitabor ausus.
Et qualis Orpheus Argolicam polo
Addit juventam: non aliter mea
Vos inseret Cœlis Thalia
Pectine non facili canendos.
Seu bellicosam Martius indolem
Accendit ardor, signaq; hostibus
Erepta vicinis reportans
Arma animis gerit, arma dextris:
Seu blanda tutis otia subditis
Conclusa Jani limina nuntiant,
Fascesq; victores, Clientum
Grex, oleâ viridante cingit:

Pacemq; partam nobilium manu
Tenet virorum, quos neq; lurido
Bellona deterret flagello,
Non litui calidæq; pugnæ.
Neq; potentis provocat IngenI
Monile rubris fluctibus ebrium,
Non gemma, non toga curules
Oebalio satura veneno;
Non luce ficta perspicua nives;
Non messe quicquid verritur Africâ,
Sed facta per fastos itura
Ad similes Proavis majores.
Quod si recessus Pierii placent,
Et non prophanis cognita vatibus
Cortina, felices labores
Aoniæ venerantur undæ,
Intaminatæ quos sapientiæ
De fonte promunt nomina Cimbricis
Notata ceris. Omne dextro
Surgit opus genio peractum.
Nam cuncta si quis pandere gestiat
Ille ex arenâ non numerabili
Currentibus nodans Corollam
Vinciet implicitam procellis.
Salvete claræ sydera Patriæ
Nostroq; vecti per mare barbito,
Cursu fatigatam carinam
Astrifero sociate mundo.
Qualis pependit stelliparo tholo
Fortuna Ponti Semideûm Ratis,
Et vecta victores celebrat
Æmonios Pegasæa Puppis.

Insolitum Nobilium præconium, juvabant intercalares lituum tympanorumque fragores, his interpositi ignes, Musicorum vivacior concentus, deniq; populi acclamationes & plausus. Cumulabant solemnissimum pompæ apparatum Atheniensia Insignia, *Privilegia, Sceptra, Claves, Leges, Sigilla, Monumenta, Prætexta*, quibus aurum, byssus, purpura, fascia, novæ potestatis regiam ministrabant majestatem. Pone insignia inter votorum conceptus, inter gratulantium voces, inter lituos & classica, inter tubas & tympana, inter publicam festivitatis hilaritatem, denique inter germanum sanguinem, Rudolffum Fridericum & Augustum Fridericum Principes, majora signabat vestigia, equo, phalerisque conspicuus *Dis genitus & geniturus Deos*

CHRISTIANUS ALBERTUS,
Princeps.

Bonus,

Bonus, pius, clemens, ſapiens, invictus, optimus, maximus, & qualem qui deſiderant animo, nec viſu digniorem exoptare, votorum compotes maximorum auderent. Iuxta hunc curru triumphali invicta Cæſaris effigies vehebatur, Deorum exemplo, cæleſti oſtentatione, auguſtis præſentiæ ſuæ radiis, Aulam, Templum, Athenæum, Cives & Civitatem illuſtrans. Reverebantur eam omnes ordines & ſexus, velut ſalutare ſydus, quod votis magni Principis annuendo, ea firmare ac perficere venerit, quæ felicitatis omnium ſunt. Præcedebant quadrigas, ſuperbæ tot victoriis Aquilæ, jam ſpontanea bonitate mites; & ſigna, ex more labari comptiſſima, quacunque flectebantur, obſequium & benevolentiam affectu proniſſimo ſingulis teſtabantur. Poſtremo omnium loco, ante turmas & manipulos militares, ſequebatur triumphalem currum, devictorum à ſapientia hoſtium turba, *ira, furor, rabies, rebellio, metus, contemptus, languor, otium, deſidia, ignorantia,* captiva capita & vincta catenis. Ne fortuitò ſoluta quoquam perrumperent, (tanta erat cautio) armati per latera cives, non ſine ſtationibus & vigiliis, Deæ ſapientiæ ſecuritatem tutabantur. Dum interim pueri, juvenes, ſenes, virgines & conjugatæ, quo tanto ſe paſcerent ſpectaculo, tecta, vias, portas & feneſtras oppleverant, nullum permittentes vacuum patientem veſtigia locum. Verum hactenus non ſtetit hic plauſus & veneratio, quin ſubeuntibus jam porticum templi, totus ſeſe nobis obviam effudit Muſarum chorus, ſed cum multas gratulantium voces, plauſus publicus, undique cogeret, commodum duxit tantiſper ſilere, donec in adytis templi ſilentium feciſſet Mercurius. Ad hunc triumphum aſſertæ recens ſapientiæ, commota Pallas, viſa eſt pluribus (diſſerentibus id & affirmantibus multis) reſpicere terras, & paulatim cœlos deſerere. Crevit credentium ſuperſtitio, præſertim multitudinis, facile in grandibus & inuſitatis rebus, Deos & miracula ex machina ſuſcitantis. Glorioſum præterea fuit Urbi, Civibusque, Cœlites ipſos triumphum claudere, quem homines incepiſſent: poſteaquam prodigium invaluit, erant, qui dicerent, atque aliis pertinaciter manibus digitiſque locum defigerent, DEAM curru ſublimi reſidentem, jam templi faſtigium occupaſſe: hinc concertatio vocum, Palladem per omnia nomina invocantium, quæ illi, ſive artes ſuæ, ſive recens dicatæ ſedes, dona, & Altaria feciſſent: Ego, ne ſolus tanti fraudator eſſem miraculi, profanus alienigena; aſſumpto ex more ludorum Apollinarium lauro, Cyrrham & Pindum, totum deniq; Heliconem, in officium Pietatis ciebam, ut pars aliqua miraculis accederem, nec abfuit ſucceſſus.

Hic in Cæſaris effigie pulcherrimâ Allegoricâ intelligitur Legati perſona.

Exurge ſi quis forſitan Africo
Fibras viriles igniculo foves
Cœloq; divinæ lucrari
Particulam meditaris auræ,
Exurge, valuas cernis ut igneas
Stellans olympus pandit? ut arduos

Molitur incedens per astra
Virgo, piis manibus, jugales.
Jam nunc sonoro murmure cœlitum,
Densatur æther, carmina jam strepunt
Sylvasq; micantes relicto
Destituit Philomela cantu.
En Pallas *prodit; versicoloribus*
Subvecta bigis; qualiter aureis
Aurora flavescens capillis
Puniceos meditatur ortus,
Qualis maritans flammifer igneum
Pyropus aurum: talis amabili
Præclustris ore, Virginales
Diva *ferit radios triumphant.*
Jam strata templi limina floribus
Stipata calcat virgineo Choro
Jam messe spirantes Sabæa, &
Malobathro Syrio corollas,
Intaminatis nectere crinibus
Dignatur, aut se marmoreo tholo
Permittit innexam videri,
Virginibus sibi consecratis
Turrita demum culmina grandibus
Fani colossis fixa remetiens,
Et tecta cœlorum propinqua,
Et roseis laquear fenestris
Decircinatum, lustrat. Ab arduis
Mirata tectis Kilo-polis *stupet*
Arasq; sublimes odorans
Virgineis decorat tropæis.
Miracla præbet (credite Posteri)
Ducem honorans. Surgite, surgite,
Ad magna, Cives Sapientiæ
Prendite vos solitos favores.
Ite, ite templum Virginis inclytum
Intrate puri, diffugiant retro
Orci Coloni; syderato
Quos Erebus furiavit oestro:
Quiq; impudicæ stagna libidinis
Deplere sueti: quiq; meatibus
Venantur occultis caducum
Hospitis innocui talentum
Exeste; si quos crimina polluunt
Intaminatis noxia mentibus
Hoc limen albentes receptat
Virgineo stibio Cothurnos.

Applau-

Applausum retulit à Mystis ex Antistibus novissimorum versiculorum, liberalis in scelera & sceleratos objurgatio, atque ter complosis manibus, jussere voce magna exesse Profanos. Illicò recepta in templi atrium multitudine, interiorem testudinem, triumphantis populi coetus occupavit. Ædis penetralia, DEorum non minus, quam Musarum adytus videbatur. Huc gemina signa, Palladis, & Cæsaris; illa ab Apollinis sacerdotibus, hæc à legionibus sapientiæ illata. Primo loco, sacram *Augusti Leopoldi Primi Imperatoris* imaginem: secundo novæ sapientiæ Statorem Principem, *CHRISTIANUM ALBERTUM*, cum cæteris Principibus & Heroibus, atque Philosophorum turba, sacrorum Pontifices humanissimè excepêre. Suo quisque stans, aut considens loco, clangentibus interim, martialem in modum tubis, & tympanis haud segnius intonantibus, sequentes laudes Principis, præcentore Apolline, & chorum ducentibus Musis, suavissima modulatione cantatæ sunt.

Auguste Princeps, regiæ Proles Domus.
Cincti corona triplici Regis nepos,
Da vela Musis fautor adspirans meis.
O quanta lux! ô Patriæ tu sol tuæ!
Illustre dudum Nomen, omnis omnium
Amor, voluptas, fax bonorum publica,
Compendiumq́, & dignitatum Phosphore
Vix Urbs vetusta gaudium capit novum,
Præsente te, laudumq́ sub fastigiis
Eunte, quà vestigiis humum premis;
Te plaustra famæ dum per ætheris vias
Et ampliores nubium tractus vehent.
O quanta lux! ô Patriæ tu Sol tuæ!
Assurge Cœli pignus, ò Celsissime
Sanguis Regum! & major assurge ad tuam
Sic Magne, sortem. Sortis hæc præludia
Crede amplioris, Perge quo laudis vocant
Exempla avitæ pristinæ, & pleno spei
Ascende rerum culmen arduum gradu;
Præconiorum laxius circumpatet
Tibi theatrum, magna quà tellus patet.
O quanta lux! ô Patriæ tu Sol tuæ!
Nascenti casta adstare cunis gestiit
Minerva nutrix, & tenellulo tibi
Notas sagacis indidit solertiæ,
Animoq́ cœpit protinus se condere
Ad alta nato. Palladi tres Gratiæ
Junctim adstiterunt, & soror cunabula
Triplex rotavit, vultui decor triplex,
Placidumq́ ocellis additum lumen fuit,
Frequensq́ sensim lusit in te suavior
Charitum venustas, & venusta suavitas.

O quan-

O quanta lux! ô Patriæ tu Sol tuæ!
Paulatim honesti cultus, & scientia
Junctim vigescunt. In dies gliscet novus
Ardor notandi, quid malum, turpe, probrum,
Quid sit decorum, fasq;, Victuro piè
Nostin quid Scholis gloriosum, quid Aulis,
Sceptrisq; summum quam sat imperet potens
Trajanus alter, si quis imperet bonus,
Subdatq; Rectori ipse se Rector DEo.
O quanta lux! ô Patriæ tu Sol tuæ!
Nostin & illud, cùm perambulaveris
Lector vetustis, facta, factis prodita:
Quam parva crescant, magna vi magna ruant.
Quam mox suprema, mutet imis, infima
Rursum supremis, vis supremi Numinis.
Quantaq; Reges exuant Regnis vices,
Reddantq; Regna. Quàm nec arx ahenea
Murusq; triplex, nec satellitum cobors
Diadema sicæ liberent malæ metum.
O quanta lux! ô Patriæ tu Sol tuæ!
Iras furentis Appii fastidies,
Mariiq; turbas; & secures Manlii,
Rabiemq; Brenni, & execrabiles minas,
Cædes Neronis, Claudii luxum & gulam,
Caligæq; fœdas impii libidines.
Multum placebit lenis indoles Titi,
Parcensq; victis mitior clementia,
Et erudita mens, stylusq; Cæsaris,
Et eruditis dextera Augusti favens;
Dum non minori cura, & arte se tuis
Armata Pallas, Marsq; Musis junxerit.
O quanta lux! ô Patriæ tu Sol tuæ!
Nunc Te favores, terq; Princeps, & quater
Beate, crebri, spontè gaudent prosequi,
Hoc Chila Musis incluta, per te dies
Magis fatetur ire festivos sibi,
Cimbrisq; reddi secla terris aurea
Illa, illa famæ cymbala, optime Ducum
Patribusq; priscis, secli Achillibus sui.
Tecum renata Patriæ spes, optat, cœlum
Vive, vive, votis, annuit concordibus
Æterna lux, jam Patriæ sis Sol tuæ.

Cantatis laudibus, inter vota, vocesque populi gestientis, inter organa, tympana & classica, *Præses omnium sacrorum*, pro Imperatore dicturus, & compositio-

positus ad imperatorii vultus majestatem, Rostra nullo cruore attaminata, sed nativæ virtutis colorata purpura, conscendit. Silentio compositissimo, multi collatis capitibus, manus, digitosque in sacrorum Præsidem, ego etiam aures, & oculos intenderam. Non ita Gubernator in oceano pervigil, nocte syderum motus custodit, ut mea curiositas, non tantum in vultu, sed in verborum quoque fastigiis hætere videbatur. Tanta erat vis in eo divini afflatus. Substitêre mecum omnes, reductoque moderatè spiritu, & *favere linguis*, in Apollinis sacris, summam religionem duxêre, Orante ad omnium stuporem Præside, non semel tacitus volvebam, O superi! hoccine istud est, Musophile, quod toties in isto penetrali latens aliquod Numen, tibi omnia insusurrat. Nam profecto aut numen fuit, aut Genius Principis, tot mea desideria, vota, cogitationes, atq; hunc animum, motu quasi tacito, ad hos sapientiæ cancellos ducentis. Prosequebatur interim prolixius sacrorum Præses, quæ firmare poterant beneficia Principis, & Cæsaris bonitatem, & cum singula non possim, aliqua referam, quorum sensum tenacius impressi, maximè quæ ad Cæsarem, Principem, & sapientum Civitatem pertinebant. Cum igitur ad laudes Cæsaris pervenisset, gravius vocem extulit, & simul exclamavit: *O AUGUSTE! ô LEOPOLDE! quicquid magnum dixero hodie, infra magnitudinem erit imperantis; quicquid mediocre, minus fuerit augustæ stirpis gloria. Cæsar es imperio, sed subditorum Pater verius, quam Dominus. Prior appellatio magnanimitatem; posterior, bonitatem indicat. Illa in terris magnis Principibus communis, hæc cælesti cognomine illustris.* Cum enumerasset beneficia Principis, ad eum conversus: *Gratiam tibi (inquit) Princeps optime rependimus, cujus bonitate & clementiâ nixi, hodie demum crevimus ad honoris maturitatem. Reddimus gloriæ aliquod authoramentum, cujus ope, & beneficiis, hunc spiritum ducimus, & ad sapientiam animamur. Tangimus dextram grati, manus osculamur, & mortale veneramur Numen, quod omnium nostrum providentiâ suâ, procuravit felicitatem. Adoramus proni cœlestis in Principibus magnitudinis divinum Genium, cujus sydere, ope, cura, sollicitudine adjuti, in hanc honorum felicitatem evecti, domi felices & securi; foris, honorabiles, & gloriosi sumus.* Demum ut á laudibus Cæsaris cœperat, in iisdem desinebat, sermonem masculè concludendo. *Gratulentur sibi omnes in Patria ordines, maximi, medioximi, infimi. Eques, Senatus, Civis, Peregrinus, atq; hæc ipsa Civitas Kilonia; ac Romanam numeret inter sua felicitatem. Obstrictam se auspiciis & beneficiis,* LEOPOLDI, *AUGUSTI fateatur*, ignobilis & ingloria futura, ni per bonitatem Quiritis in literas ejus, ac per literas in secula ivisset. Tanto hæc studio audita sunt, ut vix majorem applausum Æschinem crederes tulisse, cum suam, & Demosthenis orationem, postulantibus Rhodiis ostendisset, ut etiam in acclamationes & voces erumperent, *feliciter Leopoldo Primo, Romanorum Imp. semper Augusto. Feliciter Christiano*

Alberto Principi, feliciter Regiæ Proli, feliciter Reipubl. Sapientiæ & Civitati.

Acclamationes publicas, juvabat clangor tubarum, & tympanorum strepitus, nec interim vacabat Nympharum chorus, inter amabilem Symphoniarum concentum, laudibus & præconiis Leopoldi Imperatoris occupatus. Addebatur anxio timidoque animo, in publico plaudentium ardore subita audacia, ut meum quoque accersere auderem Apollinem, cujus afflatu, laudem & gloriam sacrorum Præsidis non invitus pertexerem.

Ægea quondam remige marmora
Simone tranans, Hesperia redux
Methymnæ alumnus, hæc Cygneo
Orthia vocificat sonore.
Non una cœlos numinis arbitri
Rotundat Iris: plurima circulum
Pupilla naturæ fenestrat
Omnivagæ speculare mentis;
Quod lustra, Dium Nerea, & infimi
Rimantur orci claustra, adamantinis
Signata valuis, quod gemellos
Asteriæ exoculat nepotes.
Hæc ille, plectro cærula temperans,
Nos fabulari de cinere auream
Kielmanne *libantes favillam*
Ante tuas statuemus Aras.
Illa æviternam perpetuans Pharos
Divina lucem, te prior occupat:
Blandoq; designans ocello,
Ille meus, meus ille, dixit
Tholo Kielmannus, *dignior Astrico,*
Cimbros bigemmi sydere luminet:
Atq; Legatorum tiaras
Splendidius reliquis venustet.
Gaudete Musæ, dum novus æthere
Legante Præses, doctaq; causiæ
Ligamina auratæ receptat
Et meriti diadema honoris.
Gaudete: Cœlum Præsidis, auream
Decircinavit tempore lauream,
Templo in perennitatis aureo
Sydereum statuens tropæum.

Jam populus expectabat Aras, acerras, hostias, suffitus, mactationes, sed hi adhuc nidores & victimæ, non placuêre Apollini, cujus propria portio Religionis & honoris est, sapiens quæsitum, & responsio. Hinc præcedenti nocte adstare visus est sacrorum Præsidi, sub specie Morphei, aliud, quam victimas, monentis.

Quid

Quid (inquiebat) *refert cras publicæ inaugurationis strepitus, si taceant sapientes? Apollinis conveniant oraculum, ne qua sit suspicio sollicitatæ diligentiæ in cultum, aut affectatæ ambitionis, in Prætextam; qui, ad ejus quæsita, sapienter responderit, huic Dei, ac divini senatus suffragio, Prætexta & purpura traduntor, & Philosophorum Antistes appellator.* Igitur remissis tantisper oblationibus & victimis, placuit sacrorum Præsidi, ad tripodem Apollinis vocare sapientes; indicto proinde clamoribus silentio, Mercurius locutus est. *Macti, Macti honore, dum honores proponuntur sapientiæ, sapientes audite. In hoc emporio Philosophiæ, divina Aula Academia, vos oraculum vocat; sapientissimè respondenti, lucrum & præmium est, Purpura & Prætexta, nomenque sapientis.* Istis Mercurii verbis attoniti sapientes, veluti fulmine percussi substitêre exangues, mox resumpto spiritu, rubuerunt verecundius. Obligavit tantisper linguas mistus stupor, pudorque, tandem excusare (gratiis ut par erat actis) tentarunt excusationes, licet modestissimas, & quæ septum pectoris haud violarent. Nec enim sapientis est, vomitus solatio, evacuare injurias integras, sed digestione consumere. Verum excusationibus obstitit Mercurius. Satis (inquit) vos rubor excusat: nam per ora conspicuus cruor conscientiæ mucrone fusus, proluit omne piaculum, & lixivium cordis est, cujus emaculat intimas culpas eruendo. Ingenua & congrua excusatio sit, prior, suppuduisse: altera erit, consequens obsequium, si ad jussa sacrorum Præsidis, ad oraculum Apollinis festinetis. Cum hoc dixisset Deaster, se ad adytum oraculi contulit, ut inde obscuras quæstiones hauriret, quas sapientibus proponere divino placuit oraculo. Cingebat dextrum latus Alcides, aura Elysia, & primogenitis Lunæ stillicidiis alitus, & veteri cultu, clavâ, & exuviis Leonis ornatus; ut ad sapientiam aspirantibus & tendentibus ad virtutem solidum monstrorum domitor inculcaret laborem. Sinistrum latus occupabat Minerva, calanticis, & peplo albicanti obnupta modestissime: manubias candentes (sic nova ferebat religio) stringente dextera; sinistra crystallinum umbonem, pantarbo lapide stellatum, ut cœlestem circulum mentiretur, nisi centrum noctua fecisset: fortè, quia Sapientiæ privilegium, modestia est, & militantibus illi, tessera, vigilantia. Sedebat Mercurius in throno, cui materiam, lignum, dedêre Musæ proximè assistentes: tecto vultu, tralucidum (prodebat consilium DEi) vasti oraculi oppansum, ut nemo dubitaret Mercurium, ex Apolline loqui. Pauca primo quæsivit Deaster. 1. Quod præstantius sigillum, aut quæ benignior imago, cui conformari foret ominosius? 2. Quid optandum? 3. Quid excellentius? 4. Quid conducat Sapientiæ? Novissimè, quis demum sapiens esset? Observantibus Philosophis novum spectaculum, & audientibus interrogationes, admiratio silentium indixit. Tum Sacrorum Præses, O viri sapientes! num Pythagoræ legibus subscripsistis? cur ad sapientiam obmutescitis? annosa ille silentia præscripsit tyronibus, ne quid novitate mirati, laudarent temerè magna æstimantes: maxima, quæ ignorata; dimensi sapientiam alienam ignoratione propriæ. Silere Philosophus jussit, ut discerent loqui, & cum tempore docerent, laudare non dubia. Nunc abrogatæ silentii leges, & ablegatæ sapientiæ lumine; cui non minus laudes injustum est non solvere, quam inglorium taciturnitate contemnere.

Theologorum censura. *Præmium* hiç lingua habet, hoc eſt, digna quæſito, Reſponſio, cujus majus pretium, quod à virtute & meritis exigitur. Hoc Sacrorum Præſidis venia, monitu, ſoluit admirantium taciturnitatem unius audacia, nomen & Patriam ſtudio ſapientiæ peregrinando perdiderat, apparebat tamen ob ſcientiæ ſublimitatem, divini Platonis ſectatorem fuiſſe, quem, in ſui locum ſuffecerat Philoſophus, ſolito ardentius in Ideis occupatus. Hic igitur eo ordine, ut ab oraculo pandebatur, reſumptis quæſtionibus, reſpondit ad 1. Imago Dei, & ſimilitudo cujusq; ſui. Oportet n. ad auſpicia virtutis, & fortunam ſapientes ſimiles ſibi affingi ſemper, ne vagos precariis moribus, & labiles ſeveritate volubili egregios trochos reperiat ludicra Dea, quos concutiat libenter, & cæco ſcuticæ ictu circumagat. Ad 2. non aliud optandum, quam quod optant Numina. Ad 3. nil excellentius, quam æqualitas divini voti. Ad 4. Sapientiæ, nihil æquè conducit, quam inſipientia: plus ſiquidem proſunt inſipientes ſapientibus, quam ſapientes inſipientibus proficiunt. Ad ultimum. Sapiens is erit, non qui ſciverit omnia, ſed, qui ſe non ignoraverit, nam etſi omnibus utatur ſcientiis, ſeipſo uti non poterit, ſine ſui notitia; qui autem ſe uti neſcit, quomodo utetur Deo? Cum hic ſubſtitiſſet, adjecit adhuc quærere oraculum. An dimidium ſapientiæ partiri poſſet, & quale eſſet? nil hæſitans dixit, interrogare eſt dimidia ſapientia, Qui interrogat ſapientem partiarius ſapiens eſt. Omnium judicio ſapientiſſimè viſus eſt reſpondiſſe, ut & oraculum dubio, & admiratione circumſtantes ſolveret; adeo, ut nemo accedere Deum, propius, vereretur, ſiquidem & vultus *Præ*ſidis blandior, omnium voluntates provocaſſet.

Philoſoph. cenſura. Acceſſit igitur Ariſtotelius, é Stagiritica ſecta *P*hiloſophus, ab hoc quæſitum. Quæ Virgo illa eſſet, quæ manus ſuas comederet, iisdem alita, nec tamen manca eſſet, aut mutila? Reſpondit. Virtus eſt, quæ uſu manuum gliſcit, operibus veſcitur; ſemper actibus ſaginata, nunquam ſatura, neque tamen unquam alimentis egena; niſi illam frangat, otium, deſidia, negligentia. 2. quæſivit oraculum. Ubinam Gentium reperitur hæc laborioſa Nympha, aut ubi quærenda eſt? Reſpondit *P*hiloſophus, è paternis laribus peregrè abactus, cum omnes curioſius inſpexiſſem homines, nullibi illam reperi, niſi in Ruſticorum caſis & in conſortio miſerorum, quorum manualis ſapientia erat, non mentalis, aut vocalis, quales hodie multos orbis ſuſpicit *P*hiloſophos. Ruſticorum, & afflictorum *P*hiloſophia, eſt non niſi manuum, & ex opere & officio adminiſtrare cuncta, copioſi dextrá, contracti linguâ, quibus manus, pro mente ſufficiebatur, & ſufficiebat.

Aſtrologorum cenſura. *P*ercuntatus deinde ex Mathematicorum cœtu Thaleſius. Quid nam eſſet, quod irrito pedum uſu, oculis ambulare ſciret? ambitioſius reſpondit. Aſtronomia eſt. hæc oculis incedit, demonſtrationibus currit, quæ ſi ceſſent, ſubſiſtit. Sublime & penſile ſtudium noſtrum eſt, oculis, non pedibus metiendum: quippe cœlum verſus, parum pedes valeſcunt. Riſum dedit ex Tripode Apollo, ut ſubito pudore confu-

ſus

ſus obſtupeſceret Thaleſius; ad quem cæteri, ô judicium iniquum Apollineæ mentis! pudet artes noſtras, ab uno riſu victas. Tum Deaſter, fruſtra cœlum oculis percurritis Aſtrologi, rerum earum quæ ſub pedibus incurioſi; nec lapſum advertitis, dum oculos fatigatis. Longius reſtat ſpatium, quam quod aſpicitis, quo, non oculus, ſed mens veliſicanda eſt. Subſiſtente oraculo.

Accerſitus Euclidius, à quo quæſitum. Qualis eſſet ſapientiæ figura? Reſpondit, Tetragona. Quia ſapiens quomodocunq; jactetur, eodem modo cadet, ſive non cadet, quia gradu ſtabit eodem: neque alium ſitum in proſperis, aut in adverſis habet, niſi ſtatum, nec-unde labilem, quadratione ſua fundatum. 2. Quæſivit de Amoris figura? Euclidius circularem eſſe; quia ab eodem in idem revolubilis eſt legitimus amor. Hac occaſione rogavit oraculum Geometras, quadraturam Circuli. Si orbicularis (inquiebat) eſt ſtudioſus ſapientis amor; & ſapientia virtusque quadrata, ſphæram iſtam, & tetragonum conſentire, oſtendite amores ſapientiæ, & veſtræ Philoſophiæ nomen componite. Ad hanc interrogationem, non ſine circumſtantium indignatione, omnes in confuſo loqui cœperunt. Stagirites ignorari dicebat. Bryſon tentavit futili argutiâ; nonnihil artificioſius Hippocrates, cum lunulis ſuis & hemicyclis. Archimedes autem demonſtrabat per helicas, incurvasque lineas, ſinguli, ſine guſtu Apollinis. *Geometr. cenſura.*

Donec vocaretur Eupompus, ut opticorum nomine reſponderet: Cur pravi videantur ſæpè recti, & è contra? Reſpondit. Injuria (Dive) veritatis frequentiſſima; quia per contrarias rebus cenſuras, præcipitat nos opinio. 2. Quæſivit Apollo, cum inclinatio fit ad perpendiculum, cur recta ſubinde, quæ in eminenti ſtant apparent jacentia, & quæ jacent, videantur recta? Hæc ars (inquit Eupompus) fortunæ eſt, quæ homines in ſublimi locat, & nitentis metalli radio, ſuſpici faciat, rectos mentiatur, felices ſimulet; nam pravi ac miſeri plerumq; ſunt divites, mentis dejectæ, obliqui moris, atque conditionis afflictæ. Placuit omnibus reſponſio. Hinc 3. Deaſter quæſivit per varia artis lemmata. Cur ſuperficies adumbrans corpus ſolidum, caliginem facit. Reſpondit, ſicuti puncti umbra eſt linea infinita, ita minimum ſapientis erratum, maxime obſcurat; & ſuperficialis error, profundè poteſt damnare. Addidit 4. oraculum. Quare ſol ſpectari poteſt priusquam exoriatur, & poſtquam occubuit gradu uno ſub horizonte merſus, Luna non item? Reſpondit. Quia ſol magnitudine terram ſuperat, luna vero quia minor etiam ante occubitum diſparet. Ita ſapiens, qui mundo omni major eſt, etiam poſt mortem clareſcit, & poſthumus fulget, vivitque. Ignobilium vero animorum oblivio præcurrit fata, atque etiam ante mortem ſunt ſepulti. Delectatus reſponſione ſapienti Apollo adhuc 5. quæſivit, petiitque ut oſtenderet aliquod inſtrumentum metiendæ mentis. Breviter reſpondit. Actio, non ſermo eſt animorum dioptra, inde quam ſit mens alta hominis, cognoſcitur. Stupebant intricatarum diſertiſſimam ſolutionem quæſtionum. *Opticorum cenſura.*

Arithmeticorum censura. Successêre Arithmetici, peritissima Calculatorum secta, quærebatur ex iis, utrum ex numero impari, fieri possent duo pares? Respondit omnium loco Tymarides. Ita (inquit) accidit, ex imparibus rebus divitum & pauperum fiunt curæ pares. 2. Quæsitum, quot sint unum & quatuor. Hæsitabant omnes, ex facilitate quæstionis arcanum suspicati. Ut sese explicaret, addidit oraculum, unum & quatuor sunt duo. Plus mirabantur. Sed intellecto mysterio Pythias & Damon miri amoris & fidei responderunt. Duo Amici, sunt unum & quatuor. Quando illos amor unit, fiunt unum: quando quisque reputatur transformatus in alterum, ut est vis & ritus amoris, fiunt quatuor, nam duplicatur uterque, nempè se contrahunt, se multiplicant amantes. Hujus solutione quæstionis, nescio quis ex adstantibus permotus, altissimè suspirando exclamavit. O vis Amicitiæ quantum es præsidium adversus injurias fortunæ, nullibi esse; id est, non esse; interdum hic & alibi esse, id est, duos esse.

Juristarum censura. Raptus verborum sonus ad pulvinar, rapuit furorem Apollinis ad juris Arbitros, & Legum Dictatores, quibus major litium, quam benevolentiæ cura est. Igitur accedentem propius Justinidem, his verbis excepit oraculum: Nunquid ô Hospes Atheniensis, leges publicas, & res privatas perdocte, fieri potest, ut sit debitum, quod non licet Creditori exigere, nec queri de debitore iniquo? Ad hanc interrogationem obstupuit Justinides, quia nullam pro assensu authoritatem in Codice legum, vel in gestis, jam digestis hominum legerat. Juvit ignorantiam Apollo. Honos (inquit) est debitum, quod flagitari non potest. 2. Quæsitum, quid similius Justitiæ? iterum hæsitantem docuit oraculum dicens. Injustitia, æquè utrisque libra est propria. Nam injustus Judex, ut lances, eo inclinatur, ubi plus datur. 3. interrogavit. An finis semper distinguatur à medio, interdum enim coguntur una. Hic promptior Justinides finis (inquit) rectæ gubernationis est facere bonos: recte Tito censente, spartam, idcirco servari, quod Reges scirent imperare. Minime (regessit oraculum) sed quia Cives parere, ars regia est, obedientia populi. Nescient magistratus jubere, nisi plebs obtemperare sciat, aut discat à Magistratu. Subjecit novissime Apollo. Uter esset amans, id quod odit? Apte respondit Justinides iracundus & ultor, cui tantum amentiæ redundat, ut injuriam, quam factam reprehendit in alio, ipse facere desideret; factus imitator inimici, quem tametsi oderit, factum amat; invidetque propterea, quod odit. Nefas ulterius existimavit Deaster, in sapientum congressu, deliciari causam odiosam.

Medicor. censura. Igitur admoniti Æsculapii Sectatores, rogatus est Galenius. Quod Recipe, efficacius esset, ad servandam sanitatem? Diæta (respondit) sive Abstinentia, hujus ego sacris initiatus, & colui Hecaten vegetis officiis, & nunquam senui. Illa est alimentum vitæ beatæ, & compes juventæ, & mystarum character divinus, & mentis promus: quantum demitur escæ, tantum acuminis additur, quia appendix sanitatis & sapientiæ

entiæ eſt,cibus cum ratione detractus. 2. Quæſitus eſt. Quis ægrotus, ſimilior medico ſano? multum hærente Galenio: Subjunxit oraculum. Invidus. Medicus ſe haberet peſſime, ſi nemo male: ſic livore tabeſcens,ex damnis pendet,&infelicitate fortunatur aliorum.

Hic deſinente oraculo, appropinquabat inſolentius Dialecticorum turba, fronte, digitis, unguibusque,in cornutum ſyllogismum armata. Verum quia Minerva pacata ſolum pectora adhiberi oraculo voluit; quibus insereret olivæ ſuæ pacificam frondem, ut vernantes jugi tranquillitatis virore fructus Pacis, de ſucco ſapientiæ germinarent; propterea repulſis, & exeſſe juſſis Sophiſtis,Rhetoribus ſpatium fecêre. Dialecticorum repulſa.

Quibus accedentibus, quæſitum à Cicerio. Quæ eſſet facultas oratoria? Reſpondit. Eſſe benedicendi facultatem: putabam (retorſit Apollo) Bene vivendi, quæ non in dicendo, ſed agendo conſiſtit: ſiquidem tum recte loquetur, cum operabitur virtus. 2. quæſivit: quis finis artis oratoriæ,ſive oratoris? Dixit Cicerius, dictione perſuadere. Imo (retudit Deaſter) exemplo: nam facilior per exempla,quam præcepta,via eſt ad virtutem. Rhetorum cenſura.

Tentanda jam venerat Poetarum prudentia, ſed quia hæc tum prudentiſſima eſt, quando incipit ac deſinit in furorem; non videbatur ſacrorum Præſidi,ut peculiaris Muſarum natio, daret experimentum divini furoris,ex Heliconis edoctus Privilegio, Poetis laurum potius, quam Prætextam & Purpuram convenire. Igitur Mechanicis dabatur locus. Poetarum exemptio.

Inter hos, poſtulatus fuit Archytas. 1. An daretur pondus, cujus dimidium gravius eſſet,quam totum? Dubitante illo; Utique eſt; (repoſuit Apollo) nam ut ex fortunæ ſubſidiis, plus eſt dimidium quam totum; illud magis juvat: mediocritas enim uſualem fortunam reddit & ſiſtit. In magnis cenſibus, multa ſuperflua ſunt,omnia ſuſpecta. Nemo magnam felicitatem diu ſuſtinere potuit,nemo frui aliquando tota. Rurſus 2. ab illo quæſitum. Utrum qui capit continens, neceſſe ſit capere contentum? affirmavit Archytas. Repugnavit Deaſter dicens: Sapientis corpus capi poteſt & claudi,non animus, qui liber eſt, etiam compreſſis artubus. Mechanicorum cenſura.

Reſtabat infelix Grammaticorum numerus, inter quos eminebat ſtaturâ Priſcianus, cujus frontem, vultum,genaſque non modo ſenectus, contemptus, odium confuderant; verum recens quoque expectatione oraculi metus,in ſupremum pallorem,ac propè mortem deduxerat. Stabat incurvus ac triſtis poſt cæteros,tanquam communis victima odii,proſcriptus, aut minutus capite, & feritate præcipientium multa orbiliorum, & plurium malevolentia diſcipulorum,planè infamiâ notatus. Hoc gemino præcipuè vulnere afflictus, ambulare non poterat, derivantibus in pus & fiſtulam vulneribus. Ut ſeſe nominari audivit, ex deſperatione audacior factus,* ancillarum opera ad ambulandum nitebatur. Interrogatus à Numine poſtquam acceſſiſſet. Quid eſſent Literæ? Priſcianus, quaſi ab invitatione quadam igno- Grammaticorum cenſura.

* Ancillarum nomine veniunt,or-

thographia, Etymologia, Prosodia, Syntaxis. Quid sint humaniores literæ.

ignorantiæ, rogitando, ipso in aditu specimen modestiæ, non ostentationis coluit. Rebatur conscientiæ intendi solatium, impari & remissâ opinione, re satius modestiæ, quam specie sapiendi, ipsam commendari sapientiam. Idcirco ut humiles quoque literas, laude humilitatis cumularet, respondit cultor humilis, humillime. Literæ ô Dive! sunt levissimi plumarum instar apices, quibus reclinata suaviter, gravissimæ etiam sapientiæ moles recumbit. Sunt fontes, quorum liquoribus, perpluitur ad eruditionem barbaries. Sunt humani Genii, quibus ad humanitatem formatur cum feritate, & ipsa humanitas: Sed quotus hodie tam humanus, ut has humanissimas alumnas sub tectum suscipiat? hic plura dicere volentem, occupavit tussis. Quæsitum 2. an multas classes admitterent literæ? Negavit senecio, asserens, ex multitudine majorem confusionem futuram. Paucas ipsas literas esse, & ad duas tantum classes revocari, nempe in *Vocales* & Consonantes. Vocalis enim debet esse sapientia, non muta & elinguis, censente Satyrico

Scire tuum, nihil est, nisi te scire hoc, sciat alter.

Consonantes non explico, arcenda enim est ab hoc cœtu discordia: si tamen veritas dicenda, grandis illarum ignorantia, cum nullibi, quam inter Literatos asymphonorum animorum, major dissonantia est: quorum injuriis & contentionibus, quam funesto bonæ literæ afficiantur mœrore; testor hoc truncum corpus, hoc caput, hanc calvitiem, & hanc frontem, genasque nulla non cicatrice & charactere deformes. Voluit oraculum aliquid etiam quærere de Elementis, sed ad testificandum dolorem, antrum gemitu immugiit: tum primum sinistro literatorum, aut literarum omine, flevisse Apollinem jurarunt Antistites. Mora data Numini, ut respiraret, Calliope gravius intonuit: jussus interim ob debilitatem corporis ad latus considere Herculis, Priscianus.

Auree Apollo, verte jugalibus
Auratisq; rotis, ne fle, da gaudia
Promissa populo. Cernis ut igneæ
Virtutum Choreæ, nablia Cœlitum,
Æternæq; lyræ, sertaq; gemmeis
Torquata ordinibus, deproperent polo.
Et Pæana sonent, junctaq; dexteris
Dextrarum series, & rosei pedes
Pulsent aligeris sydera gressibus.

Dum vultum suum recipit Apollo, & tubæ simul & tympana gaudium revocant, non vacabat sapientiæ theatrum. Acceptus Priscianus omnium benevolentia, plausuque communi; quorum alii justis compatiebantur doloribus; alii dignis suffragabantur querimoniis: multi admirati vegetam in canitie memoriam, plures causæ veritatem; cæteri, qui humaniores & amantiores humanissimarum literarum, post-

quam

quam amplexibus muliebrem in modum ad invicem certassent, osculabantur calvitiem Prisciani. Populus animadverso officio sapientum, jam aliorum præripiebat palmam, atque propositos animo disponebat Grammaticis honores. Verùm Priscianus sagacior, cum sciret omnem honorem ironiam esse, quod taxaretur plus adulatione, quam meritis; virili, manuataque Herculis indole, petiit dimissionem; vitium senectutis suæ causatus, nunquam honori molestæ, sed amantis virtutis, cui vanus titulus, nunquam desiderium; nec operæ pretium honos, sed onus. Quo dicto, mutuatus à Hercule trabeatum tot cladibus scipionem, lento cum ancillis gradu, ad Grammaticos concessit.

Igitur nemo adhuc expers palmæ fuit, futurus unus expers. Nam etsi divinæ censuræ, & examinis ritus, communem rem sapientibus, & dignitatem faceret, unus tamen omnibus Deorum & hominum judicio, debuit prævalere. Nutabat Sacrorum Præses, & metuebat discordiam. Meminerat nuptiarum Thetidis, & amari exitus, & acerbioris damnationis; ne lætitiam summam, quod interdum usu venit, luctuoso funeraretur fine, plurium tristitia, & exultatio unius; uti in judicio Phrygio fecit periculum. Nec patientiæ confidebat muliebri, ne sustinere iterum videretur tribunal agreste, aut ignominiam repulsæ suæ, compensaret alienis damnis, quæ sunt stultorum, aut crudelium solatia. Igitur conversus ad DEum & Principem. Cum sit lis (inquit) & præmium sapientiæ, decet sapientissimum à sapientibus nominari, illicò urnam & calculos, ut irent in suffragia, porrexit sapientibus. Gnari Philosophi expectatum ab omnibus præmium, non omnibus dandum, mutuâ reverentia temperante spem, præsumptione castigatâ, excogitaverunt, singulos spe contentos, omnes remunerari, unico ex illis electo; atque singulare unius præmium, plura omnium facere, artificio abstinentiæ. Renunciarunt juri omni in Deos præsertim cognatos Mercurio & Apollini: quippè non aliter sufficiunt res omnibus, nisi contemptæ, ipsaque recusatio & contemptio rerum, quidam fructus earum est, & usus dominii. Ita modestia singuli decori, & sola spe locupletes, præripuêre suffragia, atque purpuram & prætextam, quam nemo habebat, donarunt, præcoce quæstu, & artificiosâ ex temperantiæ opibus liberalitate. Prisciano, & nescio cui Peregrino. Quorum tamen alter, non obstante superbo humillimarum literarum indulto, quia fuste melius, quam fastu solidabatur in pedes, publicum honorem, publicè contempserat. Alter, ignotus & alienigena, expertus jura & favores haud favere Peregrinis, spem tanti obtinendi fastigii plane projecerat. Nihilominus diminutis pertinaciter Candidatis, ad hos duos ducta æmulatio. Verum ne ludo quodam cupiditatis simularent ambitionem, quam serio ludicri homines dissimulare student, remissa cum calculis urna, controversiam oraculo permisêre. Signum ratæ Electionis & Electi fore, quem Musæ osculo dignarentur. Solvit metu non dubio sacrorum Præsidem, & expectatione populum, prudens sapientium pronunciatum; proinde ne iniquius sententiæ latio accipi putaretur ab oraculo; grandi omnium Musarum impetu.

Intonuit felix Helicon, fluxitq; Aganippe
Largior, & docti riserunt floribus amnes,
Quos neq; frigoribus Boreas, nec Sirius urit
Æstibus, æterno sed Veris honore rubentes,
Fons Aganippæa Permessus educat unda

Unde piæ paſcuntur apes, & prata legentes,
Transmittunt ſeclis Heliconia mella futuris.

Nec mora, Comites Apollinis Muſæ, quaſi ſapientium nutui obſequentes, viſæ ſunt plaudentes ex Parnaſſo deſcendere, & cancellos Philoſophorum cum choreis circumire, ut unum inter ſapientes, oſculo exciperent ſapientem. Res mira! ille plane fuit Peregrinus, in cujus honores, fata & ſapientia conſenſerant; quod in ſchola divinitatis ſupra Platonem profeciſſet, atque ſummum ſublimis ſapientiæ decus in ſui ipſius collocaſſet notitia. Ergo ut ad hunc pervenere Muſæ, arctius manibus complexum, non oſculo tantum ſed & laudibus ornaverunt, omni inſtrumentorum genere ſequentia cantantes.

Nordalbinga ſtupens hæret, adoreæ
Miratrix gravidæ. Chilia Præſulem
Conſpexiſſe ſuis laudibus additum
Gaudens, perpetuis tollit honoribus.
Muſæum, *Stygii progenies Gregis*
Declinat Erebi nata paludibus.
Namq; illi ſolidum robur, & arduo
Evibrata ſtilo ſcripta, perennibus
Duravêre notis. Stat vigil æneo
Mens firmata loco: qualis Atlantico
Incumbens humero Cancer, & ignei
Curvatura Poli: vel Babylonico
Moles Pyramidum perpetuant foro;
Et furvæ Meröes atria fulciunt.
Non tot fluctiſono gurgite Cycladas,
Ægæi Genitor Cæruleus freti
Nereus exagitat, quanta voluminum
Clarorum ſeries nobilitat virum.
Huic ſacras tabulas, juſtaq; Numinis
Decreta, æthereis ex penetralibus
Divinæ reſerat vox ſapientiæ.
Si laudes reliquas dicere geſtiam,
Non uno tenuis pectine barbiti
Contentus referam. Sat mihi, ſat tibi
Laus jam ſydereos ſi tribuit toros.

Non memineram Nominis, neque circumſtantes, nam in peregrinis regionibus, quadam temporis omnia abligurientis conſuetudine, aut mortis natura, pereunt, aut funerantur ignotorum nomina; ni ad publicam pompam faſtumque, multo ſplendore, opum prodigentia, ſtipatorum ignavia, & adulationibus palponum, calamiſtrata prodantur. Huic felicius accidit, ab ipſo Apolline ſortitus dignitatem & nomen, dictusque Muſæus, ſine dubio, quod eum Muſæ arctiori vinculo complexæ, omen feliciſſimum, ſacrorum Præſidi, atque literarum ſtatori feciſſent. Poſteaquam Sorores Pierides perfudiſſent Antiſtitem Sapientiæ de guttis Caſtaliis, etiam ultra ſe beneficæ, prodiit jam ſuo vultu, in medium Mercurius, ut diſpenſante ſacrorum Præſide, Purpurâ & Prætexta Muſæum inveſtiret,

ſtiret, convenienti ad poſterorum memoriam, uſus Prologo, præfatus eſt ſententiam.

Accipe Muſæe, hanc à Chriſtiano Alberto Principe, prætextam honoris, & pudoris purpuram; ut diviſo imperii jure, diſcas præeſſe cum verecundia literis, & prodeſſe cum fortitudine literatis. Toga eſt, ſed ſagum amat; ubi non ſine certamine imperandum artibus, aut cum ſudore ignorantia debellanda. Hoc dicto, reſignato ad tempus caduceo, duo aurea ſceptra ſuſtulit manibus, dicens: Toga.

En gemina juſti gubernii decora: alterum, obedientiæ ingenuitatem: alterum, libertatem authoritatis indicat: vide, ut amotis ſua ſervitute vitiis, ex ſapientiæ virtutiſque amuleto, geminæ vigilantiæ contribuas authoramentum. Poſt hæc Clavis allata eſt, quam priuſquam porrigeret, dixit. Sceptra.

Sume Clavem, ſymbolum facultatis; quæ clavum tuum reſpicit, quoties aperueris ſapientiæ penetralia; ſapere volenti; cave, ex clavo, clavique, clavam feceris, nulla violentia profectum aperuit. Prolatis in medium ſigillis *Tene* (*inquit*), *hæc*, non tam ad facti, dictique robur, quam ad faſtigii complementum, cenſente Romano, pertinent; Providebis, non diſſentiente ſapientia, ut tantum uſum patiantur, non abuſum. Mox liber allatus eſt, quem cum levaret Mercurius in hunc modum præfatus eſt. *Cape Librum* Claves Sigilla Liber

Quem dat purus Amor, non quem dedit impia merces.

Albus eſt, funeſtum nunquam admittet colorem: tantum Bonum, ad candidos, & Literarum Candidatos pertinet. Experto crede Roberto, non facile occurrunt, nec poſtquam occurrerint, facile probabis. Noviſſimo loco, ſingula non fruſtra firmatura, proferebantur cum Legibus in Syndone, Cæſaris Privilegia, quæ à Mercurio lecta, etiam Sapientiæ Senatus conſulto accepta ſunt. Viſæ ſunt moveri ad venerationem Majeſtatis Romana ſigna & Aquilæ, nam ut altius manibus elevata ſunt, etiam gravius intonuere tympana & claſſica; quæ, priuſquam tradidiſſet Philoſophorum Antiſtiti, voce elata ad Principem converſus. *Leopoldus Primus, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Tibi Chriſtiane Alberte, Princeps, pie, felix, in literas urbane, novam ex Urbe, tranſmittit urbanitatem.* Dixit: tandem Muſæo porrigens. Nil Privilegia cum Legibus.

 fuis-

fuissent omnia, si hæc defuissent Musæ, his licentiam frenabis, his firmabis authoritatem; hoc Author, Stator, Pater literarum jubet. Capi non potuit gestientis populi plausus, neque clangoribus & modulationibus modus impositus, prosequente choro multiplici symphoniæ concentu laudes Principis, Cæsarisque. Optabam ab Apolline mihi quoque unum aliquem radium dari, quem dignis Sacrorum quoq; Præsidis laudibus & præconiis applicarem: raptum votum in Heliconem, Musas adeò accendit, ut novo affectu salientes decurrerent, & ad Pyrricham animarentur, modulantes: nimirum lætitiam & hilaritatem, nescio quis Genii affectus obligat, cum dolor etiam & luctus, accendantur maxime ex affectione humana: voto meo solutus, illius semper cujus amor erat Præsidis, inhærebit animo memoria, interim cantante Calliope, hendecasyllabos.

Cimbricæ, Kielemanne, *lingua Pithus,*
Cimbricæ Pharos Eruditionis
Et priscæ, Kielemanne, *lingua Pithûs,*
Et priscæ, Pharos Eruditionis:
Amicam tibi Pieris salutem
Donat Cimbrica, donat ipsa terra.
Et Urbs Chilia, *Musarum nomen,*
Per te reddita Nympha Apollinaris,
Per te redditum Apollinare nomen,
Sic nobis roseos Eöa soles
Pandant atria; sic benigniore
Phosphorus radio notat & Cimbros:
Ut nobis roseos Eoa soles
Pandunt atria, & ut benigniore
Phosphorus radio notat & Cimbros;
Dum te, dum Kielemanne, *dux Apollo,*
Et Suada, Novensilesq; Divæ,
Nostram condere dirigunt Palæstram,
Nam tecum Aönio fluore tinctæ,
Et vero Latii colore pictæ,
Ad Cimbros remeant tuos Camœnæ:
Doctæ, seu veteres sonare ritus,
Seu fontem, laticesq; Tullianos
Romanis juvat evocare conchis;
Seu stricto Satyræ æstuare pugno.
Hæ tecum adveniunt tuæ Camœnæ,
At nobis ita Cœlites boni sint

Ut

Ut tecum haud abeant tuæ Camœnæ,
A nostris ita salveas Camœnis
Cimbricæ, Kielemanne,*lingua Pithûs,*
Cimbricæ Pharos Eruditionis.

Plaudentibus Musis, interim Theatrum Philosophorum non vacauit,nam ut Antistes sapientiæ in medio consistit, acceptus est omnium benevolentia, & Candidatorum officiis, omnes pes classes suas divisi, spem & cupiditatem in venerationem convertere. Reciprocabantur utrinque salutationes liberaliter,ex altera parte etiam gratiæ, aliunde amplexus. Secutæ populi voces, clangores tubarum, tympanorumque bombardarumque strepitus,& fragores,& amœnum cunctis citharæ melos, quo, ingeminatæ Cæsaris laudes, beneficia Principis, & nova literarii magistratus gloria. Jamque pari pompæ triumpho ad *Domum Sapientiæ* ducebamur; cum non multum progressi,omnium sese obtutibus porta domus obtulit,&

— — -- -- *statio tutissima Musis*
Haud timeam, magni dixisse Palatia Cœli.

Ipsum frontispicium, lauro virens,fastigio conspicuum,& inscriptionibus illustre, Icon sapientiæ fortunabat; frons illi sexu major, ut scires Regibus & Principibus imperare; & in cærulea veste, imitationes sydèrum, ad indicandam originem, ne quis illi inscius & ignarus exprobraret vilitatem natalium; sub pedibus aureis literis in marmore hæc legebantur.

D. O. M. S.

Domus Sapientiæ

Sive

Athenæum Christiano-Albertinum

QUOD

Princeps,

PIUS. FORTIS, SAPIENS,

In Palæstram Probitatis.
In Emporium Eruditionis.
In Amphitheatrum Virtutis

POSUIT.

Anno CHRISTI

M. DC. LXV.

III. Nonis Octob.

Proxima Inscriptioni venusto emblemate tabula pensilis, à duobus Geniis tenebatur, fluvius in ea pictus ex monte bifario per latices diffluebat, coronam illi fecerat, spontanea & confusa riparum amœnitas, ad hauriendas aquas numerosa hominum natio ascenderat, avida potus, per sitim, & obsequium, hoc acroamate.

Non sic Pegasea rivulus ungula
Fontis primitii munera bulliens,
Implevit solidis Hellada gaudiis:
Non sic Eurydice Tartareas domos
Nequicquam fugitans, Threiciam chelyn
Orpheasq; animat lætitia fides.
Ut cassa Aonio flumine Chilia,
Divarumq; carens Pieridum choris,
Exultat, reducem Pallada, & Ingeni
Cultrices Charitas, limitibus suis
Defixisse sacram conspiciens domum,
Quam DUX ALBERTUS, *Nomine Maximus*
Virtuti reserat, & penetralibus
Musarum tabulas Cimbriacis *locat.*

Amplissimam Sapientiæ Aream, repleverat electa de Parnasso juventus, cincta rosis, violis, calathis, floribusque, quibus nomen nondum invenimus, iis plane vultibus, quos florida fascia dignos ita censuerat mirabunda FLORA, ut sua illi vilesceret: hæc blandienti similitudinis genio, ut applauderet florentissimæ Principis ætati, cujus florem juventæ, nec lascivæ Veneris attaminarunt ilicia; nec Junonis iratæ, muliebre decoxit imperium, præeunte Aglaia, sic cecinit:

AUdite Cimbri, sive volubili
Quos Sleïa *spumans gurgite proluit*
Vildæve *quos lambens aquosum*
Fregerat indomitæ fluentum.
Quorumve fines aut Sturius *lavit;*
Non infrequenti vortice turgidus;
Aut Albis *Alpino laborat*
Deproperans satiare rivo.
Audite: vestræ si decus inclytum
Ad ipsa tollam sydera Cimbriæ.
Audite, si vestros honores
Imparibus meditabor ausis.
Si laudo Albertum, *flore meo,* Ducem, *&*
Florem juventæ; flava cui Ceres
Vestivit agros, arva, rura
Fertilibus pretiosa glebis.
Cui Flora *verno strata sub arbuto*
Killonianis *proxima rivulis,*
Floresce, Dux Alberte, *dixit,*
Perpetuo redimite Vere.

Hæc

Hæc Flora. *Flores, Numinis editam*
Vocem ſequuntur, lilia candicant,
Roſaq; mentitæ cruores
Roriſluo ſaturantur imbre.
Et palma forti debita GLORIÆ,
Laurusq; ramos conſociare amant,
Virtute gaudentes oliva
Implicitos tolerant racemos.
Palmas recluſo cortice gemmulas
Agit liquentes, & lachrymam parit
Nondum per autumnum Thyoneus
Cimbriaco pede ſubjugatus.
Ennæa tales Diva per orbitas
Innixa luſit Palladio Choro.
Nymphasq; cantantes Pachyno
Trinacrio ſuperavit olim;
Mirare Florem, *Cimbria, quem ſinu*
Nunc inter Duces, conſpicuum foves,
Mirare Albertum Ducem, *honoris*
Cimbriaci colophona ſummum.

Medium loci ſpatium occupabat, variante oculorum ſpectaculo, per æthiopicos ſcopulos & receſſus, purpureo incruſtatus conchylio, juſta proportione, Coloſſus: varia hinc inde, & ad genium temporis accommodata legebantur hypogrammata, quorum, inſcriptionem præcipuam, quæ limbum Columnæ adlambebat, deprompſi.

QUODCUNQUE
In fronte Regia auguſtum,
in Charitum venuſtate laudatum.
In VIRTUTE deſiderabile.
Nullo Famæ, Gloriæ, Temporisq; Compendio
CHRISTIANUS ALBERTUS,
Tenet. Habet. Poſſidet.
S. P. Q. L. C.
Cum
Civibus. Civitate. Peregrinis.
Æternâ Memoriâ

Et

Et
ANNALIBUS
Cum orbe orituris, morituris,
Beneficium agnoſcito.
Spes non fraudantor.

VIATOR.
Virtutibus, Gratiis, Fautoribus
Bonis verbis litato.
Violator operis infelix
eſto.

Tædio multitudinis oppreſſus, vix iſtud invidioſæ momento Prudentiæ decerpſeram; adyta Palatii ſapientiæ, cortina duntaxat oppanſa, nec ſerrata foribus omnibus ad introitum patuêre; quarum antiporticum ſuſpenſis ubique funalibus; novi illuſtrabant ad ſpectaculum ignes, ut crederes ardores & flammas tacita ſignificatione, animis inſpirare, ſapere volentibus. In velamento cortinæ hæc non ſine fatidico ſenſu oculis hauriebantur.

CHRISTIANO ALBERTO
Duce. Duce.

Hic pura ambroſia, ſydereus liquor,
Hic fragrat roſeis nectar odoribus;
Qualis nec folium modis amaraci,
Nec tincta Idalio ſtamina ſanguine
Paſti gemina rubens ſpirat, & aureo
Stellantes gremio Corycii croci.
Magnum Pierides, dicite Principem.

In ipſo introitu, apparebat Ara humilis, ex terſo & polito lapide Tarteſii artificis, ſacra Deæ Pietati, ipſa curru triumphali expreſſa, comites nacta eſt, Caſtitatem, Pudorem, integritatem, noviſſimam cum cœlitibus GLORIAM. Tantus Deæ vultus, ut illam vel improbitas amaret, atque urgente acrius calore, reluctantes quoque accenderet ad Pietatem. Hos anapæſtos ſcuto inſculpſerat ipſa ſapientia.

S. P.

O Dulces Animi delicias mei!
Regina hic PIETAS, ſceptra nitentibus
Conſervat digitis, vectaq; lucidis
Pervadit mediam Chilo-polin, rotis:
Qualis Gorgoneo præpete Memnonis
Vectatur Genitrix, tempora roſcidis

Cir-

Circumcincta comis, & revehit diem.
Sectantur Comites, aurea Castitas
Et frontis niveæ sanguineus Pudor,
Morumq; Integritas, *gemmea candidis,*
Evibrans juvenum spicula mentibus.
Adsunt auricomi Cœlituum greges,
Queis pulsæ nebulæ, tetraq; flaminum
Dirorum rabies præcipitat fugam.
Has inter socias mens bona, *proximo*
Divis Cœlitibus in thalamo sedet
Victrix Invidiæ, nec popularium
Consors Spirituum. Subsequitur procul
Extollens meritum, GLORIA, *verticem*
Quem doctrina parit. Quis melioribus
Sub signis calidam militiam strepat?
Huc densate gradum Cimbriaci mares,
Hic, hic vestiscipes discite, discite
Annos exigere, & pectine Lesbio
Vel pulsare fides, & Latiam chelyn,
Vel rorante sono Nestoreum melos,
Facundo eloquii fundite gurgite,
O dulces animi delicias mei.

Consederant in eburneis sedilibus, *Sacrorum Præses*, & cum Philosophis, *Antistes Sapientiæ*, medium occupante spatium, sub laqueari pensili, throno altiore, *Principe & Literarum Statore.* Apollo phonarcus Chororum, & totius symphoniæ arbiter, captis Scoliis, Heliconias provocaturus sorores, callinicum saltavit. Cum ex improviso, hilaritatem cantuum, & saltationum aptosque in lituum & tympanorum stagores, schematismos, chironomismos, & embammatismos, impedivit *Fortuna.* Rapiebant populum sapientem nova spectacula, illud plerosque dolore afficiebat. Deam instabilem, ad ipsum Principem honorificentius accessisse, adstitisseque, novato cultu, lauri fronde, & justitiæ lancibus, quas Delphinus ore gestabat, blanditus fortunæ, velut prædam oblaturus, ipsa benevolo, ac placidissimo vultu. Admiratio mixta indignatione fuit, iniquissimum Genium, sapientiæ, & justitiæ honores adeptum. Verum ne supra orbem iret contentio, *Sapientiæ Antistitis*, fecit solertia. Quid (inquit) dignius vicinia, & latere magni Principis, quam clementissima Dearum? Quænam hæc? rogantibus Philosophis, iterum respondit. Fortuna, clementissima Dearum. Subridens Cynicus, sale & libertate sua, neque cœlo parcens; imo & justissima (ait) trutina id signat, nisi has lances furto abstulisset, ne quid justè fieret; nam propriam nullam bilancem, neque modum hactenus apud illam novi. At justissimam ideo compellabo, quod nihil sine justo pretio donet, ut tantundem mentis demat, quantum prosperitatis largitur; ex dementia compensans abundantiam: æquis lancibus libraț Adventus fortunæ.

cerebrum & felicitatem, ut illud minuat, hanc mutuet. Summa felicitas, & summa mens, non est gratia fortunæ, sed privilegium divinum. Ad verba Cynici, nescio quis exclamavit. O jam sapientissimam Deam, & de rapinis cerebri locupletem. Nequit fieri, quin tot judiciorum furtis prudentissima sit, ut præ illa Minerva nostra sit fatua; unum invideo mentem hodie invenire venalem. Respondit *Sacrorum Præses*, Haud vile pretium; aurum quondam Thebano dedit, & argentum, ut mentem Philosophi, solemnibus mercaretur nundinis, &, ni recidisset pactum, naufragio divitiarum, oppidò delirasset. Utinam sic omnes anteverterent fortunam suis fortunis. Justa nihilominus est, quia damna, quæ intulit abutentibus, compensat infortuniis, quibus, restituit mentem, quam ademit divitiis. Verùm Fortuna, sive his laudibus suavius titillata, sive perculsa metu, ne quos laudatores prius, hos reprehensores haberet, & casuræ causæ solatium esset, aliqua levitatis illius commendatio, cum sine aperta injuria recedere non posset, ad pedes Principis obdormivit: hoc etiam titulo Dea prudentissima, quod mutaverit contentionis argumentum. Siquidem illico Epicharmo peritissimo in disciplinis somniorum, causam præbuit, ut quæreret ex Aredemo, quod esset veriorum somniorum tempus, dormiente fortuna. Ille, matutinum tempus respondit, & horam auroræ. Falsus es (ait) non est, nisi tempus vigiliæ stulti, quæ locuples phantasiis, vanissima cupientem distrahit. Reassumpsit *Antistes sapientiæ*. Non matutina somnia (inquit) ita prænuntiant vera, ut somnium totius vitæ, cum cupiunt & sperant aliqua mortales, certissima inde conjectari licet. Verùm qui divinandi per somnia, nondum noverant abditos canones, reclamabant, dicentes: tempus spei potius, esse falsorum somniorum horam, cum plerumque non accidant, quæ nimium exoptantur. Acerba enim votis felicitas est, aut punit, aut frustratur: gaudet fortuna, inopina esse, & contradicere spei. At *Sacrorum Præses*, onirocritices peritior, propositam Epicharmi quæstionem concludebat. Regula (inquit) interpretandi somniorum, venit ex contrariis; ex amplexibus, iras; ex divitiis, conjectamur inopiam; quæ tam sunt perniciosa optantibus, ut per somnia concessæ noceant vere; & phantasma solum, ac fictum divitiarum gaudium, sola damna creent, & portendant infausta: quare verissima somniandi hora, absente, vel dormiente fortuna. SPES est, cum secus eveniant res, quam videantur. Vix hæc pronunciaverat *Sacrorum Præses*, cum interim acerbissimus rumor percrebuit, nudam *Venerem*, nudum quoque filium, & Bacchum ministrum per medium forum inverecundius vehi, atque ut novum voluptatis theatrum erigeret, secum peregrino colore lascivientes imagines attulisse, & invenisse spectatores: addebat fama, non facile loco migraturam, nisi prius multorum pudicitiæ illusisset. Infelicissimo nuntio publicam hilaritatem propè ad funestum exitum deduxère. Quod enim lascivæ Deæ, cum castissimis Musis commercium? illico perituris, si turpissimæ voluptatis mulier omnium oculis placuisset; ita frequentiæ nata, ut in ipso strato, ubi

Querela de Venere & accusatio.

to, ubi

to, ubi maxime sola est, sæpissimè turbam faciat, & rixam. Stupentibus omnibus, ad hoc nuntii, & tanquam loqui non possent, atrocitatem causæ expendentibus, pendebant animo, judices turpitudinis futuri, pudicitiæ Assertores. Quorum zelum & justitiam, quorundam matura & virilis prævenit constantia, cujus ope & beneficio, famosissima fœmina, ad triumphale sapientum rapiebatur tribunal, ut adstitit, ut flevit, ut loqui potuit, amatorium argumentum sumere placuerat, sed ea verborum honestate, turpes affectus velaverat subtilissima Mulier, ut nihil videretur timendum castitati, si hos ignes, has amantium curas, hæc suspiria, & ipsam nuditatem miserarentur; facile votum castitatis admissuram, & incessuram honestè, si judicum suorum vel accusatorum beneficio, vestibus ipsa, filius & famulus donarentur. Ad suspirantis Veneris questus, sentiebat se molliri sapientiæ Senatus. Aderant plurimi causarum Patroni; & mox beneficio (ut vocant) juris, ad primam instantiam, ornatissima causa repperit Advocatum, cujus solertia miseram solabatur, & deficientem excitabat in spes amplissimas, interdum suspirabat cum Domina. Ut dicere permissus est, omnium oculi velut in Pantomimum conversi sunt. Hic, ut pelliceret Judices, & facinus mitigaret, excusabat præterita prudenter, nihil obstare vitia, serio ad virtutem conversis: præsentia moderabatur prudentius, excusatione prætenta, graviter infamando famam, tanti prænuntiam falsi, quod bonam intentionem, nequiter detorsisset, asserens adventus Veneris causam, constantissimum ante actæ vitæ tædium, & pœnitentiam fuisse; sero licet, verum serio credens, prostitutam toties inverecundè pudicitiam, melius in palæstra literaria, quam in prostibulo & lupanari, ad leges honestatis formari, & velut œstro quodam reprimi, si frequentius aquis Sapientiæ lustralibus tingeretur. Tandem omnium prudentissime providebat futura, nil dubitandum deinceps de emendationis pulcherrimo proposito, si æquis auribus justa admittatur supplicatio, hoc est, nocentissima sensibus nuditas vestiatur: nihil enim perniciosius formosa nuditate, quæ, ut primum oculorum meruit suffragium, animum quoque occupavit. Ut loqui cessavit, dato causarum Patronis & vitilitigatoribus negotio, ut pio suffragio, ex superfluo quærerent, & apud se nudæ Veneri providerent, si quidquam ejus causâ, vel alia, insolentius à Clientibus extorsissent. Verum illi non inveniebant constitutionem juris, quâ juberentur nuditati prospicere alienæ, cum contra potius in redimendis litibus suevissent, plerosque non tantum vestibus, sed & integris fortunis exuere. Quam ob rem commenti sunt industriam, si sacer Principis genius permisisset, quâ egregiè superesset, unde Venus, filius, famulusque quissent amiciri; consignantes annuum vectigal, ex cymba Charontis, quotannis sine remissione pendendum. Justissimum rati, quandoquidem ex officiis illorum, ob crebritatem trajectorum, lucrum ingens accederet Charonti, tributum aliquod solvere. Mors enim non solum in genus humanum grassatur viribus & facultatibus propriis, ex ipsa conditione naturæ; sed alios quoque necis satellites, & adjutores quærit, ex gula, intemperantia, ebrietate, libidine, quibus non injustum erit, si solvat gabellam. Applausum est ab omnibus divino consilio. *Advocatus*, postquam gratias nomine Veneris retulisset, postulavit, antequam fieret constitutio, ut in Protocollum referretur, ne excideret æterni beneficii memoria: tum monente prius, jam etiam annuente Matre, multa exaggeratione, accusavit filium, quod ex præscripto Cy-

priæ legis, omnia decoquatCupido, nec ſuppetere, quicquid in hanc rem ſtatueretur à prudentibus, adeò puer aſotus eſt: cauſabatur etiam indolem *P*ueri ludicram, quod Venus aliquando amictura filium, feciſſet veſtes plures, nullam aptam fuiſſe; nam dum unam parabat, ſtatim mutabatur Gnatus, ut eam non poſſet induere, ad variationem togæ interim artubus mutatis ludicro labore: denique quoties æqualem tunicam confeciſſet Genitrix, membra variaſſe filium inæqualia. Ignoro an majori locutus tædio, quam faſtidio auditus minori; non tantum reſtabat omnibus patientia, ſed poſt moram quoque voluptas, remiſſa idcirco haud ſatis libenter alacritate. *Muſarum Stator* pro authoritate reſpondit: Lege Cornelia, leges ad prodigalitatem usq; laſcivas, & ad laſciviam prodigales Cypriorum, Kiloniæ, abrogamus. Matri ſerium damus conſilium, ut pro nequiſſimo & multum laſciviente puero, veſtis menſuram capiat à Minerva; ita quamlibet idoneam, aliter nullam. Ingenium quippe Cupiditatis, ludicrum, volubile, nunquam, vel votis ſuis quadrans, vel ſpe contentum, ſemper optare non deſinit; niſi modum ratio adhibeat. Tunc quodvis obvium, & porrectum á fortuna, par fit, & conteſſeratur voluntati. Audiebat attonita Venus, quæ, ea paſſionum larva naturam tinxerat, ut illam ſperare ac iraſci; ut ſurgere, & cadere animo putares, quoties ex vario adumbratæ honeſtatis impulſu, & fictæ ſapientiæ amore, vel dulcius inſaniebat, vel audacius, ſed ut Leges Cyprias abrogari vidit, depoſita larva jam vitæ pertæſa; in conſpectu omnium, poſt verisſimos dolores & ſuſpiria, mortem, in remedium vocabat, & exporrecta fronte porrigebat jugulum. Ergo verſa in furorem judicum patientia, & manſuetudo, atque in ſententiam anceps, cum crudele & inauditum exiſtimaret, die, quâ, de reliquis ſceleribus triumphaſſet ſapientia, turpiſſimum cruorem fundere; ne contaminarentur inaugurationis ſolemnia, abſtinuit à ſupplicio: pronunciato tantum per Præconem exilio, juſſa, ut non tantum â finibus ſapientiæ abſtineret, ſed etiam omnium terrarum exul, extorris, & infamis, ad ſuam genituram reverteretur, bultas, ſpumasque, non homines conſectans, atque merſa fluctibus, ſine humano remigio, & naufraganti ſimilis, ſolâ conchâ periclitaretur. Clamante *P*ræcone, turpiſſimæ voluptatis fœmina, levi veſtigio totum ſapientiæ theatrum oculis percurrit, confuſum neſcio quid dentibus premens, tanquam poſt atrociſſimum decretum, fari prohiberetur, proxime adſtantem, & vinctam vitiorum turbam, ad non mitiora pericula ſervari, manu, oculis, minax ſignificavit, & deſiit videri. Ut erupit, evaſit, fugamque aſpexêre Muſæ, magno ejus exilio tactæ ſolatio, velut in re fervida, partim ungues mordebant, & argutiore ſublato digito, exactim ſollicitabant frontem, è ſua ſingulæ moneta, aliquid in libidinoſam fœminam proferre geſtientes, donec cæteris promptior Thalia, hanc intulit Proſopopœiam.

O Venus! ô Bacchus! fugio, quà Caſpia tygris
Tecta Prometheo perſonat antra jugo.
Nil paveo Geticas pedibus ſulcare pruinas
Nil paveo Arctoas, nil ego Biſtonias.
Jam Siculus miteſcet Eryx, & nupta Pelasgo
Æſonidæ, poſthac caſta Cytæis erit.
Jam minus immanes fient Buſiridis aræ,
Regiaq; impulſæ per Patris ora rotæ.

Æqua

Æqua erit Ismario Progne Regina marito,
Jam Diomedæos fama silebit equos.
En Veneris rabies nostro modulamine pulsa
Et brevis extincto concidit igne furor.
Nunc Ego temporibus meritospendere corymbos,
Et patiar lauri stirpe virere comas.

Interea dum in reliquam vitiorum catervam, & mancipia durius statuitur, commodè me in Porticum sapientiæ contuli, ubi lautissima Platonis suppellex, & cum Ægyptiacis ænigmatibus, variarum formarum & Idearum pendebant miracula: nec minori spectaculo, suppositi versus Apollinis, & Musarum fronte, fonteque sudati. Jeci forte palantem obtutum, in ideam fortuitam, cujus forma & titulus contentus erat hisce Elementis. S. M.V.S.S. V. M. S. additi hi Jambi.

Est pallidus mihi color; non quia
Plures per insidias requirar humi latens.
Palleo quod occidi, & fefelli plurimos,
Perfidus amantibus meis, ne vindicent.

Accessere ad intellectum plures, Ego cum pluribus, interpretatus, *aurum* denotari, juxta arcanas Lydorum Regis inscriptiones, etiam cœli suffragio, vota sua *Midas.*
merito damnantis. Sum. Midæ. Votum. Stolidum. Solem. Vere. Metuo. Semper Placuit interpretatio, aurum merita, nisi velut pestilenti infectorum morbo, ad vocem ipsam, nomenque exhorruisset sapientia. E regione contagiosi metalli, vidi paupertatem Cynicam consecratam in Apode avicula, cui hæc subscripta. *Avis Apus symb. paupertatis.*

Me vita pauper jure ditat cœlico.
Rupe atq; Ramo inops, recumbo nullibi,
Nec hospitatur terra, vel frons puerperam.
Conviva sum Diis, libo florem nectaris,
Collega sum compar, ob inopiam, Jovis.
Divinitatis ars habere nihil, fuit.

Iconem hujus Alitis, & inscriptionem, adlatravit Canis Sinopensis, nuditatem commendans, & locupletissimam pauperiem Cynicismi: neque necessitates humanæ, sunt ex naturæ negligentia, sed pravæ cupiditatis diligentia supervacanea. Cupienti enim etiam in summa copia, summa inopia est. Ad quid (inquiebat) exquisitæ vestes? caligæ? calcei? ut pedes quoque velentur; an delicatiores volis manuum, genis, facie, & pupillis oculorum? Cur si arma frigoris sunt vestes, subtiliores, & sericæ, bino quæruntur errore; quod has, ut præstantiores præferant; & ob eas, se præferri aliis opinentur. Cur vestis præstantior, quæ statim transverberatur frigore, vento, tempestate? id magis ridiculum, cur odoriferæ? quid ad tegumentum odor? nisi quod molles isti, acerbum sui emittant fœtorem, suavissimis exhalationibus velint se superstites condiri. Inter hanc Cynicam prudentiam, avidiores reliquæ Philosophiæ oculi, legebant cum hypogrammatibus simulacra Idearum. Imprimis mirabantur *Meropis* Archetypum, admiratione & insolentia plenum: nam cum cæteræ volucres, quasi sursum ad oculos versus advolent: merops solum retrorsum devolans assurgit; meruit plurium interpretamentum; alii stupebant novum Philosophiæ dogma; alii salubre documentum;

Merops idea humilium. plurimi ingenioſam exaltandi artem, per inclinationem ſui, hac inſcriptione reſumptam.

Præpoſteris pennis mage aëra penetro,
Retrogrado eſt pede anteceſsio facilis.
Aſſurgit humilis motibus declivibus.

Lupus idea taciturnitatis. *Progreſſus* ulterius, ſub icone Lupi, mutos obtutu facientis & ita alloquentis

Reddo ſilentem, quem prior conſpexero.
Ergone Pythagorâ dabo ſophos facilius?
Clauſo ore, fit potabilis ſapientia.

Pythagorici, præceptis taciturnitatis applausêre; nec ſane lex diſcentibus inutilis. Silentium enim eſt primum oſculum virtutis, prima ſalutatio Philoſophiæ, unica adulatio Minervæ.

Phœnix idea constantiæ. *Lecta etiam* obſtinatæ conſtantiæ monumenta, velut Phœnicis in igne, cum inſcriptione convenienti.

Eſt officina mors mihi vita nova,
Fornax rogus fit, confler ut vivax recens.
Damna ſapienti ſunt novi fornax lucri.

Palma ſymb. patientiæ. *Aderat non procul* ſub icone Palmæ, ſolida durioris conatus patientia; quo depreſſior, ſurgebat altior, cum hoc hypogrammate.

Victoris indices mei ſunt palmites,
Quod flexa ſurgam magis conatibus.
Intendat quisquis: hæc mihi atq; fortibus
Victoria ars, fit vis, ab æmulo triplex.

Attagen ſymb. ſuperbiæ. *Sub originali imagine* Attagenis (quam avem ferunt importuno garritu nomen ſuum dictare) hi rudes & ſcabri verſus ſcalpti, ut quibus lepos, pondusque ſenſus rapuiſſet menſuræ lævorem.

Pronuntio me perpetim, me garrio,
Nec accinit alius, tacendo forſitan
Laudaret; odæ nemo complex eſt ſuæ.
Nunquam placuit aliis, qui ſibi perplacet.

Taxabatur delicata amentia ambitionis, nomen ubique ſuum, aut facta laudantis. Nihil magis oſtendit indignitatem, quam vox propria ſe extollentis. Hic error, hic morbus, ſitientes laudis vexat, turgentes urget.

Ex adverſo Attagenis, affixum fuit iſtud hypogramma Luſciniæ.

Luſcinia. laus mortuorum major

Suaviſſime canto, ſed Orphei dulcior
Ad buſta ſum: Virtutis eſt cos æmulus:
Irritat ad majora ſplendor optimi.

Significabat defunctorum pleniores laudes eſſe, quam vivorum. Luſciniæ enim quæ circa ſepulchrum Orphei nidificabant, vocaliores erant ſuavioresque

Hedera amoris ſymb. *Occurrebat quoq;* ſpectantibus Socratis inventio, Amoris Legem, ſubjectam imagini hederæ, pronunciantis hoc modo.

Am-

Amplexibus cui hæreo ſtatim fruor,
Nec explicari ſcio, perenno, ſic virens.
Sapiens amicitiam colat ritu pari.
Ni ſit tenax, aret ſuis bonis amor.

Juxta ſtabat Bactrianus REX Indorum, curas vigiles Rectoribus oſtentans, ſub regia dormientis Leonis indole, ſub cujus prototypo, hujusmodi legebatur Hypogramma *Leo vigilans. Regum c ra.*

Laſſus ſopore exerceo caudam meam,
Fingens vigilias. Regi utrumne turpius
Dent otium curæ, aut ſopor negotia?

Inſomnem docebat debere eſſe Regum ac Principum ſomnum. Non tamen curæ totum ſurentur ſoporem; complex ad vigiliam generoſitas ſit, & rea inſomniæ innocens majorum invidia. Dormiebat Themiſtocles jugi pervigilio; nec alius nocturnus furor, aut larva inquietum habuit, niſi Miltiadæ triumphi. Admirari antiquos, imitari egregios, æquare ſummos, ſuperare debet magna, qui major eſt omnibus.

Noviſſimè non mihi diſplicuit, ſtultitia Anſeris, quam, cantu fateri, alioqui ex probrantis ſonus, & carminare cogebat, ſapiens aliquis Genius, & Amicus Apollinis, ut ſapientiæ & Bonarum mentium confunderet *Oſores*: hac appendice. *Anſer ſymb. ſtultorum.*

Stulta volucris ſum, frondem Apollinis horreo
Me prodit hoc ſervile ſtigma inertiæ,
Amentis eſt odiſſe doctos, teſſera.

Nec dum ſatiabantur curioſa lumina, ex originalibus naturæ ideis, legere officia morum, & præcepta virtutis, quæ, naturæ ipſi inſeruit Hippocrenis ſudor & favor Apollinis. Tenebant animum quoque meum hæc vitæ ſolidioris ſimulacra, ſed inclinatus in veſperam dies, metum, metamque contracto ſtrictoque non tam ſolis quam judiciorum aculeo, curioſitati poſuit. Ut torpenti jubaris quadriga, (fruentibus interim Æthonte, Phlegonte, Eoo ac Pyroënte, abſentiâ aurigæ) noſtræ omnium faveret voluptati, *SOLEM* precatus ſum.

Compeſce Titan lora, frementibus
Demorſa mannis; ſiſte volubili
Temone lapſantes quadrigas
Et croceos moderare frenos.
Dum grandiorum prodiga luminum
Virtus, *patentem prodit in orbitam*
Mirantis ævi, dum Ducali
Jam GLORIAE *diadema, fronti*
Ultrò implicari geſtit, & arduam
Vincire nodo Cæſariem, novo
Albore, quam cœli venuſtant
Quam ſolido pietatis auro

Astræa cultrix crispat; amabiles
Ardoris indens cœligenæ Rosas
Et mite candoris ligustrum
Tergeminæ sociavit Iri.
Quæ multiformis de sapientiæ
Castro renascens, semper inæstuat
Subpullulans novos virores
Et specimen genialis auræ.
Huc ite pulchro vertice nobiles,
Huc ite Cives. Tempora jam DEus
Vultumq; de serto, ALBERTI
Urget in occiduo notari.
Hoc nam Patrono, lux Sapientiæ
Musarum, hoc traxit Principe, gloriam
Hoc Musas *cum Castro revinxit*
Chilonico *socia Astra* Castro.
Non sic Eoi prævia Phosphori
Matuta, colles lustrat, eburneâ
Titanidis canos pruina, &
Rorifero saturas madore.
Ut Astra Duci Cimbrico, *Cimbrico*
Unita stellant Chiliaco *Polo:*
Ut Musæ *& Astra; quæ ALBERTO*
Sydereum statuunt tropæum.

Insecuta hydraulica harmonia, ad instar Ctesibii instrumenta, & placidus tibiarum clangor. Inflabant Hyanides, Ardalus, Træcenius, Olympus & Terpander, resonantibus quoque suavissime hinc Syriacis, Gingris; inde serranis barbitis; aliunde plagialis scindapsis. Ducale cœnaculum fuit, varia structurarum concameratione, quasi labyrintho distinctum, ad magnificum loci miraculum, miraculosa vocabat spectatores symphonia; aurata in longum latumq; pendentibus corônis laquearia, convivii opulentiam, thororum cultum, ministrantium splendorem, cæterorumque tricliniorum apparatum, non sufficiebat venari oculus. Prodibat in medium Apollo, vittatum manu ramum circumferens, quem undis lustralibus rorantem, flores quoque & lilia intexuerant, credebantque efficacis tutelæ, si convivantium capita, extremo cacumine tetigisset, sequentibus Gameliis longos accersebat Principi annos, quorum summam, variorum modulatione chororum, ad manuales tibias, expedivit cum plausu civium, & voto populorum.

Quam blanda Cœli temperies, Tuos
Coronat Annos, ô Pater! ô decus
Alberte, Ducum! quos benignum
Perpetuet sine lege cœlum.
O quam salubrem plurimus aëra
Sustentat ævo vigor: & integram
Virore traducit juventam
Pene iterum puerilis ætas.

Non

Non sic Crotonis mœnia limpidis
Cinguntur auris, mœnia Delphico
Laudata vati: non Pelasgis
Delitiæ, nemorosa tempe.
Vitalis æthra munditiês, necis
Retardet horam; nec sinat emori
Qui dextra edacis fugaces
Enumerat pereuntis annos.
Longæva vivas tempora CHRISTIA-
NE ALBERTE, mi Dux: *canities comas*
Invita prostantes coloret
Pallor abi, è senio, tremorq́;.
Huc ite, si quos morbida funeri
Adscripsit ætas; non Ego pharmaco
Non arte languores fugabo
CHRISTIANUS dabit unus vitam.

Risêre novum acumen Dii, & Nympharum plausêre subsellia, solus in gestiente risu lætitiâ, Æsculapius fronte caperata, rugis totum obtutum fœdaverat, quod vitales illius manus, plectro suo Musæ perstrinxissent, & diuturno in Principe sanitatis voto, opem operamq́ue medicam exclusissent; si adhuc pergerent, furorem supra Jovem iturum. Verum opportunè dispescuit imminentem discordiæ tempestatem, providentis Mercurii, monentisq́ue *Pontifices*, cura & sollicitudo; ut more sacrorum populi triumphantis, antequam Convivæ, mensas & nectar Deorum, ore manibusq́ue contingerent, libarent *Jovi Servatori*, pro *salute Principis*, vota nuncupando. Illico Antistites expedito cratere aureo, acerris, & omne genus suffitus, conceptis ex norma sacrorum solemnibus precibus, præeunte Pontifice hunc in modum orarunt,

DIVI DIVÆQUE OMNES
Audite
Tuq́;
Genitrix Sapientiæ Pallas
Adsis.
Cujus æterna cura
ASTRÆA. PIETAS. LITERÆQUE

Sive tanquam bonarum mentium Mater, quæ, vetustæ glandis ferino remoto pabulo, & miti commonstrato cibo, nunc Eleusinam glebam percolis: seu Tu ut mens cœlestis, à primis rerum exordiis, generata sapientiæ in mortalium pectoribus dulcedine, vitam omnium temperas, & jam ad montes Solis, circumfluo divino flamine sacrario coleris, conceptis adsis votis, & mitis audi.

CHRISTIANUM ALBERTUM,
PRINCIPEM.

In hac rerum ætate ferrea, aureum.

SEMPER

SAPIENTIÆ

Nec non

Bonarum Literarum

Statorem

Opt. Max.

CORONATE.

Pace. Gloriâ. Felicitate.

VOS QUOQUE GENII ET PENATES

Serenissimi Domus inquilini

Tu quoque

GENITOR TEMPORIS.

Adeste. Favete.

&

PRINCEPS

Talis ac Tantus

Ut Fastis

Viribus. Virtute. Pietate splendescit

ITA

Festis Litterarum Calendis

Annis. Vita. Salute.

Fruatur.

VIVAT. VIGEAT. FLOREAT.

Fortunato Omini.

Fortunato Nomini

MULTOS ANNOS.

Complosis manibus, reddidit tota Concio, *FORTUNATO NOMINI*, *multos Annos: FORTUNATO OMINI*, *multos Annos.* Adeò hæc læta vox fuit, ut ex accumbentibus, plerique relicto cœlesti nectare, in sacram *DEI TEMPORIS* Ædem decurrerent, omni suffitu, *Gratias* habituri. Nec *Ego* religionem aversatus, in templum veniens, Numinis *Aram*, non invitus accessi, *sperando* & *suspirando.* Ut

Ut ſubditorum Annos, *DEUS* in unum *PRINCIPEM* conferret, cui ſupra mortalium ſortem, feliciſſimi Dies, Anni, Horæ, Momenta, debentur.

Ah Fuſi fatales currite Longius!
Salutisq; *MAGNI PRINCIPIS, vigiles.*
FAMA. HONORE. GLORIA.
Ad usque ſeros promovete Nepotes.

TIBI
CHRISTIANE ALBERTE
Principum ſine comparatione,
Opt. Max.
TANTO.
Tanto Voto
PATRIÆ. LITERIS. CIVIBUSQUE
precatur.
Tertulianus Aquilus, è Xardo.
A. I. T.

CLAVIS ONOMASTICA

Quâ

Recluduntur ferè omnia, propria aut peregrina nomina, quæ in hac Visione Joviali *ingeniosè ab Authore absconduntur.*

Literarum Stator. Author. Origo. Apollo Cimbricus.	*Serenissimus Princeps, C. A.*
Sacrorum Præses. Imago Cæsaris.	*Excell. Vir Joh. Adolph. Kielmannus, à Kielmans-Eck.*
Peregrinus. Antistes Sapientiæ.	*Adm. Rev. & Clariss. Vir Petrus Musæus, & Acad. Pro-Rector.*
Musophilus. Tertulianus Aquilus è Xardo.	*Author. Alexander Julius Torquatus.*
Umbria. - - -	*Imprudentiæ status.*
Machaonia. - - -	*Turcorum & Barbarorum Regio.*
Druydæ. - - -	*per Antonomasiam sapientes.*
Arx Palladis. - -	*Arx Kiloniæ Principis*
Templum Apollinis.	*Templum primarium Kiloniæ, in quo peracta inauguratio.*
Domus Sapientiæ.	*Academia.*

Adjectos Errores, qui ex celeritate irrepsêre, ne rigidas arbitrantium censuras, cogatur experiri Authoris absentia, *ita correximus.*

Pag. 1. lin. 31. meam me conjecisse. - -	lege meam conjecisse.
Pag. 2. lin. 36. ab ipsæ felicitatis. - - -	lege ab ipsa felicitatis.
Pag. 3. lin. 12. & dignus otbis - - -	leg. & dignus orbis.
Pag. 4. lin. 4. frequentia mentium - -	leg. frequentia montium.
Pag. 5. lin. 19. desiderio favorum - -	leg. desiderio Fatuorum.
Pag. 6. lin. 29. aliis, nisi feliciter - -	leg. quorum alii, nisi.
Ibidem. aliis, ne fortunati - -	leg. alii, ne fortunati.
Pag. 7. lin. 25. tenebris illuminabat - -	lege tenebris illunabat.
Pag. 13. lin. 7. Demet serratas - - -	lege Deme serratas.
Pag. 14. lin. 19. ut contractum - - -	leg. ut contractam.
Pag. 15. lin. 25. reverentia interpello --	leg. reverentiam interpello.
Pag. 16. lin. 16. tantum sacies - - -	leg. tantum facies.
Pag. 20. lin. 26. aliquem novum errorem -	leg. aliq. novum errarem errorem.
Ibid. lin. 30. voluptatem coloribus	leg. voluptatem coloribus Apelles.
Pag. 23. lin: 2. facio (inquit) facis --	leg: facio (inquit) facis.
Pag. 25. lin. 20. venientibus faciat spatium	leg. venientib: faciebat spatium.
Pag. 29. ad margin. pulcherrimâ allegoricâ	lege pulcherrimâ Allegoriâ
Pag. 41. lin. 10. adhuc expers palmæ --	leg. adhuc exspes palmæ.
Pag. 48. lin. 7. virtutib. Gratiis fautoribus	leg. virtutibus, gratiis, favoribus.

Cætera si quæ occurrunt, candori ac prudentiæ commisimus.

Kielische Lob-Denck und Danck-Predig /

Darinnen
Der ACADEMIEN und hohen Schulen würde und Lob / Nohtwendigkeit und Nutzbarkeit ins gemein / und dann auch insonderheit angeführet wird / was es für eine hohe Wolthat GOttes sey / daß Er auch diese Stadt mit solchem theuren Kleinodt begabet und gezieret hat /
In öffentlicher Versamlung der Christlichen gemeine am 20sten Sonntage TRINIT: dieses lauffenden 1665sten Jahres / als drey Tage vorher / am 5. Octobris diese neue Academie mit grossen ungemeinen Solennitäten gar herzlich und frölich Inaugurieret und eingeweihet war /
Bey Veranlassung deß ordentlichen Evangelii gehalten /
Und
Auff begehren in Druck gegeben

Durch
M. FRIDERICUM JESSENIUM,
Pastorem Primarium und Scholarcham daselbst.

KJEL /
Gedruckt bey Joachim Reumann / Acad. Buchdr.
Anno 1666.

I. N. J. A.

